DE RELIGIOSIS.

CODICIS JURIS CANONICI

LIBRI II. PARS II. (CAN. 487.—681.)

BIBLIOTHECA PRIVATA
THEOLOGI

PRAELECTIONES DE JURE REGULARIUM,

QUAS

IN USUM AUDITORUM

FACULTATIS THEOLOGICAE OENIPONTANAE

SCRIPSERAT

JOSEPHUS BIEDERLACK S. J.

DENUO RECOGNOVIT ET AD NORMAS CODICIS JURIS
CANONICI ADAPTAVIT

MAXIMILIANUS FÜHRICH S. J.

BIBLIOTHECA PRIVATA
THEOLOGI
S. POENITENTIARIAE APOSTOL.

BIBL. TH.
P. R.
ALMA COLLEGE
348.35
LIBRARY
B476
Alma, California

ŒNIPONTE.

TYPIS FELICIANI RAUCH

1919.

16720

Imprimi potest.

Viennae, 14. Maji 1919.

Carolus M. Andlau S. J.
Praep. Prov. Austriae.

Nro. 1831.

Imprimi permittitur.

Oeniponte,
die 17. Maji 1919.

J. Mutschlechner,
Vicecancell.

Praefatio.

Jus religiosorum jam per decreta Pii X. pluribus legibus auctum est. In Codice autem primo omnes leges pro religiosis latae antea in multis fontibus dispersae in unum collectae et haud parum immutatae sunt. Ideo expedire visum est, ut auditoribus juris canonici liber in manus tradatur, qui omnes eas leges simul cum illis, quae ex natura status religiosi deducenda sunt vel ex ipsis votis religiosis aliisque praeceptis naturaliter fluunt, contineat, ita ut ad praelectiones tractatus de religiosis inservire possit. Quem ad finem aptissimus mihi videbatur liber a R. P. Biederlack, professore juris canonici in facultate theologica Oenipontana et in Universitate pontificia Gregoriana pro suis auditoribus conscriptus. Ipse enim, quamvis non nimis voluminosus, tamen omnia necessaria complectitur et propter suam perfectionem et claritatem maxime commendabatur. P. Biederlack autem multis aliis occupationibus impeditus, quominus ipse nunc talem laborem praestare possit, precibus meis benigne annuit, ut mihi novam operis editionem procurare liceat.

In distributione materiae, quantum fieri potuit, fideliter secutus sum ordinem ipsius Codicis; hoc enim modo facile Codex ipse tamquam liber textus pro praelectionibus inservire et manuale in adjutorium vocari potest, quin perturbatio ulla inde oriatur. In ceteris autem primam editionem quam minime immutare conatus sum. Addidi quidem novos numeros marginales appositis antiquis numeris in uncinis ( ), ubi a novis (i. e. inde a Nr. 26.) discrepant. Ita facile prima editio cum hac nova, si placuerit, comparari poterit.

Laborem hunc alacriter agressus sum nondum sciens, quantas difficultates injuria temporum mihi paritura sit. Ruina patriae, occupatio hostilis civitatis nostrae cum omnibus tristibus suis sequelis, imprimis impedimenta pro commercio litterarum et multo magis librorum, magno impedimento fuit. Ideo e. g. librum P. Vermeersch nonnisi ex prima editione citare potui. Penuria operariorum effecit, ut parvus iste liber per dimidium annum et amplius sub prelo esse debuerit, antequam in lucem edi possit. Inde etiam evenit, ut nonnulla irrepserint errata et preli menda, quorum praecipua in fine libri colligenda curavi. Quae cum quandoque verborum sensum immutent vel inintelligibilem reddant, faveas benevole lector, ut, antequam librum perlegas, inspicias et corrigas, quo fiet, ut nocumentum non amplius afferant.

Nunc autem diffucultatibus superatis et labore ad finem perducto, spero librum, Deo favente, nihilominus aliquam utilitatem allaturum tum theologiae studiosis tum etiam ipsis religiosis, ut inde sapientissimas Ecclesiae leges in Codicem relatas intelligant, iisque, ut in via perfectionis facilius progrediantur, uti possint.

Oeniponte in festo resurrectionis Domini 1919.

Editor.

Index

		Pag.
Praefatio		III
Index		V
Cap. I.	De natura status religiosi et de diversis religionum speciebus	1
	Art. I. De status religiosi natura (can. 487.)	1
	Art. II. De variis religiosarum familiarum distinctionibus (can. 488.—491.)	12
Cap. II.	Codicis Titulus IX. De erectione et suppressione religionis, provinciae, domus (can. 492.—498.)	23
	§ 1. De novae religionis erectione	23
	§ 2. De erectione novae provinciae vel domus	25
	§ 3. De supressione et immutatione religionis aut domus religiosae	33
Cap. III.	Codicis Titulus X. De religionum regimine (can. 499.—537.)	34
	Art. I. De Superioribus et Capitulis (can. 499.—517.)	34
	§ 1. De Superiorum religiosorum constitutione	39
	§ 2. De potestate Superiorum et Capitulorum	51
	§ 3. De obligationibus Superiorum religiosorum	78
	Art. II. De confessariis et capellanis (can. 518.—530.)	83
	Art. III. De bonis temporalibus eorumque administratione (can. 531.—537.)	94
Cap. IV.	Codicis Titulus XI. De admissione in religionem (can. 538.—586.)	104

Pag.

Art. I. De vocatione ad statum religiosum (can. 538.) 105
Art. II. De postulatu (can. 539.—541.) 108
Art. III. De novitiatu (can. 542.—571.) 111
§ 1. De requisitis ut quis ad novitiatum admittatur (can. 542.—552.) 111
A. Impedimenta admissionis 111
B. Jus admittendi novitios 126
C. Documenta et inquisitiones pro admissione requisita 127
D. De dote religiosarum 130
§ 2. De novitiorum institutione (can. 533.—571.) 133
Art. IV. De professione religiosa (can. 572.—586.) . . 146
§ 1. De professione religiosa generatim sumpta 146
§ 2. De professione temporaria 154
§ 3. De professione perpetua 159
A. De professione sollemni 159
B. De professione simplici perpetua . . 165
Cap. V. Codicis Titulus XII. (cf. Libri III. Tit. VI.) De ratione stuoiorum in religionibus clericalibus (can. 587.—591.) et de ordinatione religiosorum (can. 948.—1011.) . . 167

Codicis Titulus XIII. De obligationibus et privilegiis religiosorum (can. 592.—631.) 177
Cap. VI. De obligationibus religiosorum (can. 592.—612.) . . . 177
Art. I. De obligationibus religiosorum vi votorum ortis (can. 593.) 177
§ 1. De voto paupertatis 177
§ 2. De voto castitatis 197
§ 3. De voto obedientiae 202
Art. II. De obligatione tendendi ad perfectionem . . 219
Art. III. De obligatione observandi regulas 220
Art. IV. De obligationibus religiosorum ex Ecclesiae legibus ortis (cann. 592. et 594.—612.) . . . 226
§ 1. De obligationibus communibus clericorum a religiosis servandis (cann. 592. et 124.—142.) 226
§ 2. De obligatione clausurae (can. 597.—607.) 232
§ 3. De recitatione divini officii aliisque pietatis exercitiis (cann. 595. et 610. coll. 124.—126. et 135.) 243
§ 4. De habitu religioso gestando (can. 596. coll. can. 136.) 250

Pag.

§ 5. De adjutorio in cura animarum clero saeculari praestando (cann. 608., 609., 1345., 131. coll. 129., 130.) 252

Cap. VII. De privilegiis religiosorum (can. 613—625.) 254

Art. I. De privilegiis religiosornm in genere (can. 613. coll. can. 63.—79.) 254

Art. II. De privilegiis clericorum, quibus fruuntur etiam religiosi (cann. 614., 625. et 119.—123.) . . 261

Art. III. De religiosorum exemptione (can. 615.—620.) 264

Art. IV. De quaestuatione (can. 621.—624.) 274

Cap. VIII. De obligationibus et privilegiis religiosi ad ecclesiasticam dignitatem promoti vel paroeciam regentis (can. 626.—631.) 277

Art. I. De assumptione religiosorum ad beneficia et munera ecclesiastica in genere (can. 626.) . . 277

Art. II. De religioso ad ecclesiasticam dignitatem extra religionem promoto (can. 627.—629.) . . . 279

Art. III. De religioso paroeciam regente (cann. 630., 631. coll. 451.—478.) 282

Cap. IX. Codicis Tit. XIV.—XVI. De egressu e religione (can. 632.—672.) 286

Art. I. De egressu improprie dicto (can. 632.—636. et 586. § 3.) 286

§ 1. Codicis Titulus XIV. De transitu ad aliam religionem (can. 632.—636) 286

§ 2. De egressu propter nullitatem professionis (can. 586. § 3.) 289

Art. II. Codicis Titulus XV. De egressu e religione ex libera voluntate egredientis (can. 637.—545.) 290

§ 1. De egressu legitimo (can. 637.—643.) . 290

§ 2. De egressu illegitimo per apostasiam et fugam (cann. 644., 645.) 294

Art. III. Codicis Titulus XVI. De dimissione religiosorum (can. 646.—672.) 296

§ 1. De dimissione in genere (can. 646.) . . 296

§ 2. De dimissione religiosorum, qui vota temporaria nuncuparunt (cann. 647., 648. coll. can. 637.) 297

§ 3. De dimissione religiosorum, qui vota perpetua nuncuparunt in religione clericali

Pag.

non exempta vel in religione laicali (can. 649.—653.) 300

§ 4. De processu judiciali in dimissione religiosorum, qui vota perpetua sive sollemnia sive simplicia nuncuparunt in religione clericali exempta (can. 654.—668.). . . 303

§ 5. De religiosis dimissis, qui vota perpetua nuncuparunt (can. 669.—672.) 307

Cap. X. Codicis Titulus XVII. De societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis (can. 673.—681.) 310

Index rerum alphabeticus 313

Errata praecipua 323

BIBLIOTHECA

Caput I.

De natura status religiosi et de diversis religionum speciebus.

Art. I.

De status religiosi natura.

(Cfr. Codex can. 487.)

1. Status religiosus[1]) duo elementa complectitur, unum quasi materiale, alterum quasi formale; prius consistit in religioso vivendi modo, alterum in hujus vivendi modi stabilitate. Jam quod ad hanc stabilitatem attinet notamus: 1) sub statu vitae semper intelligitur quidam stabilis vivendi modus, ita ut quo magis stabilis sit, eo magis proprio sensu status dicatur. Stabilitas enim multiplicem potest habere gradum. Quandoque enim 2) statum vocamus eam conditionem quae ex sese perdurat nec cessat nisi ex causa ipsi externa. Sic loquimur de statu peccati et de statu gratiae. Hic tamen in sensu lato tantum status dicitur. In sensu jam strictiori status vocatur ea conditio, quam homo proprio arbitrio saltem de facili mutare nequit, etsi absolute id possit. Sic dicitur aliquis amplecti statum mercatorum, militum, officialium reipublicae, opificum etc. (Kaufmanns-,

[1]) Religiosus dicitur status, eo quod, qui illum assumunt, integros se dedicant divino servitio, in qua dedicatione exellentissimus continetur virtutis religionis actus. „Religio est quaedam virtus, per quam aliquis ad Dei servitium et cultum aliquid exhibet. Et ideo antonomastice religiosi dicuntur illi, qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes.“ S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 1.

Soldaten-, Beamten-, Handwerkerstand)[1]; illi enim qui ex talibus occupationibus suam suaeque familiae sustentationem quaerere proposuerunt, ordinarie nonnisi cum magna difficultate ei occupationi ac vivendi modo renuntiare possunt. Quum vero nihilominus a libero ipsorum arbitrio dependeat, obstaculis superatis aliam vivendi rationem atque occupationem assumere, ideo hic quoque vivendi modus nonnisi latiori sensu status dicitur. 3) Major immobilitas habetur in iis vivendi modis, quibus quis ex proprio arbitrio renuntiare nequit, atque hi demum in sensu proprio et stricto status dicuntur. Huc pertinet e. g. status servorum, in quo inveniuntur ii, qui perenni strictissimaque obligatione ad servitia dominis praestanda, quantum ea obligatio inter homines exsistere potest, tenentur; status matrimonialis, qui ratione indissolubilitatis vinculi matrimonialis nonnisi morte alterius conjugis amittitur; status sacerdotalis, cujus firmitas seu stabilitas oritur inchoative ex indelebilitate characteris sacerdotalis in ordinatione sacra impressi, dein ex voto sollemni castitatis ordini sacro annexo, maxime vero ex voluntate Ecclesiae, quae clericis et praecipue sacerdotibus in perpetuum certum vivendi modum praescribit; status episcopalis, cujus stabilitas, praeter modo allegatos fontes firmitatis etiam pro fonte habet vinculum, quo Episcopi legitime promoti et consecrati cum sua ecclesia junguntur atque ad gregem suum pascendum tenentur, quodque sacri canones vinculo matrimonii consummati comparant; status religiosus, qui firmitatem suam haurit tum ex votis, quibus se religiosi versus Deum obligant, tum ex traditione sui ad coetum religiosum, in quo vota nuncupant, facta et a coetu acceptata, quam traditionem ex disciplina ecclesiastica nunc vigente omnes simul cum votorum emissione faciunt.

2. De elemento autem materiali status religiosi haec ex ordine notamus: 1) Distinguendum est inter vitam

[1] Voce status, quando de his hominum classibus adhibetur, saepe etiam intelligitur coetus seu multitudo eorum, qui in tali vitae conditione versantur.

christianam communem et vitam perfectionis. Fundamentum vero hujus divisionis nullatenus in eo est, quod ii qui vitam perfectionis profitentur, perfectionem exercere aut ad eam tendere teneantur, ii vero qui vitam christianam communem profitentur, omni sollicitudine de perfectione obtinenda sese exuere possint. Omnes enim potius homines ad perfectionem aspirare et media quaedam ad eam obtinendam adhibere debent. Quod tum ex verbis explicitis Christi Domini patet,[1]) tum ex eo quod omnes omnino homines ad vitandum quodlibet etiam veniale peccatum tenentur, adeoque ad agendum in omnibus juxta virtutem. Atqui in omnium virtutum observatione perfectio vitae christianae essentialiter consistit. Ergo omnes etiam christiani, imo omnes homines ad perfectionem exercendam adeoque etiam ad eam desiderandam efficaciterque adnitendam tenentur. Discrimen igitur inter vitam christianam communem vitamque perfectionis non in obligatione perfectionis simpliciter dicta situm est, sed potius in eo, quod qui vitam perfectionis profitentur, *specialem* obligationem habeant faciendi quaedam, quae de perfectione sunt. Scilicet illi qui in statu perfectionis exercendae, ut statim dicitur, versantur, specialem obligationem ex eorum munere ortam habent agendi in omnibus secundum virtutem. Qui vero statum perfectionis acquirendae sunt amplexi, obligationem specialem contraxerunt certa media eaque efficacia adhibendi ad perfectionem obtinendam.

3. Jamvero 2) vitae christianae perfectio generatim in virtute caritatis perfectae consistit adeoque sicut quaevis alia virtus, plurimos gradus admittit. Scil. a) quod in caritate perfecta vitae christianae perfectio consistit, non tantum unanimis est auctorum sententia, sed etiam ex s. Scriptura atque ex ipsa natura hujus virtutis probatur. Etenim b) caritas virtus est perfectissima; insuper id in perfecto gradu habet, quod aliae virtutes plus vel minus habent, ut si ipsa in homine dominatur, necessario actus

[1]) Cf. Matth. 5, 48; 1 Petr. 1, 16; 1 Joh. 2, 1.

omnium aliarum virtutum imperet, seu efficiat, ut contra nullam virtutem homo agat. Jamvero in exercitio omnium virtutum a perfectissima virtute imperato necessario consistere debet hominis perfectio moralis. Hinc c) essentia perfectionis recte a Suarez aliisque exhibetur tanquam permanens dispositio, qua caritatis virtus prompte et facile actus suos tam elicitos quam imperatos exercere valeat. Tamen d), etsi ad essentialem perfectionem sufficiat, ut homo in omnibus secundum virtutem agat idque ex motivo cuicunque virtuti proprio, potest nihilominus in caritate atque ideo in perfectione sic crescere, ut abstrahendo plus vel minus a motivis singularum virtutum propriis ex motivo caritatis perfectae actus quoque aliarum virtutum eliciat et exerceat.[1])

4. Celebris est 3) distinctio inter statum perfectionis exercendae et statum perfectionis acquirendae[2]) De ea haec animadvertenda veniunt: a) Status exercendae perfectionis consistit in speciali obligatione ex stabili munere contracta in omnibus agendi secundum virtutem, adeo ut qui talem statum complectitur, eo ipso sese obliget in omnibus suis actionibus nonnisi virtutem sequendi; quare hic status perfectionem christianam jam adeptam quadamtenus praerequirit. Status autem acquirendae perfectionis vi sua non supponit perfectionem adeptam sed peculiariter obligat ad adhibenda varia media pro perfectione obtinenda. Unde patet, quo efficaciora sunt haec media, quae status adhibet

[1]) Sic. s. Ignatius in Constitutionum p. III. cap. I. §. 26 omnibus sui ordinis religiosis non tantum perfectionem essentialem sed summam perfectionem tanquam scopum ad quem tendant, proponit hortando ut „omnes rectam habere intentionem studeant non solum circa vitae suae statum, verum etiam *circa res omnes particulares*, id semper in eis sincere spectantes ut serviant et *placeant divinae bonitati propter seipsam*, et propter caritatem et eximia beneficia quibus praevenit nos, potius quam ob timorem poenarum vel spem praemiorum (quamvis hinc etiam juvari debeant)".

[2]) Hanc distinctionem innuit s. Thom. 2. 2. q. 185. art. 4. ad 1 latius eam exsequitur Suarez l. I. de statu perfectionis (de virtute religionis tract. VII.) cap. 14 ss.

pro scopo suo obtinendo, eo magis ipsum inter varios perfectionis status excellere. b) In statu perfectionis exercendae secundum communem auctorum doctrinam sunt Episcopi, qui „lux mundi“ et „forma gregis“ esse debent.[1]) Imo c) etiam sacerdotes, secundum sententiam Suarezii saltem inchoative in statu perfectionis exercendae sunt. „Quapropter censeo sacerdotes *vi sui ordinis* habere statum altiorem et sanctiorem, qui ab eis nonnulla perfectionis opera requirit, ratione cujus obligationis merito dici possunt esse aliquo modo, saltem inchoative, in statu perfectionis.“[2]) Atque de sacerdotibus ad animarum curam expositis haec habet; „Negari non potest, quin isti pastores multum participent (cum Episcopis) de perfectionis obligatione et exercitio ex vi sui muneris“[3]) Cui nullatenus obstant, imo potius consonant ea quae docet s. Thomas. Etenim de praelatis ecclesiasticis inferioribus, sub quibus eos intelligit qui curae animarum sub Episcopi directione praepositi sunt, negat quidem, eos in *statu* perfectionis esse, quum curam animarum facile relinquere possint sicque ipsorum vitae conditioni immobilitas desit necessaria ad id, ut ea conditio status appellari possit; expresse tamen affirmat, ipsis incumbere *officium* ad perfectionem pertinens. „Unde magis habent officium ad perfectionem pertinens quam obtineant perfectionis statum.“[4]) Tamen d) quoad eos qui statum perfectionis exercendae assumunt, cum Suarez dicendum est „non esse simpliciter et ex praecepto necessarium, ut in re ipsa et in executione talis perfectio *praecedat*. Sed satis est ut proposito et voluntate de se efficaci (eam in futuro exercendi) habeatur.“ (L. c. cap. 14. n. 9.)

Paulo aliter quidem contra multos alios auctores sed innixus rationibus haud spernendis hanc distinctionem proponit Vermeersch (De religiosis inst. I. p. 5 ss.). Duplex ex his efflorescit status perfectionis, alter passivus, seu *perfectionis acquirendae*, alter *activus* et *illuminativus*

[1]) Cf. s. Thom. l. c. q. 184. art. 5 s.; Lessius, De justitia et jure cap. 40. n 89; Suarez l. c. cap. 15.

[2]) Suarez l. c. cap. 17. n. 4.

[3]) L. c. cap. 17. n. 19.

[4]) Summa theol. 2. 2. q. 184. art. 6.

seu *perfectionis communicandae;* alter quo quis est *perfectionis studiosus,* alter quo quis fit *„perfector“* . . . . Si duplicem consideres terminum caritatis, Deum et proximum pariter duplicem repereris statum perfectionis: alterum ordinatum ad perfectionem *dilectionis Dei,* qui est religiosorum, et alterum ordinatum ad perfectionem dilectionis proximi qui pertinet ad Episcopos. Nec variat conclusio, si ad Christum respexeris perfectionis et exemplar et auctorem. Voluit enim esse in Ecclesia studium perfectionis ad quam homines hortatur, ipseque instituit munus pastorale, cuius eam proposuit imaginem: „Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.“

Vera ergo et formalis ratio, cur Episcopi versentur in statu perfectionis est *professio perpetua curae animarum: dilectionem* dico *inimicorum,* cum sua caritate etiam eas complecti debeat oves Episcopus, quae fortasse sint inimicae; *vitae impendium,* cum quotidiana et perennis solicitudo iam videntur continere donum vitae, quae ceterum, si opus fuerit, est ab Episcopo profundenda; *largitionem* denique *divinorum,* cum de spirituali agatur munere pascendi. Haec est manifesta doctrina S. Thomae, tum c. 16. 17, opusculi *De perfectione vitae spiritualis,* tum *Summa theol.* 2. 2. qu. 18. (184.?).

Quamvis id non paucis nec proletariis placuerit theologis, non videntur nobis Episcopi proprie poni posse *in statu perfectionis acquisitae.* Etenim: a) Status aestimandus est ex *professione.* Nullam autem faciunt Episcopi *acquisitae perfectionis professionem.* b) Nec, si eam intelligas perfectionem ad quam diriguntur religiosi, aliquo pacto effeceris opus esse ut Episcopi sint hanc perfectionem adepti. Quamvis enim summopere expediat Episcopos omni esse virtute ornatos, quis dixerit, tantam in eis requiri caritatem, ut Deum diligant, *quantum potest creatura mortalis;* quod ut vidimus sectantur religiosi. Quis nam illius caritatis ausus fuerit sibi esse conscius? Quisnam nisi plane invitus pontificalem statum sine peccato suscipere posset? Nec iam apparet quomodo 2. 2. qu. 185. art 3. S. Thomas scribere potuerit, non opus esse, ut assumantur ii, qui sint *meliores secundum caritatem;* vel quomodo optimi Episcopi impetraverint a S. Pontifice facultatem profitendi religiosum statum, viam videlicet ad perfectionem, quam iam essent consecuti.

Illud unum itaque, sub hoc respectu interest inter Episcopum et religiosos, quod ad horum statum nulla requiritur praeparatio virtutis, dum contra Episcopus debet ab initio satis emendasse vitia ut ‚nihil in se inveniat, per quod illicitum ei reddatur praelationis assumere officium‘.“ (S. Thom. 2. 2. qu. 185. a. 3.)

Hoc ultimum videtur iterum aliqua agnoscere ex illis, quae dicunt defensores status perfectionis acquisitae. Ex altera parte etiam illi concedunt non requiri simpliciter perfectionem christianam acquisitam, et aliquis possit fieri Episcopus sed aliquam tantum. Quidquid autem sit de terminologia, profunde et pulchre videtur P. Vermeersch

proponere differentiam inter statum Episcoporum et religiosorum et hoc videtur ex eius verbis constare, melius vocari statum istum perfectionis exercendae quam acquisitae.

5. Perfectionis acquirendae status 4) non tantum varius est varietate mediorum sed etiam distinguendum est inter completum et incompletum statum, prout scil. per ipsum *omnia* perfectionis acquirendae impedimenta removentur omnesque hominis actiones ad eam acquirendam diriguntur, aut *aliqua* tantum impedimenta removentur et aliquod tantum actionum genus ad perfecte operandum dirigitur. Sic qui omnes facultates suas inter pauperes distribuit votumque perpetuum emittit de vivendo ex eleemosynis emendicatis, versatur in statu perfectionis at incompleto tantum, quum eam tantum actionum et operationum classem, quae circa usum rerum temporalium versatur, ad perfectionem acquirendam dirigat, in aliis vero communem vivendi modum sequi possit. Status autem completus assequendae perfectionis id in suo conceptu includit, ut in ordine ad triplicem pravam concupiscentiam domandam et frenandam via perfectionis ineatur atque sic media ad omnes virtutes acquirendas adhibeantur. Per eadem enim media, quibus concupiscentia frenatur, virtus ipsi contraria exercetur et obtinetur. Quare completus perfectionis status is demum nominari potest, cujus asseclae media directe tripiici concupiscentiae opposita et ad eam perfecte domandam inservientia adhibent sicque ad omnes virtutes idque perfecte adnitendas peculiari vinculo se obligant. Quare completus perfectionis status id in suo conceptu includit, ut ad concupiscentiam oculorum frenandam adhibeatur paupertas, ad concupiscentiam carnis castitas, ad superbiam humilitas per subjectionem voluntariam sub alterius voluntate et nutu. Ut autem ea vitae conditio rationem status habeat, oportet eam stabilem esse sic ut ab arbitrio proprio non dependeat in ea remanere aut eam deserere.

6. Jamvero 5) secundum unanimem doctorum sententiam status religiosus est status completus perfectionis acquirendae, adeoque ad ejus essentiam pertinet tum adhibitio

mediorum directe oppositorum triplici concupiscentiae, seu paupertas, castitas et obedientia, quibus mediis simul omnes virtutes morales ac proinde etiam caritas acquiritur; tum immobilis seu perpetua obligatio ad horum mediorum usurpationem. Jam quidquid sit de quaestione, utrum absolute haec immobilitas aliis etiam viis obtineri possit, modus aptissimus pro ea obtinenda consistit in votorum nuncupatione; sicque ad status religiosi essentiam requiritur obligatio per votum triplex contracta servandi paupertatem, castitatem et obedientiam. Atque haec sunt elementa quae ad perfectionis aquirendae statum ex ipsius natura requiruntur.

Porro 6) per se patet competere Ecclesiae potestatem leges ferendi de statu etiam perfectionis. Sicut enim communis vita christiana sub Ecclesiae ductu agenda est, ita eo magis vita religiosa ab Ecclesia dirigatur oportet.

Jamvero Ecclesia nunc statum religiosum non recognoscit ut talem, nisi ejus asseclae vitam communem profiteantur. De quo elemento ex positiva Ecclesiae voluntate ad statum religiosum necessario haec animadvertenda sunt: a) Ecclesiam nunc statum religiosum non recognoscere sine comuni vita, patet ex can. 487. Codicis juris Canonici infra pag. 10. citato et ex prohibitione Jnnocentii III., ne quis novam religionem inveniat sed unam de approbatis assumat. (Cap. Ne nimiam 9. De religiosis domibus III. 36.). Sub religione intelligebatur religiosus status; adeoque religiosus status non exsistit nisi sit approbatus ab Ecclesia. Haec autem nunquam pro singulo homine sed tantum pro familia approbationem dedit.[1]) Tamen b) hoc non sic est intelligendum, acsi Ecclesia prohibuerit extra coetum religiosum perpetuo vovere paupertatem, castitatem et obedientam (e. g. confessario aut alicui superiori ecclesiastico praestandam); sed ita intelligatur oportet, quod qui haec vota perpetua extra familiam religiosam emittit, statum religiosum juxta Ecclesiae mentem non amplectitur, etsi in statu completo acquirendae perfectionis

[1]) Cf. Suarez l. II. cap. 4.

versetur. c) Hinc recte deducitur, nunc simul cum tribus votis necessariis requiri pro ingressu in statum religiosum quasi-contractum inter familiam religiosam et ingredientem initum; nam assumptio in familiam religiosam fieri non potest absque correnspondente contractu. d) Hic contractus recte vocatur potius quasi-contractus, quia non expressis verbis fit sed in ipsa votorum nuncupatione a religiosa familia admissa continetur et cum ipsa fit. e) Consistit autem hic contractus in traditione sui, quam ingrediens, facit, ad coetum religiosum et in acceptatione hujus traditionis a coetu facta. f) Itaque traditio non fit ad Deum, sed ad familiam religiosam repraesentatam per Superiorem religiosum, adeoque quia familia religiosa est aliquod ecclesiasticum institutum, fit etiam ad Ecclesiam et sic mediate etiam ad Deum. g) Haec traditio et acceptatio non tantum in ordinibus religiosis sed in omnibus omnino familiis religiosis, licet congregationes aut instituta religiosa tantum vocari possint, fit prouti ex modo dictis patet. Hinc h) non tantum cum professione sollemni conjuncta est sed etiam cum professione simplici.[1])

Quapropter ex his elementis exurgit adaequata status religiosi definitio, secundum quam est *stabilis in communi vivendi modus fidelium ad christianae caritatis perfectionem*

[1]) Quare ex traditione sui a professis votorum *simplicium* in Societate Jesu facta Gregorius XIII. simul cum aliis ad statum regularem requisitis deducit, professos votorum simplicium in Societate Jesu veros esse riligiosos, authentice declarans „illa (vota simplicia) emittentes in statu religionis vere constitui; quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant atque actu tradunt, seque divino servitio in ea mancipant.“ Constit. Ascendente Domino 25. Maji 1584. — De hac traditione et acceptatione cf. etiam Suarez l. c., qui n. 9. hanc ponit assertionem: „Dico secundo: Ad proprium vinculum religiosi status, quando in communitate religiosa assumitur, praeter tria vota supradicta immediate Deo facta, quibus religiosus ipsi obligatur, necessaria est peculiaris obligatio humana per modum pacti reciproci, quo et ipse religioni se donat et obligatur religioni; et religio ejus traditionem acceptat eique vicissim obligatur ad illum tanquam membrum suum alendum, conservandum et juxta suum institutum gubernandum.“

tendentium editis tribus substantialibus votis paupertatis, castitatis es obedientiae ab Ecclesia opprobatus.

Cum hac definitione, quamvis ipse solum elementa externa et juridica commemoret, tamen omnino concordat can. 487. Codicis, qui sic sonat: *Status religiosus seu stabilis vivendi modus, quo fideles praeter communia praecepta evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt, ab omnibus in honore habendus est.*

7. De origine status religiosi haec statuenda videntur principia: 1) Certum est Christum saltem eatenus auctorem esse vitae religiosae, quatenus Ipse omnia elementa, quae status religiosus nunc complectitur, seorsim sumpta expresse docuit. Etenim a) Christus docuit tria consilia evangelica, consilium paupertatis docendo: Si vis perfectus esse, vade etc. (Matth. 19, 16—22); consilium castitatis hortando ad sequendam virginitatem corporis et mentis; consilium obedientiae adhortando ad omnimodam sequelam Sui, qui subditus erat hominibus eisque perfecte obediebat, licet etiam qua homo supremus eorum fuerit dominus. b) Christus docuit etiam modum se obligandi ad bonum melius ex promissione Deo facta seu ex voto. Licet enim textus explicitus de voti obligatione ex ore Salvatoris in Scripturis sacris non prostet, approbavit tamen Ipse explicite doctrinas morales veteris testamenti, in quibus de votorum emissione et de servanda voti obligatione sermo fit. c) Saltem exemplo suo docuit Christus etiam communem vitam, quia cum Apostolis suis hanc communem vitam secutus est.

Certum est 2) Christum eatenus saltem etiam potestative instituisse statum religiosum, quatenus Ecclesiae potestatem dedit dicta tria consilia conjungendi sicque statum religiosum efformandi.

3) Multi sunt auctores, qui docent Christum non tantum docuisse singula tria consilia evangelica et modum ad illa per vota se obligandi sed etiam explicite docuisse

modum per vota se obligandi ad dicta tria consilia simul sumpta quatenus componunt statum religiosum.

4) Item multi docent Christum non tantum compositionem dictorum trium votorum docuisse sed etiam potestative statum religiosum immediate instituisse, quatenus Apostoli hortante Christo statum religiosum amplexi sint sicque veri nominis religiosi facti.[1]) Argumenta vero quae pro his sententiis afferuntur, non videntur omni exceptione majora.

8. Etsi religiosus status nequaquam ad Ecclesiae essentiam pertineat sicque Ecclesia absque eo consistere possit, multum probabiliter tamen dicunt auctores, religiosum statum in Ecclesia indefectibilem esse. Etenim sanctitas, quae tanquam nota distinguens Ecclesiae indefectibiliter inhaeret, eum continuo effectum productura censenda est, ut non tantum multi magna consilia evangelica a Christo praedicata amplexuri, sed etiam immobiliter seu vi status horum consiliorum exercitio se tradere desideraturi sint. Et licet Ecclesiae sanctitas variis aliis modis manifestetur, splendor tamen sanctitatis qua refulget et varietas splendorem augens ac perficiens, id exigit ut non desint tales, qui summo conatu et ipsi ad vitae perfectionem tendant et aliis suo exemplo ad eandem desiderandam et obtinendam inflamment. — Praeterea illi auctores, qui Christum Dominum statum religiosum formaliter instituisse apostolosque in religioso statu versatos esse affirmant, probabiliter inferunt, Christum permissurum non esse, ut sua institutio per aliquod temporis intervallum plane in Ecclesia deficiat, neque futurum ut Ecclesia, quae omnia a Christo immediate tradita et instituta cum maxima sollicitudine conservat et fovet, statum religiosum non protegat atque promoveat.[2])

[1]) Hoc potius supponit seu praesumit quam probat s. Thomas 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3: „Apostoli autem intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relictis omnibus sunt secuti." Fusius hanc sententiam explicat et probare conatur Suarez tract. VII. l. III. cap. 2.

[2]) Cf. Bouix. De jure regularium tom. I. pag. 177 (ed Paris. ann. 1857).

Art. II.

De variis religiosarum familiarum distinctionibus.

(Codex can. 488.—491.)

9. De variis religiosarum familiarum distinctionibus agit can. 488., qui sic sonat:

In canonibus qui sequuntur veniunt nomine:

1°. *Religionis*, societas a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales secundum proprias ipsius societatis legis, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt;

2°. *Ordinis*, religio in qua vota solemnia nuncupantur; *Congregationis monasticae*, plurium monasteriorum sui juris conjunctio sub eodem Superiore; *religionis exemptae*, religio sive votorum solemnium sive simplicium, a iurisdictione Ordinarii loci subducta; *Congregationis religiosae* vel *Congregationis* simpliciter, religio in qua vota dumtaxat simplicia sive perpetua sive temporaria emittuntur;

3°. *Religionis juris pontificii*, religio quae vel approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede est consecuta; *juris dioecesani*, religio, quae ab Ordinariis erecta hoc laudis decretum nondum obtinuit;

4°. *Religionis clericalis*, religio cuius plerique sodales sacerdotio augentur; secus est *laicalis*;

5°. *Domus religiosae*, domus alicuius religionis in genere; *domus regularis*, domus Ordinis; *domus formatae*, domus religiosa, in qua sex saltem religiosi professi degunt, quorum, si agatur de religione clericali, quatuor saltem sint sacerdotes;

6°. *Provinciae*, plurium religiosarum domorum inter se conjunctio sub eodem Superiore, partem eiusdem religionis constituens;

7°. *Religiosorum*, qui vota nuncuparunt in aliqua religione; *Religiosorum votorum simplicium*, qui in Congregatione religiosa; *regularium*, qui in Ordine; *sororum*, religiosae

votorum simplicium; *monialium*, religiosae votorum solemnium aut, nisi ex rei natura vel ex contextu sermonis aliud constet, religiosae, quarum vota ex instituto sunt solemnia sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia;

8°. *Superiorum maiorum,* Abbas Primas, Abbas superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui juris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior Provincialis, eorundem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes.

1) Primario ergo distinguuntur religiones ratione votorum in Ordines, in quibus aliqua saltem membra vota sollemnia emittunt et in Congregationes, in quibus omnes sodales nonnisi simplicia vota emittunt, sive illa sint perpetua sive temporanea.

Cum Congregationibus hujus divisionis nullo modo confundendae sunt Congregationes monasticae, quae saltem prout nunc existunt, pertinent ad Ordines non ad Congregrationes hujus divisionis et uniunt inter se plura monasteria non autem singulos religiosos. Sic e. g. sub Leone XIII. Patres Benedictini plures tales Congregationes fundarunt, quibus praeest aliquis ex Abbatibus monasteriorum unitorum. Singulae Congregationes iterum aliquam unionem formant, cui praeest Abbas Primas, qui Romae residet. Cfr. can. 488. 2°.

Porro de hac distinctione haec animadvertenda sunt: a) Quidquid sit de tempore antiquo, certum est per plura saecula, a saec. saltem 11. usque ad 16. in Ecclesia notas non fuisse Congregationes religiosas sed tantum Ordines regulares; a saeculo vero 16. et 17. cum maxima Ecclesiae utilitate inventam esse novam familiarum religiosarum speciem, quam Congregationes appellamus. b) Membra Congregationum sequuntur tum tria consilia evangelica tum votis ad ea perpetuis ligantur; proindeque habent ea, quae ex natura rei ad religiosum statum requiruntur. Imo quia in familias religiosas coeunt, non tantum obligationem versus Deum habent, sed etiam ratione traditionis sui ipsorum ad coetum et acceptationis ejus per coetum factae in perpetuum ligantur ad coetum; ac proinde etiam id elementum

eorum statui non deest, quod ex Ecclesiae constitutione nunc ad statum religiosum requiri diximus. Et quamvis forte vota tantum temporanea emittant, ideoque non eadem stabilitate ad determinatum vivendi modum ligentur, sicut illi, qui vota perpetua nuncuparunt, quare certe aliquomodo a notione status deficiunt, tamen a statu religioso secundum mentem Ecclesiae nunc per Codicem declaratam (Cfr. can. 487. et 488. Nr. 1. et 7.) non videntur omnino alieni. c) Regulares[1]) autem non vocantur, sed nomen illud reservatur sodalibus Ordinum religiosorum, i. e. religionum in quibus vota solemnia nuncupantur, etiamsi ipsi simplicia tantum emiserint. (Cfr. can. 488. Nr. 2. et 7.)[2])

Societates sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis, quae antea solebant dici instituta

[1]) Hinc e. g. Congregationes non comprehenduntur sub excommunicatione statuta contra „mulieres violantes *regularium* virorum clausuram et Superiores aliosve eas admittentes“ (can. 2342. Nr. 2.) Cf. Pennacchi, Commentaria in constit. „Apostolicae sedis“ tom. I. pag. 778 ss.; Lucidi, De visitatione ss. Liminum cap. 4 n. 64. Regulares vocantur ex eo, quod religiosi sequantur oportet, praeter communes normas vivendi in decalogo praeceptisque Ecclesiae contentas omnesque homines obligantes, multas alias maxime particulares agendi normas; quae in regulis cujuscumque coetus religiosi consistunt. Quamvis hoc etiam de Congregationibus religiosis valeat, nomen tamen iam ante editionem Codicis sensu stricto de solis Ordinibus usurpari solebat.

[2]) P. Jo. Ferreres (Institutiones canonicae iuxta Codicem Pii X. a Benedicto XV. promulgatum. Barcinone 1917. Tomus I. pag. 306. Nr. 781. I.) putat quidem ad essentiam status religiosi *proprie dicti nunc* requiri, ut vota sint perpetua, sed hoc saltem sensu obvio ex legibus Ecclesiae erui posse non videtur; can. enim 488. Nr. 1. expresse dicit nomine religionis venire etiam societates, in qua sodales vota temporaria, elapso tamen tempore renovanda nuncupant. Videtur ergo ad rationem status religiosi (cfr. can. 487.) sec. mentem Ecclesiae sufficere, ut obligatio stricta quidem ad tempus tantum contrahatur, intentio vero tum voventis tum religionis adsit, ut sodales in perpetuum in religione maneant, ita ut egressus per non renovationem votorum semper exceptionem importet.

religiosa[1]) et de quibus nunc agunt can. 673.—681., secundum modum loquendi ecclesiasticum in statu religioso non versantur, sed manent, quatenus religiosi et status religiosus contradistinguitur contra saeculares et saecularem statum, ipsi etiam non obstante vita communi et approbatione ecclesiastica multisque privilegiis, quae forte obtinuerunt, in statu saeculari eorumque Instituta vocari possunt Congregationes saecularium vel si eorum membra ex presbyteris potissimum constant Congregationes presbyterorum saecularium. Neque ea omnia elementa quae ex rei natura ad religiosum statum requiruntur, in ipsis verificantur, quum eis aut aliquid deficiat quoad immobilitatem vitae conditionis; aut, si quae vota aut juramenta emittant, quoad ea quae vovent, quum ad unum alterumve consilium evangelicum tantum voto se obstringant; aut id quod vovent aliquid quidem habeat de magno consilio evangelico, non autem materiam ipsius exhauriat. Nihilominus hae quoque societates valde efficacia media ad perfectionem obtinendam membris suis praebere possunt et praebent. Quum enim extra quamcumque societatem unusquisque christianus ad perfectionem tendere eamque divina gratia adjuvante assequi possit, multo magis piae societates viam ad perfectionem obtinendam sternunt. Insuper ad multa alia media ad perfectionem obtinendam eaque valde efficacia membra sua possunt obstringere et revera obstringunt, sicque ea quae de ipsis consiliis evangelicis desunt, alia ratione quodammodo supplent.

10. Pro varietate 2) vitae quam exercent, dividi possunt in religiones contemplativae, activae et mixtae vitae. De qua divisione haec valent: a) Vita contemplativa nomen suum habet a contemplatione Dei ejusque operum ac

[1]) Haec terminologia certe etiam nunc adhiberi potest, distinguit enim Codex Juris Canonici inter instituta ecclesiastica collegialia et non collegialia (cfr. Tit. XXVI. Liber III. post can. 1488.), terminus ille esset quidem valde latus, sed sicut antea ita et nunc etiam aliquo restricto sensu adhiberi potest. Codex ipse autem nominat illa „societates“.

perfectionum. Potissimum enim in diversis modis seu speciebus orationis consistit; hinc inter vitae contemplativae actus praecipuum sibi locum vindicat cantatio divinarum laudum in choro et Missae sacrificii oblatio. Quia vero humana infirmitas continuam hanc occupationem non patitur, ideo usitatissimum semper fuit vitae contemplativae studiosis, operibus manualibus diversi generis eam interrumpere. Huic soli vitae addicti sunt eremitae, atque ex originali sua institutione etiam Ordines monachales. Vita activa vocatur ab occupatione circa alios homines; ipsa enim versatur in exercendis operibus dilectionis seu misericordiae sive spiritualis sive corporalis. Hujus vitae actus sunt potissimum opera misericordiae spiritualis, qualia sunt instructio juventutis in scholis quibuscunque, praedicatio verbi divini, administratio Sacramentorum, uno verbo ea omnia opera quae in animarum cura exercentur; dein opera misericordiae corporalis, v. g. redemptio captivorum, cura infirmorum, tutela praestita peregrinantibus per equites ordinum militarium. Vita demum mixta ea est, quae partim contemplationi, partim actioni datur; attamen haud sic ut occupationes contemplativae vitae et activae solum sibi invicem succedant, sed potius ita ut se invicem penetrent atque adjuvent, quatenus et externa actio per contemplationem animetur vigoremque accipiat, et vicissim contemplatio novam vitam novumque robur ex actione hauriat. Huic mixtae vitae quamplurimi religiosi Ordines addicti sunt, eamque nunc etiam illi Ordines virorum monastici profitentur, qui ex institutione sua potius ad contemplativam vitam agendam erant fundati.[1])

[1]) Monachi antiquis temporibus laici erant et perpauci tantum clerici adeoque ab animarum cura tam ordinaria quam auxiliari, quam nunc exercent, impediti; imo ne ipsi quidem Abbates aut Praepositi ordinibus initiati erant. Existimat Suarez, quod jam s. Gregorii M. temporibus haec institutio quamplurimum fuerit immutata multique monachi ordines acceperint. Ex quo sponte sua sequebatur — religiosus enim unusquisque potius est pro propria salute et perfectione, clericus autem et sacerdos fit pro aliena magis quam pro propria —

b) Ad quaestionem, qualis ex tribus vivendi Deoque serviendi modis in se perfectior sit, sequentibus principiis ex s. Thoma haustis respondemus: α) Vita contemplativa simpliciter potior est prae vita activa, etsi vita activa magis sit necessaria. Etenim contemplativa vita occupatur in laudibus divinis adeoque circa Deum versatur, vita autem activa circa proximum. Actiones vero circa Deum praestitae perfectiores sane ex natura sua sunt iis, quae circa proximum fiunt. β) Vita vero mixta perfectior est utraque. Quod ex eo oritur, quia ipsa fructus seu effectus, quos contemplatio producit, non tantum cum aliis communicat sed etiam perficit et expolit; quare actio circa proximum, quum a contemplatione animetur, de contemplationis perfectione participat. Hinc γ) etiam Christus Dominus et Apostoli vitam exercuerunt mixtam; etiam Praelati ecclesiastici seu Episcopi, qui in statu perfectionis exercendae versantur, vitam agere tenentur mixtam.[1])

11. Praeterea 3) ratione modi, quo paupertatem exercent distinguuntur religiones mendicantes et non mendicantes.[2]) Notandum de hac divisione est a) de ratione mendicantis Ordinis esse, ut de „incerta mendicitate" vivant, adeoque uti privatis ita etiam communibus possessionibus careant.

ut ad contemplativam vitam paullatim accederet aliqua animarum cura sicque vita mixta exsurgeret. Cf. Regula s. Benedicti cap. 62.; cf can. Si quis 28, can. Quum pro 34 (Conc. Ylerd. ann. 546), Ne pro 37 (Greg. M. ann. 597) C. 16. q. 1.; Suarez tract. 9. l. I. (De varietate religionum) cap. 7 n. 2.

[1]) Cf. Summ. theol. 2. 2. q. 182 art. 1: „Dicendum ergo est, quod vita contemplativa simpliciter melior est quam activa." — Ib. q. 188 art. 6. „Gregorius dicit, quod de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur: Memoriam suavitatis tuae eructabunt. Et hoc praefertur simplici contemplationi. Sicut enim majus est illuminare quam lucere solum, ita majus est contemplata aliis tradere quam solum contemplari." — Ib. q. 182 art. 1. ad 1.: „Ad praelatos non solum pertinet vita activa, sed etiam debent esse excellentes in vita contemplativa; unde Gregorius dicit in Pastorali (part. 2. cap. 1.): Sit praesul actione praecipuus, prae cunctis in contemplatione suspensus."

[2]) Molitor, Religiosi juris capita selecta. Ratisbonae, Pustet 1909. pag. 314. distinguit monachales, mendicantes, ceteras non mendicantes.

Primatum in exclusione omnis dominii tenet ordo s. Francisci. Dixi: uti privatis ita etiam communibus possessionibus careant. Etenim quod singuli nequeant esse proprietarii quorumvis bonorum sive mobilium sive immobilium, ex voto sollemni paupertatis fluit sicque membris ordinum mendicantium et non mendicantium commune est. Mendicantes vero in eo a non mendicantibus distinguuntur, quod neque in communi certos reditus habere possint, sive hi reditus ex immobilibus sive ex mobilibus bonis percipiantur. b) S. Pius V. in Const. Romanus Pontifex 3. Oct. 1567 enumerat quatuor ordines mendicantes, videlicet S. Dominici, s. Francisci, Eremitarum s. Augustini, Carmelitarum, quibus addit ordinem Servorum B. M. V., e quibus aliqui vi regulae, alii vi constitutionum suarum mendicantes sunt. c) Modum in ordine s. Francisci adhibendum comparandi ea, quae ad vitam necessaria sunt, sic describit B. Gregorius X.: „quibus ad congruam sustentationem possessiones aut reditus habere professio sive regula quaelibet interdicunt sed per quaestum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas.“[1]) Accuratius vero eundem describit Nicolaus III.: Sic enim (mendicantes) se ipsos committunt divinae providentiae, ut viam non contemnant provisionis humanae; quin vel de iis quae offeruntur liberaliter, vel de iis quae mendicantur humiliter, vel de iis quae conquiruntur per laboricium (i. e. per honestum laborem et industriam) sustententur: qui triplex vivendi modus in regula (s. Francisci) providetur expresse.“ Tamen d) communitas religiosorum mendicantium aut subjectum est proprietatis domorum habitationis, templorum etc. aut saltem earum rerum primo usu consumptibilium quas pro sua sustentatione accipiunt.[2]) Imo e) concessit concilium Tridentinum aliis ordinibus mendicantibus, „exceptis domibus fratrum sancti Francisci, Capucinorum et eorum qui Minores de observantia vocantur“, ut deinceps bona etiam immobilia eis possidere liceat.[3]) Quare ordines religiosi, qui ex regulis aut constitutionibus sunt mendicantes, quibus tamen hoc decreto facultas bona in communi possidendi datur, ordinum mendicantium privilegiis quidem non destituuntur, tamen mendicantes in proprio sensu dici nequeunt, etsi forte facultate a Tridentino sibi data non utantur et de facto ex eleemosynis vivant.[4]) Codex juris canonici hanc distinctionem etiam commemorat e. g. can. 621. et alibi.

---

[1]) Cap. Religionum unic. De religiosis domibus in 6.

[2]) Cf. Extrav. Ad conditorem 3. Joann. XXII. tit. De verb. signif.

[3]) Conc. Trid. sess. 25 De regularibus et monialibus cap. 3.

[4]) Qua ratione Societas Jesu, quae collegia et domos probationis acquirendi et possidenti capacia habet, mendicantibus ordinibus accenseatur, aliqua explicatione indiget. Itaque 1) pro certo tenendum est, Societatem Jesu in sensu proprio et stricto ad numerum mendicantium ordinum pertinere, prout declaravit s. Pius V. Constit. Dum indefessae

12. Praeterea 4) commemoranda est ea divisio, qua familiae religiosae pro diversitate regiminis interni dis-

7. Jul. 1571. Scil. sanctus Pontifex non tantum Societatem Jesu privilegiorum mendicantium ordinum participem esse, nec tantum par cum ordinibus mendicantibus nomen Societati esse voluit, sed eam vere ordinem mendicantem esse authentice declaravit inter alia sic dicens: „Motu proprio . . et certa scientia Nostris, illam (scil. Societatem Jesu) et illius Praepositum, ac singulas personas Societatis hujusmodi, vere et non ficte mendicantes fuisse, esse et fore, et inter aliorum Fratrum et Religiosorum mendicantium ordines, aliosque Fratres et Religiosos mendicantes, prout illos Nos connumeramus, et connumerari debere . . apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo sancimus, volumus et declaramus." 2) Hujus rei interna ratio in eo est, quod Societas ex iis constat, qui sollemniter sunt professi aut qui saltem publica vota emiserunt sive sacerdotes ipsi sint sive coadjutores temporales. Jamvero nec sollemniter professi nec votis publicis ligati ex Societatis Jesu instituto quidquam aut seorsim aut in communi possidere possunt. Qui autem biennio probationis absoluto vota simplicia emittunt, sicut domini privati capaces sunt, ita etiam in communi possidendi per se incapaces non essent; de facto autem Societatis Jesu Scholastici personam juridicam non efformant sicque in communi nihil possident. Quare dominium etiam commune a Societate Jesu omnino exsulat. Jamvero ordinum mendicantium ratio in eo consistit quod nec privata nec communia bona acquirendi aut possidendi capaces sint. 3) Collegia et domus probationum temporalia bona cujusvis generis quidem possidere possunt, ac inde nullum commune exsurgit dominium. Etenim collegiorum et domorum bona non possidentur a communitate personarum sed ipsa potius personae juridicae indolem habent eique personarum juridicarum classi accensenda sunt, quas universitates rerum (ab universitatibus personarum omnino diversae) vocant. Cum hac indole id cohaeret, quod etsi collegia et domus in utilitatem maxime quorundam de Societate sint fundata, nulli tamen *jus* habent ad sustentationem suam ex his bonis accipiendam. Dico: *nulli* de Societate. Etenim non professi aut coadjutores formati: etenim in arbitrio Praepositorum Societatis est eos domibus professis applicare, ut ibi de incerta mendicitate vivant, aut alio eos mittere, licet victum sibi procurare etiam mendicando cogantur. Neque Scholastici aliive, ad quorum sustentationem domus sunt fundatae, jus ad sustentationem ex earum bonis habent; sunt quidem ipsi subjectum utilitatis, non vero subjectum juris, adeoque eadem ratione se habent ad reditus collegiorum et domorum, qua pauperes alicujus civitatis aut pagi ad reditus fundationum quae ex christiana caritate ad eorum paupertati occurrendum sunt factae.

pescuntur in eas, quae regimen quodammodo hierarchicum habent et eas, quae uni soli religioso Superiori subjectae sunt et in Codice vocantur monasteria sui juris.

Scilicet hoc quasi-hierarchicum regimen in eo est, quod omnia membra uni supremo capiti subjiciuntur, qui generalis sive minister sive Superior sive praepositus etc. vocatur, quique per Superiores medios (ministros etc. provinciales) et locales (guardianos, rectores, superiores etc.) integram familiam regit. Vocatur regimen quasi-hierarchicum, quia imitatur hierarchiam Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum in Ecclesia vigentem. Superiores enim locales potestatem jurisdictionis habent similem episcopali, Superiores provinciales similem archiepiscopali, Superiores demum generales similem patriarchali. Ex historia ecclesiastica constat, hanc regiminis formam in Ecclesia potissimum ex saeculo XIII. invectam esse; Ordines enim mendicantes eo tempore orti e. g. Ordo s. Francisci, s. Dominici hanc regiminis formam assumpserunt ipsaque Ordinaria est in familiis virorum religiosorum post illud tempus ortis. Familiae vero regulares ante saec. XIII. fundatae sic potius constitutae esse solent, ut singuli conventus ab invicem sint prorsus segregati nec uni supremo capiti subditi. Concilium autem Lateranense IV. his abbatiis generaliter praescripsit ut omnes ejusdem Ordinis conventus in uno regno aut provincia siti in Congregationem conveniant, quae per generale capitulum regenda est, constituanturque visitatores singulorum conventuum. Haec nempe plurium conventuum in unam congregationem coadunatio in s. Ordine Cisterciensium jam ex longa consuetudine erat in vigore, atque a dicto concilio aliorum quoque Ordinum conventibus applicata est.[1]) Concilium autem Tridentinum hanc Lateranensis praescriptionem innovavit quoad monasteria exempta atque eam etiam poena amissionis exemptionis sancivit.[2]) Congregationes istae in Codice Congregationes monasticae vocantur. (Cfr. supra pag. 13. can. 488. Nr. 2.)

---

[1]) Cf. cap. In singulis 10. De statu monachorum (III. 35; Innoc. III. in conc. Lateran. IV.).

[2]) Cf. Trid. sess. 25. De regularibus et monialibus cap. 8. Attamen ex hoc praescripto non amittitur exemptio monasterii, *nisi metropolitanus institerit*, ut lex Tridentina in usum deducatur. Ita enim poena amissionis exemptionis enuntiatur: „Quodsi etiam metropolitano instante praedicta exsequi non curaverint, Episcopis, in quorum dioecesibus loca praedicta sita sunt, tanquam Sedis Apostolicae delegatis subdantur.“ De hisce Congregationibus cfr. etiam Molitor, Rel. juris cap. selecta. pag. 58., 331., 338. ss.

13. Dein 5) ratione legum secundum quas vivunt, distingui possunt illae familiae religiosae quae tum regulam tum constitutiones sequuntur, et eae quae solum constitutiones habent.

Scilicet a) sub regula quando a constitutionibus distinguitur, intelliguntur generalia magis praescripta vivendi ad perfectionem obtinendam conducentia, dum constitutiones in particularibus praeceptis et normis consistunt. Inde fit, ut Ordines inter se omnino diversi eandem sequantur regulam. b) Quatuor magnae distinguuntur regulae, quae tamquam fundamentum ad quamplurimorum Ordinum constitutiones se habent: regula s. Basilii, s. Augustini, s. Benedicti et s. Francisci. S. Basilii regulam sequuntur non tantum monachi ecclesiae orientalis, Basiliani, sed etiam uterque Ordo Carmelitarum, calceatorum nempe et discalceatorum. S. Augustini regulam adoptarunt tum uterque Ordo qui s. Augustini nomine gloriatur, Ordo scil. eremitarum s. Augustini et Ordo canonicorum regularium s. Augustini, tum quamplurimi alii vita et professione multum diversi e. g. Ordo canonicorum regularium Praemonstratensium, Ordo Praedicatorum (qui ex constitutionibus suis ad mendicantes Ordines pertinet), Ordo Servorum B. M. V., Ordo B. V. M. de mercede redemptionis captivorum, ex Ordinibus militaribus tum Ordo Teutonicorum B. V. M. tum Ordo Melitensis s. Joannis, Ordo fratrum hospitialitatis et infirmis servientium fundatus a s. Joanne de Deo, item Ordo clericorum pauperum Matris Dei scholarum piarum; ex Ordinibus mulierum religiosarum e. g. societas s. Ursulae, Ordo visitationis B. V. Mariae etc. S. Benedicti regulam amplexantur potissimum Ordines monastici v. g. s. Ordo Cisterciensium, Ordo Grandimontensium, Camalduliensum, Olivetanorum; sed et aliqui ex equestribus Ordinibus, ut olim Ordo Templariorum, et Ordo equestris s. Mariae de Calatrava etc. Tandem s. Francisci regulam sequuntur Fratres minores (unionis Leoninae, scil. uniti ex 4 familiis per const. „Felicitate quadam“ 4. Oct. 1897.) dein Conventuales et Ordo Capucinorum c) Constitutiones tantum aut regulas a constitutionibus non distinctas habent e. g. Ordines Carthusiensium, SS. Trinitatis, Societas Jesu, Ordo Minimorum a. S. Francisco de Paula institutus, item Ordo clericorum regularium infirmis ministrantium fundatus a s. Camillo de Lellis.[1])

14. Tandem 6) commemoranda adhuc est divisio familiarum regularium in exemptas et non exemptas. De qua divisione nota: a) Exemptione ab Episcoporum juris-

[1]) Enumerationem Ordinum, qui aut unam de quatuor magnis regulis sequuntur, aut tantum constitutiones habent, cf. apud Barbosa, Jus eccles. universum l. I. cap. 41.

dictione frui possunt non tantum Ordines sed etiam Congregationes atque societates in communi viventium sine votis, nec tantum coetus virorum sed etiam mulierum religiosarum. b) Exemptio monasteriorum mulierum per se duplex esse potest. Quandoque — qui tamen casus rarus est — sic Episcopi jurisdictioni subtrahuntur, ut immediate Romano pontifici subjiciantur, qui per delegatum eas regit. Potissimum vero ab Episcoporum jurisdictione ita eximuntur, ut iis viris regularibus exemptis, quorum regulam et instituta sequuntur, subjiciantur adeoque regularibus Praelatis subdantur.

15. Cum hac distinctione non omnino coincidit altera in religiones juris pontificii et religiones juris dioecesani; nam religiones juris pontificii, quae iam acceperunt decretum laudis ab Apostolica Sede, in tantum eximuntur a jurisdictione Episcopi, in quantum ipse non debet immutare constitutiones nec cognoscere de re oeconomica nec ingerere se in regimen internum. In ceteris autem Congregationes, etiamsi sint juris pontificii, absque speciali privilegio Stae. Sedis non sunt exemptae. (Cfr. can. 618.)

Hic statim addere licebit, quid statuat Codex de *praecedentia* inter diversas religiones: Religiosi praecedunt laicis; religiones clericales, laicalibus; canonici regulares, monachis; regulares, Congregationibus religiosis; Congregationes juris pontificii, Congregationibus juris dioecesani; in eadem specie servetur praescriptum can. 106. Nr. 5. (scil. illa religio praecedit, quae est in pacifica quasipossessione praecedentiae et, si de hac non constet, quae prius in loco, ubi quaestio oritur instituta est). (can. 491. § 1.).

At clerus saecularis praecedit tum laicis tum religiosis extra eorum ecclesias atque etiam in eorum ecclesiis, si agatur de religione laicali; Capitulum vero cathedrale vel collegiale eisdem praecedit ubique locorum. (ibidem § 2.)

Caput II.

Codicis Titulus IX.

De erectione et suppressione religionis, provinciae, domus. (Can. 492. — 498.)

§ 1. De novae Religionis erectione.

16. (99.) Novus Ordo religiosus a solo Romano Pontifice erigi potest econtra Congregatio religiosa etiam per Episcopum condi potest pro sua dioecesi; dicit enim can. 492. § 1.: Episcopi, non autem Vicarius Capitularis aut Vicarius Generalis, condere possunt Congregationes religiosas; sed eas ne condant neve condi sinant inconsulta Sede Apostolica; quod si agatur de tertiariis in communi viventibus, requiritur praeterea, ut a supremo Moderatore primi Ordinis suae religioni aggregentur.

1) Ante Lateranense concilium IV. religionum approbatio non pertinebat ad jura Romano Pontifici reservata. Per concilium autem Lateranense prohibitum est universali lege, „ne quis de cetero novam religionem inveniat".[1]) Proinde quum tantum Romanus pontifex a prohibitione universali exceptionem concedere possit, nova religio inde ab eo tempore institui non potuit absque s. Sedis licentia. Quum dein paulo post idem concilium, ea prohibitione non obstante, variae religiones institutae fuerint, etiam s. Sedis licentia non petita, concilium Lugdunense I. ann. 1274. omnes religiones intra id spatium ortas, quae a s. Sede confirmationem non obtinuerant, revocavit ac sustulit; imo mendicantes Ordines eos, qui a Lateranensis concilii temporibus orti erant, etsi summi Pontificis approbationem obtinuerint, ita restrinxit, ut paullatim debuerint exstingui. Ordines autem mendicantes, qui hac restrictione non afficerentur sed incolumes permanere possent, concilium diserte enumerat.[2]) Dubitari autem nequit, quin reservatio approbationis Romano Pontifici facta non tantum stricte dictos Ordines

[1]) Cap. Ne nimia 9. De religiosis domibus (Innoc. III. ann. 1215).

[2]) Cap. Religionum unic. De relig. domibus in 6. (Greg. X. ann. 1274.)

religiosos sed quaecunque etiam nova religiosa instituta comprehendebat. Id enim ex fine hujus prohibitionis et reservationis deducitur, qui a Lateranensi concilio indicatur „ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat". 2) Postea vero haec lex eatenus in desuetudinem abiit, quatenus Institutum aliquod simplicium votorum etiam perpetuorum approbari ab Episcopo potuit; imo quando tale institutum ad firmiorem suam exsistentiam latioremque suam propagationem a sancta Sede confirmationem petiit, s. Congregationes Romanae postulaverunt, ut antequam Sedes Apostolica quidquam decerneret, episcopalis approbatio praecessisset et Leo XIII. in constitutione „Conditae a Christo" 8. Dec. 1900. hanc praxim approbavit. Attamen Pius X. motu proprio „Dei providentis" 15. Julii 1906. statuit Episcopos talem approbationem concedere non debere nisi venia accepta ab Apostolica Sede.[1]) Ibi etiam accurate describitur, quid in libello supplici ad hanc veniam impetrandam exponendum sit etiam quoad nomen et habitum, ne nomen aut habitus alicuius religionis iam constitutae a nova religione assumatur (Cfr. can. 492. § 3.). Haec lex in Codice renovata est, qui tamen addit talem Congregationem, etiamsi per diversas dioeceses forte diffundatur, non fieri juris pontificii sed manere omnino sub jurisdictione Ordinarii loci (ibidem § 2). Eatenus lex a concilio Lateranensi lata in pleno suo adhuc perdurat vigore, quatenus Ordo religiosus, cujus scil. membra sollemnibus obstringuntur votis, nonnisi ab Apostolica Sede approbari potest; Codex enim juris canonici solum ad fundandas Congregationes Episcopis licentiam dat et insuper hanc legem etiam supponit, cum ad erigendam novam domum Ordinis beneplacitum Apostolicum requirat (can. 497. § 1.). Porro 3) usque adhuc distinxit curiae Romanae praxis inter *laudem finis* seu scopi Instituti et inter *laudem Instituti*. Aliud quippe est laudare intentionem et finem, quem quis sibi prae oculis posuit; aliud laudare medium ad finem consequendum, quod est coetus et societatis ad ipsum obtinendum institutio. Distinguit dein inter *laudem Instituti* et ejus *approbationem*. Prior enim adhuc fuit expers effectuum juridicorum atque eum potissimum habuit finem, ut iis qui Institutum fundarunt, animus addatur ad prosequenda coepta; approbatio autem effectus habuit juridicos ad quos is imprimis pertinuit quod Institutum a Sede Apostolica recognitum sit tamquam juridica persona, nec ab Episcopo ex quibuscunque rationibus ipsi bene visis solvi potuerit. Tandem distinguebatur inter *approbationem Instituti* et *approbationem regularum* seu constitutionum. In priori enim nullatenus approbatio singulorum mediorum continetur, quibus Institutum finem

[1]) Cfr. Acta Pii X. Vol. III. p. 141; Acta Stae Sedis Vol. 39. p. 344.

suum consequi nititur. Singula haec media in regulis continentur, adeoque regularum approbatio ad Instituti approbationem se habet tanquam approbatio singularum normarum vivendi atque perfectionem adnitendi ad approbationem generalis vivendi modi. Constitutiones vero non approbantur, nisi usu et experientia jam fuerint comprobatae atque insuper a s. Congregatione diligenti examini subjectae. Porro in hujusmodi negotiis expediendis omnia a s. Congregatione debent referri summo Pontifici; proinde responsa ipsius, quibus laus aut approbatio Instituti aut regularum continetur, nomine et auctoritate *speciali* summi Pontificis dantur. Imo antequam tale negotium a s. Congregatione inchoetur, summo Pontifici de ipso referendum est.[1]) Hoc igitur nunc inter haec Instituta et Ordines religiosos intercedit discrimen, quod laus et approbatio apostolica talium Institutorum per organum s. Congregationis, fundatio vero religiosorum Ordinum per literas apostolicas sive in minus sollemni forma sive in sollemniori per Bullam fieri solet. Jamvero 4) ratio, ob quam s. Sedes Ordinum regularium approbationem seu erectionem sibi reservavit, quum Institutorum cum votis simplicibus approbatio in Episcoporum potestate sit, non tantum ex historia petenda est, nempe ex modo memorata concilii Lateranensis prohibitione; sed insuper etiam ex effectibus, quos sollemnia vota producunt. Sunt enim irritatio contractuum seu actuum qui votis obstant scil. irritatio contractuum de bonis temporalibus, irritatio matrimonii stante voto contracti et irritatio obligationum personalium a professo susceptarum. Hi autem effectus adeo graves ac radicales sunt, ut ex analogia cum cetero jure nunc vigente nonnisi per s. Sedem votis adjungi possint. Decretum laudis et approbationem etiam Codex juris canonici commemorat (cfr. can. 488. Nr. 3. et 492. § 2.), de laude solius finis silet. Inde vero non sequitur Apostolicam Sedem non posse etiam nunc eodem modo procedere sicut antea fecit et cum laude solius finis incipere. Attamen, ut religio fiat juris pontificii, videtur decretum laudis stricte dictum requiri.

§ 2. De erectione novae provinciae vel domus.

17. Quoad provincias erigendas statuit can. 494. § 1.: „Religionem pontificii juris in provincias dividere, constitutas jam provincias conjungere vel aliter circumscribere, novas condere conditasve supprimere, monasteria sui juris a monastica Congregatione separare et alii unire ad unam pertinet Sedem Apostolicam.“ De provinciis religiosorum

[1]) Cf. Bizzarri, Collectanea etc. Appendix I. pag. 772. s.

juris dioecesani Codex non loquitur. Illae enim difficulter in provincias dividi possunt, cum ab Episcopis pendeant ideoque certe solummodo cum facultate Episcoporum, in quorum dioecesibus domus habent, in provincias dividi possunt. Si autem jam ad multas extenduntur dioeceses, solent jam petere approbationem Sedis Apostolicae et decretum laudis accipere, quo fiunt juris pontificii.

Provinciae religionum juris pontificii antea juxta constitutiones singularum religionum a capitulis generalibus cum vel etiam sine approbatione Sedis Apostolicae erectae sunt (e. g. Capitulum Fratrum Minorum Sti. Francisci anno 1217., Praedicatorum 1220.) deinde doctores ex rationibus theoreticis (causae majores) et tandem praxis Ecclesiae hanc erectionem Sedi Apostolicae reservaverunt. Nunc ergo excepto forte speciali quodam privilegio (cfr. can. 4. et can. 489.) omnis talis immutatio per solam Sedem Apostolicam fieri potest.

18. (100) Ad erigendam novam domum alicuius religionis juris pontificii *exemptam* requiritur 1) beneplacitum Sedis Apostolicae (can. 497. § 1.).

Ante editionem Codicis de necessitate beneplaciti Sedis Apostolicae lis erat inter auctores quoad domos Ordinum regularium. Ad erigendam novam domum alicujus Congregationis votorum simplicium recursus ad Stam. Sedem non erat necessarius. (Cfr. Wernz., Jus decr. III. 2^2. p. 283. s.)

a) Concilium Lateranense IV. occupatum quidem fuerat de conventibus fundandis, at statuerat tantum, ut „qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam et institutionem accipiat de approbatis“.[1]) Lugdunense dein concilium constituit, ut illi Ordines *mendicantes*, qui post annum 1215. a sancta Sede approbationem erant nacti, „nec de novo domum vel aliquem locum acquirant, nec domus seu loca quae habent, alienare valeant sine sedis ejusdem licentia speciali“.[2]) De aliis vero Ordinibus praeter mendicantes in Lugdunensi concilio lex condita non est; imo vero inter Ordines mendicantes constitutio Lugdunensis concilii praeter „Eremitarum sancti Augustini et Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum concilium generale praece-

[1]) Cap. Ne nimia 9. De religiosis domibus (Innoc. III. ann. 1215).

[2]) Cap. Religionum unic. De religiosis domibus in 6. (Greg. X. ann. 1274).

dit" etiam Praedicatorum et Minorum Ordines non complectitur. Attamen b) Bonifatius VIII. mendicantibus quibuscunque interdixit, „ne in aliqua civitate, castro, villa seu loco quocunque ad habitandum domos, vel loca quaecunque de novo recipere, seu hactenus recepta mutare, vel ea venditionis, permutationis, donationis aut cujuscunque alienationis titulo quocunque transferre praesumant absque Sedis Apostolicae licentia speciali". Haec autem prohibitio ex peculiaribus rationibus quae ex regularium mendicantium vita oriuntur, processit adeoque Ordines mendicantes tantum affecit.[1]) Postea c) accessit pro Italia insulisque adjacentibus prohibitio generalis omnes religiosos Ordines afficiens per constit. Innocentii X. „Instaurandae" d. 15. Oct. 1652, qua prohibetur, ne novae domus recipiantur seu fundentur absque Sedis Apostolicae licentia speciali. Imo addit in hac constitutione Innoc. X., intentionem suam esse, quoad eandem rem „etiam ultra Italiam et insulas adjacentes, prout expedire viderimus, providere". Attamen decretum pontificium, quo extra Italiam insulasque adjacentes novi conventus (praeter mendicantes) fundatio interdicitur absque Sedis Apostolicae licentia, editum nunquam est. d) Consuetudo autem, ut auctores testantur, habuit, ut Innocentii X. decretum pro tota Ecclesia vigeret, sicque nulla domus regularis sive mendicantium sive non mendicantium fundari absque s. Sedis licentia posset, nisi Ordo regularis privilegio super hac erectione gauderet.[2])

Ad aedificandam et aperiendam scholam, hospitium[3]) et similis rationis aedes non requiritur beneplacitum Sedis Apostolicae neque, si agatur de religione exempta. (can. 497. § 3.)

Distinctio nunc non adeo fieri debet inter domum Ordinis regularis et Congregationis quam inter domum exemptam et non exemptam. Ad primam erigendam requiritur beneplacitum Sedis Apostolicae ad alteram non

---

[1]) Cap. Quum ex eo unic. De excessibus Praelatorum in 6. (Bonifat. VIII. ann. 1298.) Minus recte hoc caput omnes Ordines regulares. etiam non mendicantes, tangere putat Bened. XIV. De synodo dioec. l. IX. cap. I. n. 9.

[2]) Hoc privilegium e. g. Societati Jesu concessit Paulus III. constit. „Licet debitum" d. 18. Oct. 1549, in qua dicit: „domos, ecclesias, collegia, cellas, oratoria, ubilibet per dictos socios, pro tempore constructa vel eis donata, eo ipso quod aedificata vel donata fuerint, apostolica auctoritate praedicta erecta, approbata et confirmata . . . esse et censeri." (Bull. Rom. ed Luxemb, t. I. pag. 781.)

[3]) Cf. Bened. XIV. De synodo dioec l. c.; Ferreres, Inst. can. I. p. 315.

requiritur (can. 497. § 1. vide supra). Cum autem domus Ordinis regularis sit ipso jure exempta (can. 615.), ideo quae in can. 497. § 1. dicuntur, valent de omnibus domibus Ordinum regularium. Quamvis autem domus non formata alicujus religionis exemptae sub peculiari vigilantia Ordinarii loci maneat (can. 617. § 2.), nihilominus ad ejus erectionem recurrendum est ad Sedem Apostolicam, cum etiam per hanc vigilantiam non omnino desinat esse exempta. Idem valet de fundando monasterio monialium, i. e. domus religiosarum mulierum cum votis solemnibus saltem ex instituto, etsi illa pro aliqua regione ex praescripto Stae Sedis sint simplicia. (can. 497. § 1., 488. Nr. 7.)

In regionibus Sacrae Congregationi de Propaganda Fide subjectis ad erigendam quamlibet domum religiosam beneplacitum Sedis Apostolicae necessarium est.

19. (101) Sicut antea ita et nunc necessaria est 2) venia loci Ordinarii, in cujus territorio domus erigenda est cum hac tamen distinctione:

Si agitur de domo exempta aut de monasterio monialium aut de quacumque domo religiosa in locis Sacrae Congregationi de Prop. Fide subjectis, consensus Ordinarii in scriptis dandus est. In aliis casibus i. e. ad erigendam domum alicujus Congregationis juris dioecesani vel juris pontificii sed non exemptae vel alicujus societatis in communi viventium sine votis item non exemptae, scriptura expresse in Codice non postulatur, sed certe ut res in posterum probari possit, nihilominus saltem multum suadenda est.

Talis licentia Ordinarii certe saltem inde a Concilio Tridentino ubique requirebatur; expresse enim conc. Trid. 25, 3 statuit: „Nec de cetero similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta“. Porro ex antecedentibus concilii verbis evidenter patet, sub locis religiosis hic intelligi quascunque domos regularium sive non mendicantium sive mendicantium. Proinde a fortiori Instituta votorum simplicium Episcopi consensu opus habent pro novi conventus erectione.

20. (102) Antequam vero Episcopus consensum ad novae domus erectionem daret, 1) ipsi constare debuit „in eisdem civitatibus et locis novos hujusmodi erigendos conventus *sine aliorum detrimento* commode sustentari posse“[1]), imo constare debuit conventus denuo erigendos sustentari posse sine detrimento conventuum „etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis“[2]). Hoc quod Clem. VIII. et Greg. XV. statuerant, Urbanus VIII. denuo confirmavit addita revocatione peculiarium privilegorium, quae aliqui religiosi Ordines quoad hoc impetraverant[3]). Quapropter a) si Episcopo constitit Regulares novum conventum fundare volentes simul cum aliis religiosis familiis in ea civitate aut intra dictum spatium jam exsistentibus honeste sustentari posse, regulares Superiores audire non obligatus fuit. Quodsi vero b) id ei non constitit, Superiores conventuum jam existentium vocare et audire debuit, nec si eorum rationes contrarias veritati consonas deprehendisset, novi conventus erectionem permittere debuit. Tamen c) regulares jam exsistentes novi conventus fundationi legitime se opponere nequiverunt nisi ex causis ad suam honestam sustentationem spectantibus. d) Quando regulares jam exsistentes contra Episcopi decretum de novi conventus erectione interposuerunt appellationem, ipsa effectum habuit suspensivum atque acta interim ab Episcopo facta irrita fuerunt.[4]) e) regulares autem mendicantes et insuper aliqui etiam non mendicantes peculiare acceperunt privilegium, ut intra certum spatium a suo conventu alius regularis conventus, sive mendicantis Ordinis ipse sit sive non mendicantis, erigi non posset ab Episcopo.[5])

---

[1]) Clem. VIII. Constit. „Quoniam ad institutum“ d. 23. Julii 1603. (Bull. Rom. ed Luxemb. t. III. pag. 162). Cfr. Wernz, Jus decr. III. 2². pag. 286. Nr. 20. 21.

[2]) Greg. XV. Constit. „Quum alias“ d. 27. Aug. 1622. (Bull. Rom. ib. pag. 480).

[3]) Urbanus VIII. Constit. „Romanus Pontifex“ d. 28. Aug. 1624. (Bull. Rom. t. IV. pag. 62).

[4]) Cf. Clem. VIII. et Greg. XV. constitutiones supra citatas. Dubitari autem nequit, quin Superiores omnium Ordinum regularium sive mendicantium sive non mendicantium vocandi et audiendi sint, de quocunque novo conventu mendicantium aut non mendicantium agatur; verba enim legis generalia sunt ac finis legis hanc extensionem omnino universalem saltem aliquatenus requirit.

[5]) Hoc, quod cannarum privilegium dicitur, Clem. IV. Constit. „Ad consequendam“ d. 20. Nov. 1265 primum concessit Ordini Minorum s. Francisci, statuens ut intra spatium 300 cannarum alius conventus Ordinis mendicantis fundari nequeat. Posteriores Pontifices simile privilegium aliis Ordinibus mendicantibus concesserunt cum determinatione 140 cannarum, ad quem numerum etiam privilegium Ordinis

Codex quidem tales solemnitates non commemorat[1]) sed in canone 496. solum dicit: „Nulla religiosa domus erigatur, nisi judicari prudenter possit vel ex reditibus propriis vel ex consuetis eleemosynis vel alio modo congruae sodalium habitationi et sustentationi provisum iri.“ Plerumque autem Episcopo, ut ei de congrua religiosorum sustentatione constare possit, etiam nunc similis interrogatio necessaria erit, neque decreta citata legibus Codicis contraria sunt, quapropter et in posterum observari poterunt. Obligatio eas observandi in tantum vero existit, in quantum forte aliqua religio speciale hac de re acceperit privilegium.

2) Etiam parochi consensum requiri aliqui auctores affirmarunt.[2]) Provocaverunt nempe ad constit. Clem. VIII., secundum quam ad novi conventus erectionem Episcopo procedere non licuit, „nisi vocatis et auditis aliorum in eisdem civitatibus et locis exsistentium conventuum Prioribus seu procuratoribus *et aliis interesse habentibus*“: putaverunt scilicet inter hosce alios interesse habentes comprehendi parochum ejus loci. Cum in Codice nihil hac de re inveniatur, certe nunc talis disputatio non est amplius practici momenti. Quodsi vero in aliquo particulari casu Episcopus parochi jura diminuere intenderet e. g. auferendo ab ecclesia parochiali jus sepeliendi, jus Sacramenta administrandi etc. et haec jura ad conventum regularem fundandum transferendo, parochus quidem legitime sese opponere posset, attamen non contra conventum fundandum sed contra conventum his juribus ditandum. Quapropter in hoc casu parochus etiam viam appellationis inire potest non contra conventus fundationem sed contra jurium parochialium a sua parochiali ecclesia ad regularium ecclesiam translationem. Episcopus autem certe potest justa et gravi de causa religiosas familias et pias domos, quae in paroeciae territorio sint et a jure non exemptae, a parochi cura subducere (can. 464. § 2.).

---

s. Francisci nunc restrictum est. Cf. Card. Petra Comment. in constit. apostol. t. III. pag. 422. Nunc autem hoc cannarum privilegium sic viget, ut etiam contra non-mendicantes Ordines valeat. Societas Jesu hoc privilegio item gaudet; ipsi autem licitum est aedificare intra spatium etiam 140 cannarum prope quemcunque conventum etiam Ordinis mendicantis ex constit. Greg. XIII. „Salvatoris“ d. 30. Oct. 1576. (Bull. S. J. ed. Florent. pag. 63.)

[1]) Ideo neque Ferreres, Inst. can. I. p. 315. neque Pöschl, kurzgef. Lehrb. d. kath. Kirchenrechts. II. p. 264. s. eas commemorat.

[2]) Ita Pignatelli, Consultat. canon. t. I. cons. 179. n. 52.

3) Praescriptus antea per Gregorium XV. pro certo casu incolarum loci censensus[1]) in Codice juris canonici nullo modo commemoratur, proinde abrogatus est (cfr can. 6. Nr. 6.).

21. (103) Quoad numerum religiosorum 1) praescriptum Concilii Tridentini sess. 24. Cap. 3., ut in domibus regularibus „tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus is tantum numerus constituatur ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis monasteriorum vel ex consuetis eleemosinis commode possit sustentari" cum immutatione, quam addit can. 496. scil. posse etiam alio modo provideri, videtur etiam nunc observandum esse; sustentatio enim commoda religiosorum ab eorum numero certe multum pendet.

2) Aliter censendum videtur de numero duedenario, quem Codex non amplius requirit; sex enim religiosi jam constituunt domum formatam (can. 488. Nr. 5.). Imo etiam domus non formata non est sub omnimoda jurisdictione Ordinarii loci, sicut statuerat Gregorius XV.[2]) et Urbanus VIII. decreto „Quum saepe contingat" 21. Junii 1625. § 14.[3]) de parvis conventibus regularium sed solum sub ejus „peculiari vigilantia", quatenus, si abusus irrepserint et fidelibus scandalo fuerint, ipse per se possit interim providere (can. 617. § 2.).

22. Specialis aliqua dependentia ab Episcopo statuitur quoad Congregationes juris dioecesani, si domus aliqua in alia dioecesi erigenda sit. Requiritur enim consensus utriusque Ordinarii loci et, si jam per plures dioeceses diffusa sit, necessarius est consensus illius Ordinarii, in cujus territorio domus princeps habetur et illius, in cujus dioecesi nova domus fundanda est (can. 495. § 1.). In casu transmigrationis ex una dioecesi in aliam non

---

[1]) Constit. „Quum alias" cit. § 3.

[2]) Ibid.

[3]) Bull. Rom. ed. Luxemb. t. IV. pag. 92.

licet aliquid immutare de legibus talis Congregationis, nisi *omnes* Episcopi, in quorum territorio domus existunt consentiant. Hoc modo videntur verba canonis 495. § 2. „nisi de consensu singulorum Ordinariorum etc." intelligenda; certe enim non vult canon citatus, ut eadem Congregatio in una dioecesi aliis legibus vivat quam in alia, ergo „singuli" in nostro casu sunt etiam omnes. Illa autem, quae in prima consultatione Stae. Sedis ante erectionem Congregationis de instituto jam proposita fuerunt, inconsulta Apostolica Sede non licet immutare; dicit enim can. 495. § 2. in fine: „salvis iis, quae ad normam can. 492. § 1. Sedi Apostolicae fuerunt subiecta".

23. Religiones *clericales*, quae ab Ordinario facultatem impetrarunt ad fundandam novam domum in aliqua dioecesi vel urbe, eo ipso quidem simul acceperunt jam permissionem ad fabricandam ecclesiam vel oratorium publicum (can. 497. § 2.). Cum tamen Episcopi sit decernere, num conveniat *in determinato loco* aedificare ecclesiam, quoad hoc iterum requiritur licentia ipsius (can. 1162. § 4.). Certe si Ordinario loci simul cum petitione ad erigendam novam domum proponatur etiam locus, in quo domus et ecclesia aedificandae sint, utraque licentia simul dabitur. Insuper religiones clericales cum ipsa permissione erectionis domus acquirunt etiam jus sacra ministeria peragendi, nisi specialis quaedam conditio in ipsa permissione apposita sit. Similiter omnes religiones opera pia juxta proprium institutum peragere eo ipso possunt (can. 497. § 2.). Ad aperiendam vero scholam specialis Ordinarii loci licentia in scriptis requiritur (ibidem § 3.).

24. (104) Quae antea de monialium conventibus jam ex consuetudine observabantur, nunc lege sunt sancita. Postulatur enim in omni casu, etiamsi domus non sit exempta, et etiamsi vota illarum pro aliqua regione non sint sollemnia, tamen beneplacitum Sedis Apostolicae, ut novum monasterium erigi possit (can. 497. § 1., 488. Nr. 7.).

Quoad erectionem alicujus domus religiosarum votorum simplicium Codex nihil omnino speciale habet, ideo eodem jure reguntur ac domus virorum (can. 490.).

§ 3. De suppressione et immutatione religionis aut domus religiosae.

25. De suppressione religionis dicit can. 493.: „Quaelibet religio etiam juris dioecesani tantum, semel legitime condita, etiamsi unica domo constet, supprimi nequit nisi a Sta. Sede, cui etiam reservatur de bonis in casu statuere, semper tamen salva offerentium voluntate." — Unicus modus, quo aliqua religio desinere possit, in Codice commemoratus est suppressio per Stam. Sedem, ideo tamen mera cessatio deficientibus omnibus sodalibus non videtur exclusa; nam si nullum amplius restet membrum societatis et perierint etiam bona temporalia, religio videtur exstincta, ita ut novo actu auctoritatis ecclesiasticae opus sit, si quis postea in ea vivere velit, cum nemo eum admittere possit. Certo autem omnino desiit, si talis status per 100 annorum spatium perduravit (can. 102. § 1.).

Quod valet de tota religione hoc etiam de provinciis religionum juris pontificii statuit can. 494. scil. illas nec aliter circumscribi, nec conjungi nec supprimi posse nisi a Sede Apostolica cum aliqua tamen differentia quoad bona temporalia. De bonis exstinctae provinciae enim statuere, salvis justitiae legibus et fundatorum voluntate, spectat non ad Stam. Sedem sed ad Capitulum generale vel extra tempus Capituli ad Moderatorem generalem cum suo Consilio, nisi constitutiones aliud caveant (can. 494. § 2.).

Quoad suppressionem singularum domorum distinguit can. 498.: 1) Si domus pertinet ad religionem exemptam, requiritur beneplacitum Sedis Apostolicae (etiamsi domus non sit formata), — 2) si ad religionem juris pontificii non exemptam, suppressio spectat ad supremum Moderatorem cum consensu Ordinarii loci, —

3) si pertinet ad Congregationem juris dioecesani, ad Ordinarium loci audito Congregationis Moderatore, nisi agatur de unica domo religionis, ita ut cum domo eo ipso tota religio supprimatur (cfr. supra can. 493.). Religiosi contra Episcopi decretum suppressionis possunt recurrere ad Stam. Sedem, ita ut suppressio ante decisionem Sedis Apostolicae effectum non habeat (can. 498. in fine).

Ad immutationem alicujus domus jam constitutae, ut illa in alios usus convertatur, requiruntur eaedem solemnitates, quae ad erectionem necessariae sunt, excepto solo illo casu, quod conversio talis sit, quae ad solum internum regimen et disciplinam religiosam spectet (can. 497. § 4.).

Caput III.

Codicis Titulus X.

De religionum regimine

(can. 499.—537.)

Art. I.

De Superioribus et Capitulis.

(can. 499.—517.)

26. (105) Codex Juris Canonici incipiens agere de regimine religiosorum imprimis agit de aliquibus personis, quae quamvis ipsae extra coetum religiosum versentur, tamen autoritate in eum et in singulos religiosos instructi esse possunt.[1]) Tales personae sunt:

1. Romanus Pontifex, cui omnes religiosi, ut est de fide, ratione jurisdictionis universalis subduntur. In-

[1]) Cfr. Ferreres. Inst. can. I. pag. 318. Nr. 808.; Pöschl, Kurzgefaßtes Lehrbuch des kathol. Kirchenrechts auf Grund des neuen kirchl. Gesetzbuches. II. pag. 261.

super autem can. 499. § 1. solvit quaestionem antea inter auctores disputatam[1]) affirmans Sumum Pontificem posse religiosis omnibus etiam vi voti obedientiae imperare. Num eo ipso etiam potestatem dominativam in religiosos habeat, vide infra Nr. 36.

De *Congregatione Romana*, per quam ipse negotia religiosorum tractare solet, agit can. 251. dicens: § 1. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita ea sibi exclusive vindicat, quae respiciunt regimen, disciplinam, studia, bona et privilegia religiosorum sodalium utriusque sexus tum sollemnibus tum simplicibus votis adstrictorum, eorumque, qui qamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum itemque tertiorum Ordinum saecularium, incolumi jure Congregationis de Prop. Fide. — § 2. Quapropter, quaestionibus Ordine judiciario tractandis ad tribunal competens remissis et incolumi semper jure Congregationis S. Officii et Congregationis Concilii circa negotia ad ipsas spectantia, haec Congregatio quaestiones omnes suae competentiae in linea disciplinari dirimit; sed si quaestio vertatur inter religiosum sodalem et personam non religiosam, ipsa, praesertim ad instantiam partis, potest quoque, si aequum judicaverit, eandem quaestionem ad aliam Congregationem aut tribunal remittere. — § 3. Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a jure communi pro sodalibus religiosis, firmo praescripto can. 247. § 5, (id est dipensatio a jejunio Eucharistico pro sacerdotibus Missam celebrantibus spectat ad S. Officium.).

2. Cardinalis Protector alicujus religionis per se nullam habet jurisdictionem, neque vi voti obedientiae imperare potest, solum in particularibus casibus, si id expresse statuatur, aliqua jurisdictione pollere potest (can. 499. § 2.).

[1]) Cfr. Vermeersch, De religiosis institutis et personis. I, pag. 232. Nr. 388.

3. Ordinarius loci de jure communi suam jurisdictionem etiam in religiosos exercere postest, nisi illi per privilegium apostolicum eximantur. Tale privilegium pro regularibus jam per ipsum Codicem confertur (can. 615.). Nihilominus aliquam jurisdictionem in casibus in jure expressis etiam in exemptos retinet (can. 500. § 1.)

Religio virorum ex speciali apostolico indulto (sed non aliter) potest sibi subditas habere religiosas Congregationes mulierum. Moniales vero quaedam ex praescriptione constitutionum sunt sub jurisdictione Superiorum regularium (can. 500. §§. 2. 3.).

Regimen, quo religiosi coetus reguntur, etsi antiquoribus temporibus diversas habuerit formas,[1]) nunc formam monarchicam habere solet, temperatam tamen aut aristocratica forma aut democratica. Supremum enim regimen solet in monasteriis sui juris penes Abbates esse, qui in variis negotiis majoris momenti non solum consilium sed etiam consensum sui Capituli exquirere tenentur, adeo ut hoc regimen monarchicum cum democratico mixtum dici debeat. In religionibus vero, quae ecclesiasticam hierarchiam in diversis Superiorum gradibus imitantur, monarchica regiminis forma cum aristocratica potius mixta esse solet, quatenus Praelati tam medii quam supremi saltem leges proprie dictas, quae subditos obligent, condere nequeant,

---

[1]) Ita in Ordine s. Benedicti ex primitiva regula formam regiminis mere monarchicam viguisse auctores (cf. Pellizzar. Manuale regul. tract. 9 cap. 1. n. 3.) ex cap. 3. regulae s. Benedicti deducunt, quum ex ea Abbas independens a consensu Capituli fuerit, etsi consilium Capituli exquirere debuerit. Ordinem s. Basilii secundum aristocraticam formam regi, deducit idem auctor cum aliis ex regulae fusius tractatae c. 53. Ordo Eremitarum s. Augustini formam quidem monarchicam habet, attamen multum aristocratia temperatam, ut ex Pauli V. constit. „Provisionis nostrae“ § 3. ss. d. 27. Nov. 1614 apparet (Bull. Rom. ed. Luxemb. t. III. pag. 383). Regimen autem aristocraticum seu oligarchicum in Ordine clericorum regularium infirmis ministrantium, qui a s. Camillo de Lellis fundatus est, viget, ut ex Greg. XIV. constit. „Illius qui“ § 5. d. 21. Sept. 1591 (Bull. Rom. ed. cit. tom. II. pag. 778 s.) patet.

quum jus leges condendi Capitulis aut Congregationibus generalibus competat, atque Praelati religionem potius secundum leges ab hisce Capitulis seu Congregationibus latas regere teneantur; imo in aliis quoque negotiis, juxta diversas religionum constitutiones, a consilio aut consensu quorundam potiorum membrorum, quae quasi aristocratiam religionis constituunt, dependere soleant.

27. (106) Religiosi omnes per Superiores religiosos reguntur, qui si sint clerici et jurisdictionem ordinariam etiam in foro externo habent, Praelati vocantur (can. 110.). Jam vero in religione clericali exempta Superiores et Capitula jurisdictionem ecclesiasticam tam pro foro interno quam pro foro externo habent (can. 501. § 1.). Porro in religionibus, qui quasi hierarchicum regimen habent, Superiores supremi, intermedii et infimi seu locales distinguuntur. Praelati Supremi et intermedii i. e. Moderatores generales et Superiores provinciales eorumque Vicarii Superiores majores in Codice vocantur (can. 488. Nr. 8.). Vicarii videntur intelligendi ille, qui defuncto vel impedito Generali (Vicarius generalis) vel Provinciali (Viceprovincialis) ejus vices gerit vel qui defuncto Abbate monasterium sui juris regit etc., non autem e. g. qui solummodo quandoque in singulis casibus nomine Praelati viventis et munere suo fungentis aliquid agere possunt, ut e. g. Prior in monasterio sui juris,[1]) Vicarius nomine Quardiani etc. Superiores locales (exceptis illis, qui monasterium sui juris regunt) etiam Superiores minores vocantur (cfr. can. 505.). Omnes autem Superiores religiosi sicut et Capitula etiam in Congregationibus non exemptis dominativam potestatem in subditos habent (can. 501. § 1.). In religionibus clericalibus non exemptis Superiores ex praescriptis ipsius Codicis Juris Canonici jurisdictione ecclesiastica in foro externo quidem non gaudent, proinde

[1]) Videtur tamen esse Superior major „Prior conventualis", ut aiunt. Cfr. Molitor, Religiosi juris capita selecta. Ratisbonae, Pustet, 1909. pag. 503. Nr. 471.

potestatem ordinariam jurisdictionis non habent, tamen nullo modo est prohibitum, quominus Episcopus ipsis aliquam partem suae jurisdictionis deleget, si ei ita placuerit.

Generatim omnes Superiores religiosi non ad vitam sed ad certum tempus sunt constituendi, sed si constitutiones aliquid aliud praescribunt, standum est Constitutionibus; sic enim sonat can. 505.: „Superiores majores sint temporarii, nisi aliter ferant constitutiones; Superiores autem minores locales ne constituantur ad tempus ultra triennium; quo exacto, possunt ad idem munus iterum assumi, si constitutiones ita ferant, sed non tertio immediate in eadem religiosa doma." Proinde Superiores locales ad summum per 6 annos continuos munere suo fungi possunt.

28. Supremus religionis Moderator potestatem obtinet in omnes provincias, domos, sodales religionis exercendam secundum constitutiones; alii Superiores ea gaudent intra fines sui muneris (can. 502.). Inde patet potestatem Moderatoris generalis (nisi constitutiones aliter statuant) esse immediatam et non mediantibus Superioribus ipso inferioribus, ita ut etiam in singulos sodales tum jurisdictionem tum potestatem dominativam exercere possit. Simile quid valet de Superioribus majoribus infra generalem pro sua provincia. Notandum tamen hoc non ita esse intelligendum de Abbate Primate vel de Superiore Congregationis monasticae, quorum potestas et jurisdictio in Codice non describitur sed potius desumenda est ex propriis constitutionibus et ex peculiaribus Stae. Sedis decretis (can. 501. § 3.). Sulummodo quae de potestate judiciali illorum Abbatum valent, jam in ipso Codice determinantur (cfr. cann. 655., 1579., 1594. § 4.).

Superiores majores in religionibus clericalibus exemptis pro negotiis ecclesiasticis suae religionis possunt etiam *notarios* constituere (can. 503.), districte autem omnes Superiores religiosi prohibentur, quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant (can. 501. § 2.).

§ 1. *De Superiorum religiosorum constitutione.*

29. (108) Quoad qualitates requisitas[1]) in eis, qui Superiores religiosi eligendi aut promovendi sint, 1) Codex praescribit *certam aetatem* et quidem pro moderatore generali aut de Antistita in aliquo monasterio monialium 40 annos, pro aliis Superioribus majoribus saltem 30 annos expletos. — 2) requiritur ut *professionem emiserint* in eadem religione, in qua Superiores sint creandi et quidem *a 10 saltem annis* a prima professione computandis. Cum prima professio secundum Codicem sit simplex et temporaria tantum (can. 574.), patet a professione illa decem annos esse computandos. — 3) Ii qui *ex illegitimis* descendunt *natalibus*, etsi per professionem irregularitas ex defectu cesset (can. 984. Nr. 1.), tamen ad munus Superioris majoris inhabiles manent. Hae solae inhabilitates a canone 504. statuuntur. Pro munere Superioris localis seu minoris vero istae locum non habent. Cum tamen praescripta canonis 504. valeant „firmis cujusvis religionis constitutionibus, quae provectiorem aetatem aliaque potiora requisita exigant", ad constitutiones singularum religionum est recurrendum vel ad alios canones, si officium aliquod Superioris speciales dotes requirat sic: — 4) Cum Praelaturae regulares adnexam habeant curam animarum, sequitur ad ipsas promoveri non posse nisi sacerdotes (cfr. can. 154.) Etiam haeretici (scil. qui *fuerunt* haeretici) et filii haereticorum in tantum sunt inhabiles ad officia Superiorum, in quantum propter irregularitatem ex delicto (can. 985. Nr. 1.) vel impedimentum (can. 987. Nr. 1.) ab ordinatione arcentur. — 5) Qui *voce passiva privati* sunt (sunt autem iidem, qui voce activa privantur, cfr. hac de re intra Nr. 31, 5. Anm. 1. p. 44.) vel *inhabiles ad omnia officia ecclesiastica* vel saltem ad certum officium, patet etiam non posse constitui Superiores

[1]) Ferreres, Inst. can. I. p. 319, Pöschl, Kurzg. Lehrbuch d. k. Kirchenr. II. p. 292. Jus antiquum cfr. e. g. apud Wernz, Jus decretalium III. 2ª. pag. 390. Nr. 686. Scherer, Handb. d. Kirchenr. II. p. 758.

religionum. Inhabilis vero est *ipso facto*: a) qui electioni suae consenserit, si ei laici vel saecularis potestas sese illegitime contra libertatem canonicam immiscere praesumpserint, ad officium, de quo agitur (can. 2390. § 2.) — b) qui officium propria auctoritate occupaverit, vel ad illud electus in ejus regimen seu administrationem se ingesserit, antequam necessarias litteras confirmationis acceperit easque illis ostenderit, quibus de jure debet (can. 2394. § 1.) — c) qui scienter acceptat collationem officii, beneficii, vel dignitatis de jure non vacantis (can. 2395.) — d) infames (can. 2294.). — Inhabiles *declarandi* sunt: a) clerici usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia (can. 2345.). — b) Speciatim addit can. 2413. § 1.: Antistitae, quae post indictam visitationem religiosas in aliam domum, Visitatore non consentiente, transtulerint, itemque religiosae omnes sive Antistitae sive subditae, quae per se vel per alios directe vel indirecte, religiosas induxerint, ut interrogatae a Visitatore taceant vel veritatem quoquo modo dissimulent aut non sincere exponant, vel eisdem ob responsa, quae Visitatori dederint, molestiam sub quovis praetextu attulerint, inhabiles ad officia assequenda, quae aliarum regimen secum ferunt, a Visitatore declarentur et Antistitae officio, quo funguntur, priventur. — § 2. Quae in superiore paragrapho praescripta sunt, etiam virorum religionibus applicentur. — 6) *Procuratio suffragiorum* sive directa sive indirecta tum pro se tum pro alio in Codice quidem religiosis expresse interdicitur (can. 507. § 2.); inhabilitas vero ad officium Superioris pro delinquente contra hanc legem non statuitur, ideo non est asserenda, nisi in constitutionibus religionum aliter cautum sit, quod quandoque obtinet.

Quae antea Concilium Tridentinum statuerat de aetate et professione praepositae monialium (Conc. Trid. sess. 25. Cap. 7.), et etiam quae praescripserant Clemens V. de inhabilitate ad omnia officia quoad illos, qui ab aliquo ordine mendicantium ad religionem non mendicantem transi-

erunt[1]) et Paulus IV. de inhabilitate regularis Episcopi, qui abdicato Episcopatu ad Ordinem rediit[2]), sunt omnia per Codicem Juris Canonici abrogata seu juxta prius jam dicta immutata (can. 6. Nr. 6.).

30. (107) Quoad modum constitutionis Superiorum religiosorum non habetur generalis lex hunc modum determinans, potest ergo Superior constitui tum collatione officii per ipsius Superiorem tum per electionem Capituli, prout in singularum religionum constitutionibus praescribitur. Solent autem religionum constitutiones praescribere electionem potissimum pro Moderatore supremo, multae etiam pro Superioribus intermediis, aliquae pro infimis.[3]) Jam quoad has electiones[4]) quaeritur, qua forma fieri debeant. Respondendum est: Servanda est forma, quae generatim in Codice praescripta invenitur.[5]) Hoc enim postulat can. 507. § 1. Constitutiones singularum religionum in tantum sunt attendendae, in quantum hisce legibus non sunt contrariae. Cum can. 169. § 1. statuat nullitatem suffragii, nisi sit secretum, certum, absolutum, determinatum, modus electionis per „quasi-inspirationem“, qui antea permittebatur, nunc, cum sit publicus, non amplius adhiberi potest nec a religiosis nec ab aliis. Compromissum autem certe etiam a religiosis adhiberi potest, cum in can. 172. (qui etiam includitur in cann. 160.—182. citatis a can. 507.) expresse permittatur.[6])

---

[1]) Sic statuitur in Clem. 1. De Regularibus (III. 9.)

[2]) Constitutio Pauli IV. „In sacra“ d. 19. Julii 1599. (Bull. Rom. ed. Luxemburg. I. 843.)

[3]) In Societate Jesu est unica suprema Praelatura seu Generalatus, qui per electionem confertur; aliae electiones non spectant ad Praelaturas sed ad alia sive permanentia sive transeuntia munera.

[4]) Ferreres. Inst. can. I. pag. 319. Nr. 811; Pöschl, Kurzgef. Lehrb. d. k. Kirchenr. II. pag. 292.

[5]) Can. 160.—182. cf. cap. 42. De electione (I. 6.; Innoc. III. ann. 1215). Conc. Trid. sess. 25. cap. 6.

[6]) Can. 172. § 1. Electio nisi aliud caveatur, fieri etiam potest per compromissum, si nempe electores, unanimi et scripto consensu, in unum vel plures idoneos sive de gremio sive extraneos jus eligendi

Hoc modo finis imponitur omnibus disputationibus, quae antea instituebantur de modo, quo applicari debeat jus commune pro electionibus religiosorum. Primo enim attendendum erat ad constitutiones et jus commune solum ad defectus supplendos adhibebatur. Cum autem Conc. Trid. sess. 25. Cap. 6. electionem per vota secreta praescripsisset, disputarunt auctores num valeat compromissum et electio per „quasi inspirationem“ et solebant admittere solum sic dictum „compromissum limitatum“[1]) affirmantes compromissum non esse modum sufficienter secretum, ut satisfiat legi Tridentinae.

31. (109) De iis, qui jus habent concurrendi ad electiones religiosorum, haec animadvertimus: 1) Ipsi debent esse professi et quidem, cum professio tacita omnino sublata sit (can. 572. § 1. Nr. 5.), expresse; atque ex jure religiosorum communi sufficit professio simplex. Nec ex eodem jure communi certum tempus a professione elapsum requiritur, ut professus jure eligendi potiatur. Tamen ex

---

pro ea vice transferant, qui nomine omnium ex recepta facultate eligant. — § 2. Si agitur de clericali collegio, compromissarii debent esse sacerdotes, secus electio est invalida. — § 3. Compromissarii debent pro validitate electionis conditiones compromisso appositas, quae non sint contra jus commune, observare; si nullae conditiones additae fuerint, servandum est ipsis jus commune circa electiones; conditiones autem contra jus pro non appositis habeantur. — § 4. Si ab electoribus in unam tantum compromissum fuerit personam, haec nequit se ipsam eligere; si plures designati fuerint compromissarii, nemo ex iis proprio consensu potest accedere reliquis se ipsum eligentibus ut electionem sui compleat. — Can. 173. Cessat compromissum et jus eligendi redit ad compromittentes: 1. Revocatione a collegio facta, re integra; — 2. Non secuta aut non servata aliqua conditione compromisso apposita; — 3. Electione absoluta, si fuerit nulla.

[1]) Cf. Piatus Mont. II. pag. 8. — Compromissum autem quod limitatum dicitur, et in eo consistit, ut unus aut plures eligantur a majori omnium suffragantium numero compromissarii, qui eum eligere ad Praelaturam tenentur, pro quo major omnium suffragantium pars stat; hoc compromissum electionis formam adhuc validam constituisse affirmant Piatus Mont. II. pag. 9, Reiffenstuel, De electione n. 78. Haec compromissi limitati species in multis Ordinibus vigere dicitur.

constitutionibus aut consuetudinibus multorum Ordinum certa professionis aetas exigitur. Haec autem nunc computanda est a tempore simplicis imo temporariae (can. 578. Nr. 3.) professionis emissae. Proinde si neque ex constitutionibus neque ex consuetudinibus certi professionis anni requiruntur, simplicium votorum professi statim ab hac professione emissa jus ad electiones concurrendi obtinent non autem a votis temporariis, nisi aliter in constitutionibus caveatur (can. 578. Nr. 3.). 2) Praeterea oportet, ut de communitate sint, quae Superiorem sibi eligit, neque potest ullus collegio extraneus ad suffragium admitti, nisi habeat privilegium jam ante editionem Codicis legitime quaesitum. Si talis contra legem admittitur, electio ipso facto est nulla (can. 165.). 3) Absentes nec per epistolam neque per procuratorem suffragium ferre possunt, nisi constitutiones aliter caveant (can. 163.) Praesentes vero in domo electionis, in qua fit electio, qui ob infirmam valetudinem electioni interesse nequeunt, ita suffragium ferre possunt, ut scrutatores illud ab eis scriptum exquirant, nisi aliter particularibus legibus vel legitimis consuetudinibus fuerit constitutum (can. 168.). 4) Codex expresse ab omnibus electionibus ecclesiasticis excludit: 1. Incapaces actus humani; 2. Impuberes (i. e. pueri ante 14., puellae ante 12. annum expletum (can. 88. § 2.); 3. Censura vel infamia juris[1]) affectos post sententiam declaratoriam vel

[1]) Infames infamia juris sunt ipso facto: Apostatae, haeretici, schismatici, si sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint (can. 2314. § 1. Nr. 3.), Species consecratas abiicientes vel ad malum finem abducentes (can. 2320.), violantes cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem (can. 2328.), violentas manus iniicientes in personam Romani Pontificis vel Cardinalis vel Legati Romani Pontificis (can. 2343.), duellantes eorumque patrini (can. 2351.), bigami (can. 2356.) laici legitime damnati ob delicta contra sextum cum minoribus infra aetatem 16 annorum vel stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium (can. 2357.). Infames declarandi sunt clerici, si eadem delicta commiserint vel etiam adulterium aut bestialitatem (can. 2359.); apostatae, haeretici, schismatici, nisi moniti resipuerint (can. 2314. § 1. Nr. 2.).

condemnatoriam. Si scienter admittatur excommunicatus, tota electio est nulla; 4. Qui sectae haereticae vel schismaticae nomen dederunt vel publice adhaeserunt, etiamsi nulla praecesserit sententia declaratoria excommunicationis vel infamiae juris. 5. Carentes voce activa sive ob legitimam judicis sententiam sive ex jure communi aut particulari.[1]) Si tamen unus ex praedictis admittatur (excepto casu, quo scienter admittatur excommunicatus declaratus) electio non est ipso jure invalida, sed ejus suffragium est nullum et, si dempto illo ellectus non retulisset requisitum suffragiorum numerum, ejus electio non valet (can. 167.). — Nulla in posterum irregularitas jus suffragii auffert, quod usque nunc fieri potuit.[2]) 5) In religionibus clericalibus fere semper praescribitur ut electores sint clerici adeoque saltem tonsura clericali initiati. Praescriptum vero Concilii Tridentini, quo ad vocem in Capitulis habendam etiam in „regularibus ecclesiis“ ordo subdiaconatus requiritur, in Codice non est renovatum. Tamen in multis Ordinibus consuetudo praescriptis Codicis nullo modo contraria, ut ad electiones non admittantur nisi subdiaconi

[1]) Voce activa et passiva privandi sunt: Religiosi conspirantes contra auctoritatem Romani Pontificis ejusque Legati vel proprii Ordinarii aut contra eorum legitima mandata et subditos provocantes ad inobedientiam erga ipsos (can. 2331. § 2.), leges, mandata vel decreta edentes contra libertatem Ecclesiae aut nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus (can. 2336. § 1.), religiosi introducentes vel admittentes mulieres in regularium clausuram (can. 2342. Nr. 2.), fabricatores vel falsarii literarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem scienter utentes (can. 2360. Nr. 2.), sollicitantes ad peccata turpia in confessione vel ejus praetextu etc. (can. 2368. § 1.), religiosi legem vitae communis constitutionibus praescriptae in re notabili violantes et moniti non emendati (can. 2389.). Ipso facto autem voce activa et passiva privati sunt: Qui indultum exclaustrationis ab Apostolica Sede impetravit, perdurante tempore indulti (can. 639.), saecularisati, cum sint separati a religione (can. 640.), apostatae a religione etiam post reditum (can. 2385.).

[2]) Cf. cap. Js qui 18 § ls vero De sentent. excommunicationis in 6; Schmalzgruber, De electione n. 14; Piatus Mont. II. p. 15. Wernz, Jus decretalium III. 2[2]. pag. 390.

si jam vim legis obtinuerit, etiam nunc servari potest. Multo magis, si hoc in ipsis constitutionibus praescribitur (cfr. can. 489. et 507.). In religionibus vero non clericalibus (non obstante can. 166., qui prohibet sub poena invaliditatis electionis, ne laici contra canonicam libertatem sese immisceant electionibus ecclesiasticis) tum laici tum etiam mulieres jus suffragii habent.

32. (110) Tandem de circumstantiis electionis haec notatu digna sunt: 1) Pro electionibus Superiorum majorum (ergo non si agatur de electione Superioris localis) can. 506. § 1. praescribit juramentum ante electionem emittendum ab omnibus et singulis electoribus, quo promittant „se electuros esse, quos secundum Deum eligendos esse existimaverint". Hoc modo certe obligantur ad eligendum magis idoneum, qui non praecise semper debet esse dignior eo sensu ac si magis excellere debeat quoad virtutes et scientiam, sed potest etiam ratione aliarum qualitatum, quae nunc religioni propter certas circumstantias sunt magis necessariae, esse magis idoneus, quamvis forte in conventu inveniantur, qui ipso sanctiores et doctiores sint. Si autem dignior sumitur eodem sensu ac magis idoneus, certe hoc juramento obligantur ad eligendum digniorem.

Similiter jam antea praescripserat Clemens VIII, ut electores ante Superiorum et aliorum officialium electiones juramentum praestent „probiores ac magis idoneos se electuros".[1])

2) Praevii tractatus inter electores instituendi, qui ad id spectant, ut singuli electores sufficientem notitiam eorum, qui vocem habent passivam, sibi comparent sicque digniorem eligere possint, non tantum liciti et laudabiles sed quandoque etiam necessarii sunt. Jus autem positivum de his tractatibus nihil determinavit. Subornatio vero, quae in votorum seu suffragiorum procuratione sive pro se sive pro aliis consistit, tunc certe est illicita tam de naturali quam de positivo jure[2]), quando ad malum finem fit seu ad id ut

[1]) Clem. VIII. decret. „Nullus omnio" § 23. d. 25. Jul. 1599. (Bull. Rom. ed. Luxemb. III. pag. 91).

[2]) Cf. decret. „Nullus omnio" cit. § 22.

indignus eligatur aut minus dignus digniori praeferatur. Nunc vero etiam ad bonum finem ex lege ecclesiastica prohibita est (can. 507. § 2.). Ex peculiaribus aliquorum Ordinum constitutionibus omnis omnino subornatio jam antea prohibebatur atque solae informationes permissae erant.[1]) 3) Quoad suffragia, quae ab eligentibus dantur, haec statuit can. 169. § 1.: „Suffragium est nullum, nisi fuerit: 1. Liberum; et ideo invalidum est suffragium, si elector metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disiunctive; — 2. Secretum, certum, absolutum, determinatum." — § 2. „Conditiones ante electionem suffragio appositae tamquam non adjectae censentur". Addit can. 170.: „Suffragium sibimet ipsi nemo valide dare potest." Ad haec nota: Suffragium, ut sit a) *secretum*, aut scripto dari aut oretenus communicari potest solis scrutatoribus, qui ad secretum servandum juramento se obligarunt (can. 171. § 1.). Quoad aegrotos, qui in domo electionis versantur, scriptura expresse postulatur, nisi aliter secum ferant constitutiones vel legitimae consuetudines (can. 168.). b) *Incertum* votum id vocatur, quod non est datum in certam personam, inutile est e. g. votum sic conceptum: Suffragium meum do ei, qui majorem prae ceteris suffragiorum numerum habet. c) *Determinatum* non est e. g. suffragium alternativum, quod inter plures certas personas anceps maneat, ut: eligo Cajum aut Titium. Denique d) *absolutum* non est votum, quod certam quidem personam exhibet at sub conditione. Porro de conditionibus ante electionem appositis antea erat disputatio, quales forte valeant, nunc autem omnes tamquam non adjectae censentur (can. 169. § 2.). Distinguendum autem inter conditionem, quae ante elec-

[1]) Ita in Soc. Jesu omnis subornatio sive in electione Praepositi generalis, sive in electione Assissentium, sive in electione electorum pro congregatione generali eorumve substitutorum, sive in electione procuratorum pro procuratorum congregatione, sub gravi peccato, et in quibusdam casibus sub excommunicatione est prohibita; cf. Instit. Soc. Jesu, Censurae et praec.

tionem suffragio apponitur et pro non adjecta habetur, a suffragio conditionato, quod est nullum. 4) De Capitulatione seu de tractatu, quo a Capitularibus Congregatis super quibusdam articulis a Praelato eligendo observandis ante electionem convenitur, haec observanda sunt; a) Si Capitulationis objectum tale est, quo potestas Praelato de jure competens restringatur, Capitulatio valorem non habet. Ratio est, quod nec ipsum Capitulum Praelati potestatem restringere potest, nec Praelatus parte potestatis, quae de jure communi omnium Ordinum aut de jure speciali sui Ordinis ipsi competit, sese abdicare potest. Quare deest omne fundamentum obligationis talem Capitulationem observandi. Quodsi autem b) Capitulatio futuro Praelato aliqua peculiaria imponit, quae ad ipsius officium pertinent sicque Praelatus admonetur officii sui et ad id digne gerendum excitatur, Capitulatio valet secundum eum modum, quo inita est. Hinc Praelatus, qui ante electionem de se factam versus electores suos tali Capitulatione se obligavit, non tantum ratione officii sui sed etiam ratione peculiaris promissionis electoribus factae ad Capitulationis objectum exsequendum tenetur. Hinc sequitur c) quam obligationem imponat juramentum, quo Capitulationes quandoque firmantur. Si nempe Capitulationis materia talis est, quae Praelati potestatem restringit, juramentum nihil efficit, eo quod deficiat obligationis fundamentum, quum nulla sit obligatio ad quam firmandam juramentum adhibeatur. Quando vero Capitulatio Praelato imponit exsecutionem officii sui quoad objectum aliquod particulare, juramentum ad eam confirmandam adhibitum novam ex virtute religionis obligationem Praelato imponit ad Capitulationem servandam[1]). 5) Si in electione Superioris religiosi simonia committitur (idem valet de collatione libera simoniaca officii), ipsa provisio omni vi caret, licet simonia a tertia persona commissa fuerit, etiam inscio proviso, dummodo hoc non fiat in fraudem ejusdem provisi aut eo

[1]) Cf. Schmalzgruber, De electione n. 41 s.

contradicente, et officium dimitti debet ante quamlibet judicis sententiam (can. 729.). Simoniaci insuper incurrunt excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam et clerici etiam suspendi debent (can. 2392.).

33. 1) Quoad *scrutinium ipsum* can. 171. praescribit: „§ 1. Ante electionem per secreta suffragia deputentur, nisi jam propriis statutis deputati sint e gremio collegii duo saltem scrutatores, qui una cum praeside, si et ipse e gremio collegii sit, jusjurandum interponant de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione. — § 2. Scrutatores curent, ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato praecedentiae ordine ab unoquoque electore ferantur; collectisque ad ultimum suffragiis, coram praeside electionis, secundum formam propriis constitutionibus vel legitimis consuetudinibus statutam, inspiciant, an suffragiorum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant, quod quisque retulerit. — § 3. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum. — § 4. Suffragia statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, comburantur. — § 5. Omnia electionis acta ab eo, qui actuarii munere fungitur, accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur.“ Is electus habetur et a collegii praeside proclamandus est, qui demptis suffragiis nullis partem absolute majorem omnium suffragiorum retulerit, aut post duo inefficacia scrutinia partem relative majorem in tertio scrutinio, quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium praeses suo voto paritatem dirimat, quod si noluerit, electus habeatur senior ordine vel prima professione vel aetate (can. 174. et 101. § 1.) 2) Specialia praescripta existunt *quoad electiones mulierum religiosarum.* Can. 506. § 2. statuit: „In monasteriis monialium comitiis eligendae An-

tistitae praesit, quin tamen clausuram ingrediatur, Ordinarius loci aut ejus delegatus cum duobus sacerdotibus scrutatoribus, si moniales eidem subjectae sint; secus Superior regularis; sed etiam hoc in casu Ordinarius tempestive moneri debet de die et hora electionis, cui potest una cum Superiore regulari per se ipse vel per alium assistere et si assistat, praeesse.[1]) — § 3. In scrutatores ne assumantur ipsarum monialium confessarii ordinarii. — § 4. In mulierum Congregationibus electioni Antistitae generalis praesideat per se vel per alium Ordinarius loci, in quo electio peragitur; cui, si agatur de Congregationibus juris dioecesani, peractam electionem confirmare vel rescindere integrum est pro conscientiae officio. — Juramentum sicut in electionibus virorum non est praescriptum. — 3) *Postulatio* admitti potest solum in casu extraordinario et dummodo in constitutionibus non prohibeatur (can. 507. § 3.), quo in casu ea observanda sunt, quae statuuntur canonibus 179.—182.

34. (111) Electio ut firma sit ac jurisdictionem electo conferat, *confirmatione* opus habet. De qua haec animadvertenda sunt: 1) Confirmatio electionis ad supremas Praelaturas regulares in Ordinibus exemptis ad Romanum pontificem spectat. Atque sunt Praelaturae regulares[2]), quoad quas electionis confirmatio modo sollemniori scil. in consistorio Cardinalium fit, quaeque ideo abbatiae consistoriales vocantur; nunc ad parvum numerum sunt redactae. Alii autem sunt Ordines regulares, qui id habent

---

[1]) Cf. Pellizzarius, l. c. n. 96, ubi etiam explicat Episcopo non convenire jus excipiendi suffragia in electionibus earum monialium, quae regularibus sunt subjectae, sed praesidendi jus, quod jam Greg. XV. (Constit. „Inscrutabilis“ § 5 d. 5. Febr. 1622., Bull. Rom. ed. Luxemb. III. 452.) Episcopo quoad has quoque electiones tribuit, in eo consistere, quod Episcopus inspicere possit, ut omnia pacate et tranquille fiant, atque cognoscere et audire suffragia, quae a Praelato regulari recipiuntur.

[2]) Cf. reg. 2. cancell. apostol. in qua reservantur abbatiae, quarum mensae abbatialis reditus 200 florenos auri superant.

privilegium, ut electio ad supremas Praelaturas confirmatione Summi Pontificis non indigeat sed electus ipso facto electionis validae confirmatus censeatur.[1]) Alii sunt Ordines, in quibus specialis quidem confirmatio habetur, ita tamen ut ab aliquo membro generalis Capituli quod electioni praesidet, fiat.[2]) 2) Confirmatio electionis ad Praelaturas intermedias aut locales factae in Ordinibus exemptis ad supremum Praelatum pertinet. Atque electus potestatem non acquirit ante confirmationem factam. Attamen fuerunt Ordines religiosi, quorum Praelati intermedii legitime electi ante confirmationem munere suo fungi potuerunt,[3]) quod nunc videtur prohibitum per can. 176. § 3., nisi sit per privilegium concessum. 3) In religionibus non exemptis electionis confirmatio ad Ordinarium loci spectat adeoque ad Episcopum et sede vacante ad vicarium Capitularem. 4) Confirmatio Abbatissarum aut Praepositarum in monasteriis mulierum regularium item ad immediatos horum monasteriorum Superiores pertinet. Quapropter si monasterium forte immediate subjectum est Romano pontifici, huic etiam reservatur confirmatio Praepositae. Superiorissae eorum conventuum, qui Episcoporum jurisdictioni subsunt, ab Episcopo, eorum autem conventuum, in quos Praelati regulares jurisdictionem exercent, a Praelato regulari confirmantur.[4]) 5) De confirmatione vero statuit can.

---

[1]) Ita concessit Soc. Jesu Paulus III. constit. „Licet debitum“ d. 15. Oct. 1549; cf. compend. privil. n. 278., ubi dicitur idem privilegium concessum jam esse Ord. Eremitarum s. Augustini a Sixto IV. constit. „Dum fructus uberes“ § 49. d. 13. Febr. 1474, atque Ordini Carmelitarum ab eodem Sixto IV. constit. „Dum attenta“ d. 28. Nov. 1476. Et quia per communicationem privilegiorum idem pro quamplurimis aliis Ordinibus valet, ideo factum esse videtur, ut varii auctores affirment Generales Ordinum regularium speciali confirmatione non indigere; cf. Piat. Mont. II. 65. Nunc autem haec communicatio privilegiorum exclusa est (can. 613. § 1.).

[2]) Ita e. g. servatur in Ord. s. Joannis de Deo; cf. constit. hujus Ordinis pag. 40. (edit. Graec. ann. 1891).

[3]) Ita servatur in Ord. Cap.; cf. Piat. Mont. II. 65.

[4]) Cf. Pellizzarius, tract. X. (De monialibus) cap. 10. n. 110.

177: § 1. Electus, si electio confirmatione indigeat, saltem intra octiduum a die acceptatae electionis confirmationem a competente Superiore petere per se vel per alium debet; secus omni jure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione justo impedimento fuisse detentum. — § 2. Superior, si electum repererit idoneum, et electio ad normam juris fuerit peracta, nequit confirmationem denegare. — § 3. Confirmatio in scriptis dari debet. — § 4. Recepta confirmatione, electus obtinet plenum jus in officio, nisi aliud in jure caveatur.

§ 2. *De potestate Superiorum et Capitulorum religiosorum.*

35. (112) Praelatorum regularium triplex distinguitur classis. Fundamentum hujus distinctionis est relatio Praelatorum et conventuum, quibus praesunt, ad territorium dioecesanum atque ad Episcopum, qui supra territorium dioecesanum principatum gerit ecclesiasticum. Alii enim sunt Praelati et conventus, qui nec sunt de territorio nec sunt in territorio dioecesano; hi sunt Praelati et conventus, qui *nullius*, scil. territorii dioecesani, sunt et dicuntur, qui potius suum proprium territorium habent. Tales in universo orbe catholico pauci sunt. Allii sunt Praelati et conventus, qui quidem sunt in territorio, at non sunt de territorio: i. e. hi conventus partem quidem constituunt territorii dioecesani, at sic ut personae conventum inhabitantes eximantur ab Episcoporum potestate. Territorium igitur, in quo conventus situs est, nullatenus immune exsistit a potestate Episcopi dioecesani, nec incolae dioecesis conventum ingredientes versantur extra Episcopi territorium, sicut extra id territorium versantur pedes mittentes in dioecesim confinem. Tamen religiosi conventum inhabitantes personaliter immunes ab Episcopi potestate exsistunt sicque secundario et quasi per accidens fit, ut aliquam etiam immunitatem conventui, quem inhabitant, ejusque territorio communicent. Alii demum sunt religiosi et conventus, qui sicut in territorio, ita

etiam de territorio dioecesano exsistunt; hi conventus igitur cum territorio in quo siti sunt, partem constituunt territorii dioecesani atque quum personae conventum inhabitantes a potestate Episcopi non eximantur, etiam de dioecesi esse recte dicuntur. Hinc sequitur: a) Potestas Praelatorum regularium primae speciei seu Praelatorum *nullius* in subditos regulares est potestas tum immediate territorialis tum immediate personalis. Immediate territorialis est, quatenus talis Praelatus habet proprium territorium atque regulares ipsi subditi incolae sunt hujus territorii. Immediate personalis est, quatenus regulares, abstractione facta a territorio, vi professionis regularis Praelato suo, qui supra se Episcopum non habet, subjecti sunt. b) Potestas autem jurisdictionis, qua Praelati regulares in subditos suos vi ordinariae exemptionis a potestate Episcopi potiuntur, non est potestas territorialis sed personalis. Item c) potestas illa, qua Superiores religiosi non exempti vi professionis religiosae a subditis emissae gaudent, est potestas non territorialis sed personalis. Proinde d) leges omnes, quae religiosos prout tales sunt, afficiunt, rationem habent legum non territorialium sed personalium et cum personis ambulant, Hinc patet, quod obligatio ad observanda particularia alicujus conventus aut provinciae statuta non cessat per id, quod quis localiter egreditur ex conventu aut provincia, sed per id quod cessat esse membrum conventus aut provinciae. (Cfr. can. 14. § 1. Nr. 1.)

36. (62) Quoad *potestatem praecipiendi,* qua Superiores religiosi relate ad suos subditos religiosos gaudent, triplex ejus fons distinguendus est. 1) Quum religiosi nunc non sint nisi in aliquo coetu religioso aut societate, omnis vero societas necessario regi debeat ab aliquo, inde jam fit ut Superior religiosus aliqua potestate gaudere debeat ad regendos subditos quoad finem, ad quem coetus formatus est, obtinendum. Haec *auctoritas* a fonte, ex quo oritur, apte vocari potest *socialis;* ratio enim Ordinis, qui in quacunque societate vigere debet, exigit, ut aliqui sint

Superiores, alii subditi, atque ut subditi Superioribus suis subjiciantur. Ipsa ab aliquibus etiam auctoritas *domestica* vocatur, quippe quae non tantum in majori societate sed etiam in minori adeoque in quacunque domo religiosa inveniri debeat; Ordo enim domesticus exigit ut domus incolae alicui Superiori sint subjecti. Hinc fit, ut in iis quoque coetibus, qui votis omnino carent, distinctio inveniatur inter Superiores et subditos. Et unusquisque, qui alicui coetui aggregatur, ipso facto se obligat ad obsequendum sociali auctoritati. Quia vero haec auctoritas nullam exigit particularem indolem in ea persona cui ipsa confertur, ideo ipsa in laicis etiam et mulieribus invenitur.[1]). 2) Alter fons ejus auctoritatis, qua regulares Superiores sunt instructi, in obedientiae voto continetur, quod omnes emittunt, Superiori suo se subjiciendi. Haec potestas a multis *dominativa* vocatur et etiam in ipso Codice ita vocari vi-

---

[1]) Quae ut melius intelligantur, haec animadvertantur. In quibusdam societatibus nascimur, aliis vero post nativitatem aggregamur. Nascimur in societate domestica constituta per parentes nostros; nascimur etiam in societate civili; haud tamen aequaliter in utraque. In societate enim domestica natura nos obligat perseverare, auctoritatique parentum nos subjicere; societati autem civili etiam reluctanti valedicere possumus alio transmigrando, sicque omni subjectionis officio versus societatem derelictam liberamur. Aggregati sumus societati ecclesiasticae seu inserti et adjuncti corpori Ecclesiae per baptismum, quamplurimum tamen non ex voluntate nostra sed ex voluntate parentum, qui ex gravissima obligatione sibi incumbente nos Ecclesiae baptizandos obtulerunt. Ratione habitationis parentum, supposito baptismate, nasci dicimur dein in societate ecclestastica minori, scilicet in dioecesi, imo etiam in parochia determinata. Atque sicut ex parentum voluntate aggregati sumus Ecclesiae, sic et aliis societatibus per ipsorum voluntatem aggregari possumus. Quando vero obedientiae ac subjectioni parentibus praestandae subtracti sumus (amorem et reverentiam parentibus per integram vitam praestemus oportet, subjectionem non item) aggregatio alicui coetui seu societati facienda nonnisi per nosmetipsos fieri potest. Omnis vero talis aggregatio, quae non a natura est sed per liberam fit voluntatem, per contractum fit, qui aut a nobis cum societate initur aut a parentibus vel aliis pro nobis et de nobis.

detur. Etiam ratione hujus fontis non requiritur certa qualitas in Superiore, cui alii ratione voti sui se subjicere tenentur; adeoque auctoritas regendi alios, prout ex voto obedientiae exsurgit, in laicis ac proinde in mulieribus inveniri potest et invenitur. 3) Tertius tandem fons est *jurisdictio ecclesiastica* ac spiritualis sive interni sive externi fori. Quando vero exemptio a jurisdictione Ordinarii loci habetur, ea spiritualis jurisdictio tam interni quam externi fori, quam quoad alios fideles Episcopi habent, ad regulares Superiores transit. Quia vero laici et a fortiori mulieres spiritualis seu ecclesiasticae jurisdictionis sunt incapaces, inde fit, ut Superiores religiosorum coetuum sive laicorum sive mulierum hac spirituali jurisdictione non gaudeant sed eorum potestas tantum ex sociali contractu atque ex voto derivetur. (Cfr. can. 501.)

De potestate jurisdictionis et dominativa Codex etiam ipse (cfr. can. 501.) mentionem facit. De potestate autem domestica silet. Tamen non videtur propter hoc illam negare sed potius, cum sit juris naturalis, supponere. Si quis quaerat, quomodo incipiat haec potestas, respondendum videtur eam incipere jam per ingressum in novitiatum, quo simul habetur ingressus in domum religiosam et ita tacite initur contractus sese submittendi praescriptis illius, qui domum gubernat. In novitiis utique haec potestas non videtur posse inducere obligationem gravem, cum novitio adhuc liberum sit, de domo exire. Secundus autem et firmior contractus habetur per traditionem sui in professione, qua simul oritur obligatio saltem ad certum tempus manendi in religione et proinde etiam sese subjiciendi ejus superioribus. Haec obligatio non ex virtute religionis sed ex obedientia vel forte justitia habetur etiam in illis, qui in communitate vivunt sine votis.

Forte autem Codex non loquendo de potestate domestica aliam supponit sententiam de voto obedientiae et de potestate Superiorum religiosorum, quam inter alios[1]) defendit P. Vermeersch. Ipse enim

[1]) Cfr. Micheletti, De Superiore communitatum religiosarum, pag. 501., Wernz, Jus decretalium III. 2ª. pag. 388. et 393.

dicit votum obedientiae primario respicere auctoritatem ecclesiasticam et ideo etiam primario referri ad potestatem jurisdictionis ita, ut quis se obliget ad obedientiam auctoritati ecclesiasticae exhibendam non solum in iis, quae sint praecepta sed etiam in iis, quae sunt perfectionis tantum proinde de consilio. Hanc solum obedientiam fuisse defendit in *anachoretis* primorum saeculorum christianae religionis. Postea autem in vita *coenobitica* accessisse aliam obedientiam Superiori praestandam, cui respondet in ipso potestas *herilis* seu *dominativa*, quae esset eadem, quam supra nominavimus *domesticam*, ita ut revera duae tantum adessent in Superiore religionis clericalis potestates scil. potestas *jurisdictionis* et potestas *dominativa*, quae utraque etiam vi voti exerceri potest, quatenus religiosus voto promisit, se velle obedire ex obligatione omni auctoritati in ecclesia legitime imperanti. Qua in sententia utique sequeretur semper adesse obligationem obediendi vi voti, ubi adest verum praeceptum, quo in casu theoria de voto obedientiae non multum quidem sed aliquantulum esset immutanda. Facilius etiam pateret, quommodo Romanus Pontifex vi voti imperare possit religiosis (can. 499. § 1.) et tamen non dicatur habere potestatem dominativam in religiosos (can. 501. § 1. solum agit de Superioribus religiosis) Cfr. etiam can. 1312. de irritatione votorum.

Quamvis autem haec sententia valde probabilis esse videatur interim remanere possumus in explicatione antiqua valde divulgata, quam praesertim excoluit P. Suarez, donec Ecclesia clariori modo suam sententiam enuntiat.[1])

37. (113) Potestas autem *jurisdictionis*, de qua nunc nobis erit agendum, distinguitur in legislativam, judicialem et coercitivam. Ad *potestatem legislativam* in religionibus refertur potestas statuta condendi et abrogandi, ipsa authentice interpretandi, in statutis et legibus ecclesiasticis dispensandi; de quibus singillatim agendum est.[2])

---

[1]) Cfr. Molitor O. S. B., Religiosi juris capita selecta (Ratisbonae, Pustet 1909) Cap. V. pag. 247.

[2]) Statuta hic vocamus omnes leges, quae alicujus religionis membra ut sunt talia obligant, sive eae pro religionibus universim conditae sint sive specialiter pro certa religione, quocunque nomine appellentur, sive regulae sive constitutiones, sive Capitulorum seu Congregationum decreta, sive Superiorum stabiles Ordinationes. — Constitutiones vocari solent eae fundamentales religionis leges, qnae a singulorum religionum fundatoribus ut plurimum exaratae et plerumque a s. Sede approbatae modum describunt secundum quem religio regitur. His accedunt Capitulorum seu Congregationum decreta, quae quando-

Jam 1) quoad subjectum potestatis condendi et abrogandi leges, quum Codex nihil statuat, attendendum est ad singulorum religionum constitutiones approbatas. Solet autem suprema potestas legislativa non competere supremis religionum Praelatis, sed reservata esse generalibus Capitulis seu Congregationibus (cf. supra n. 26. p. 36.), ita tamen ut supremi Praelati condere possint Ordinationes quasdam etiam perpetuo valituras, quae se tenent intra limites eorum, quae in constitutionibus continentur aut a Capitulis seu Congregationibus generalibus sunt statuta, ita ut Praelati etiam supremi nihil possint statuere contra constitutiones aut Capitulorum decreta, sed tantum juxta vel praeter ipsa. Ordinationes ab ipsis aut a suis praedecessoribus latas supremi Praelati etiam abrogare ipsisque derogare possunt. Porro in domibus sui juris, qui Praelatos intermedios et supremos non habent, potestas leges ferendi de communi jure penes Praelatum et Capitulum est, adeo ut lex a Praelato lata valore destituatur, nisi Capitulum de ea ferenda non tantum consultum sit, sed etiam in eam consenserit, aut saltem post legem latam libere ei acquiescat. Capitula autem provincialia de jure, quod communiter observatur, possunt ea pro provincia, quae Capitula generalia pro tota religione possunt; attamen quoad ipsorum atque Praelatorum intermediorum potestatem prae omnibus attendatur oportet ad constitutiones et statuta singularum religionum. Specialiter 2) quaeritur, utrum generalia Capitula aut Congregationes immutare aut abrogare possint constitutiones a s. Sede approbatas, necne. Ad quam quaestionem sic est respondendum: Si constitutiones approbatae sunt in forma communi, nec apposita est clausula irritans omnia, quae adversus constitutiones attentata fuerint, certum est, quod ii, qui potestate legifera pro religione potiuntur, constitutiones abrogare possint. Idem etiam dicendum videtur, licet dicta clausula irritans approbationi

---

que unum aut alterum constitutionum praescriptum abrogant aut, quod ut plurimum accidit, intra constitutionum limites pro temporum et locorum varietate opportuna praescribunt.

constitutionum sit adjecta. Vis enim hujus clausulae est, ut actus qui contra legem hac clausula munitam fiunt, juridicis effectibus destituantur, sicque lex eo quod hac clausula munitur, lex irritans fit. Non autem per ipsam lex ordinarie eorum potestati subtrahitur, qui eam abrogare possent, si tali clausula non esset munita; non obstante igitur hac clausula lex, eadem ratione ut aliae leges in religione vigentes, a Capitulo seu Congregatione tamquam supremo potestatis legislativae organo abrogari potest. Si vero constitutiones in forma specifica approbatae sunt, per hoc leges seu constitutiones subtrahuntur potestati et auctoritati omnium inferiorum evaduntque leges et Ordinationes pontificiae, adeoque per generalia Capitula seu Congregationes abrogari nequeunt. At novum dubium exoritur de casu, quando in constitutionibus in forma specifica approbatis Capitulo seu Congregationi generali facultas tribuitur constitutiones abrogandi, adeo ut haec etiam facultas in forma specifica censeri debeat approbata sicque abrogandi constitutiones potestas, quae per approbationem constitutionum in forma speciali factam tollitur, per approbationem hujus specialis facultatis item in forma speciali factam iterum restituatur. Sunt qui putent, constitutiones in hoc casu per Capitula seu Congregationes generales abrogari non posse, eo quod secus approbatio in forma specifica nullum haberet effectum et approbationi in forma communi datae aequivaleret. Melius tamen dicitur, constitutiones in hoc etiam casu per Capitula seu Congregationes generales abrogari posse, eo quod in constitutionibus haec potestas continetur, adeoque ipsa quoque approbationis in forma speciali factae objectum est. Nec valet ratio in contrarium allata, quod sic approbatio in forma speciali data careat effectu. Etenim multi et varii sunt effectus approbationis in forma speciali factae; quodsi unus ex hisce multis et variis effectibus ob peculiares circumstantias non producitur, ideo nondum dici potest, approbationem in forma speciali factam inutilem esse et approbationi in forma communi datae aequivalere.

38. (114) *Potestas* 2) *interpretandi authentice leges* generatim loquendo penes eos est, qui leges tulerunt, horum successores et Superiores. Quare Praelatus localis, e. g. in conventu sui juris authentice interpretatur statuta necnon praecepta communia ab ipso pro suo monasterio lata. Praelati autem intermedii authentice interpretantur Ordinationes aut statuta ab ipsis vel praedecessoribus suis condita; non vero possunt authentice interpretari leges aut Ordinationes a Capitulis intermediis conditas, nisi haec potestas ipsis aut generaliter per constitutiones religionis aut specialiter per Capitula intermedia, quando ad id sunt competentia, sit concessa. Praelati supremi item authentice Ordinationes ab ipsis aut praedecessoribus suis latas interpretantur, item eas, quae ab inferioribus Praelatis sunt latae; quae vero a Capitulis seu Congregationibus generalibus sunt statuta, authentice interpretatur Capitulum seu Congregatio generalis subsequens; Praelatus supremus tunc tantum authentica interpretatione ea interpretari potest, si per religionis constitutiones haec facultas ei traditur.

39. (115) Potestas 3) *dispensandi* Superioribus religiosis certe generatim vi constitutionum fere omnium competit I. *quoad leges religionis* atque sic quidem, ut supremi Praelati dispensare possint in omnibus iis, quae solummodo vi legum religionis, et non vi legum fori altioris e. g. juris ecclesiastici communis, juris divini aut naturalis, obligant. Codex nihil hac de re habet. Superiores intermedii et locales circumscriptam ac limitatam in legibus religionis dispensandi potestatem ordinariam solent habere; quare attendantur opportet cujusvis religionis constitutiones ac consuetudines, quae hanc intermediorum et localium Praelatorum ordinariam potestatem determinant. Insuper Superiores intermedii et locales a supremo Moderatore extraordinariis facultatibus ad brevius vel longius tempus pro adjunctorum exigentiis instrui possunt. Omnes autem sive supremi sive inferiores Praelati ad licite dispensandum in legibus religionis sufficienti indigent causa. Superiores

autem inferiores, sive intermedii sive locales, ad valide quoque dispensandum sufficientem, i. e. materiae in qua dispensant proportionatam, causam habere debent, quia dispensandi potestas ipsis tantum pro iis casibus concessa censetur, in quibus sufficiens causa habetur, adeo ut si extra hosce casus dispensationem impertiant, competentiae limites excedant sicque nulliter agant. Imo etiam supremi Praelati, si in constitutionibus aut Capitulorum generalium decretis dispensationem concedunt, ad valide dispensandum sufficienti indigent causa, quum non in lege propria dispensent. Pro dispensando autem in suis aut praedecessorum suorum Ordinationibus, item in inferiorum auctoritatum statutis ad valide dispensandum sufficienti causa non indigent. — Haec autem omnia de veri nominis dispensationibus valent. *Licentias* autem pro iis actionibus, quae quidem prohibitae non sunt sed tantum fieri nequeunt absque Superiorum consensu, Praelati supremi valide semper concedunt, peccant, vero, si absque rationabili causa eas dant sicque ad religiosae disciplinae relaxationem aliquid conferunt. Inferiores Praelati eatenus tales licentias dare possunt, quatenus per religionis constitutiones aut consuetudines potestatem acceperunt; proinde si forte hujus potestatis limites excedant, licentia concessa nulla est nec tuta conscientia in usum deduci potest.

II. Quoad *dispensationem in legibus ecclesiasticis communibus* a) hoc est generale principium, quod Praelati regulares exempti tanta gaudent dispensandi facultate pro suis subditis, quanta gaudent Episcopi pro suis dioecesanis. Can. 81. omnibus Ordinariis, ad quos pertinent etiam Superiores majores religiosorum (can. 198. § 1.) pari modo aliquam sed satis restrictam potestatem ordinariam dispensandi in legibus ecclesiasticis generalibus concedit (scil. solum quando periculum est in mora). A legibus vero abstinentiae et jejunii singulos religiosos dispensare possunt ad modum parochi (can. 1245. § 3.) etiam Superiores locales.

Antea haec potestas a s. Pio V. expresse concessa legitur Praelatis localibus atque his Superioribus Ordinis fratrum Praedicato-

rum,[1]) aliorumque Ordinum Praelatis, a quibus dein per privilegiorum communicationem ad alios Ordines transiit.

Superiores vero religiosorum non exemptorum quoad subditos suos ea potestate gaudere videntur, quam Episcopus ipsis delegavit. b) Praelatorum facultas iisdem limitibus circumscribitur, atque Episcoporum facultas. Hinc sicut Episcopi cum integra dioecesi dispensare nequeunt, ita nec Praelati regulares cum integris iis communitatibus, quibus praesunt. Quia vero saltem ex urgente omnino causa Episcopus cum integra parochia dispensare posse videatur, quando nempe sufficientissima ad dispensationem concedendam causa habetur, ad summum Pontificem autem amplius recurri nequit (cfr. can. 81.); ideo etiam intermedii Praelati in eodem casu cum integro conventu suae provinciae dispensare posse videntur. A lege vero jejunii et abstinentia Superiores majores, cum sint Ordinarii, ex causa publicae valetudinis etiam cum integro conventu imo integra provincia dispensare possunt (can. 1245. § 2.). c) Dispensare possunt non tantum cum professis sed etiam cum novitiis, imo cum iis quoque qui in religiosam domum ingressi sunt, ut primo commodo tempore habitum recipiant ac tirocinium inchoent. d) Nec dubitandum videtur, quin Praelati regulares etiam cum iis dispensare in legibus ecclesiasticis possint, ad quos eorum facultas absolvendi a peccatis ex can. 875. § 1. coll. 514. § 1. se extendit, i. e. cum famulis, qui eorum sunt commensales et intra conventus septa habitant, cum alumnis seu convictoribus, qui a religiosis reguntur, cum hospitibus et infirmis in domo religiosa commorantibus (cfr. can. 1245. § 3, 1313. Nr. 2.)

40. (116) Quoad *dispensationem in irregularitatibus* haec notamus: 1) Irregularitas quae ex defectu natalium oritur, vi sollemnis professionis ipso facto cessat quoad sacros ordines suscipiendos, non cessat autem impedimentum quoad praelaturas seu dignitates tam in Ordine quam

[1]) Cf. s. Pii V. constit. „Romani pontificis circumspecta“ § 2. d. 21. Julii 1571 (Bull. Rom. ed Luxemb. II. pag. 367).

extra Ordinem recipiendas.[1]) 2) Vi juris communis Superiores religionum non exemptorum nihil possunt quoad irregularitates, sed tota potestas dispensandi cum subditis horum conventuum est penes Episcopos eorum Ordinarios. 3) Superiores majores religionum clericalium exemptarum eadem ratione atque Episcopi, in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus dispensare excepta irregularitate ex homicidio voluntario etiam occulto et ex procuratione abortus effectu secuto aliave irregularitate deducta ad forum judiciale (can. 990. § 1.)

Jam ante Codicis editionem varii Ordines simile privilegium expresse obtinuerunt.[2]) In privilegio autem, quod Ordinibus communiter conceditur, a dispensandi potestate excludi solent irregularitates ex homicidio, ex mutilatione et ex bigamia; insuper etiam dispensandi potestas ad eos, qui Ordinum professi sunt, restringi solet. Tamen s. Pius V. const. „Dum ad Congregationem" d. 13. Jun. 1571 § 1. s. Congregationi Cassinensi Ordinis s. Benedicti ampliorem facultatem concessit, quia tum eam ad dispensandum in irregularitate ex homicidio aut mutilatione extendit, dummodo haec duo commissa non fuerint post ingressum in religionem, tum hujus potestatis usum sic ampliavit, ut Superiores etiam cum novitiis dispensare possint. 4) In privilegiis modo dictis, quae variis Ordinibus sunt concessa, etiam facultas dispensandi in irregularitatibus ex defectu ortis continetur. Animadvertendum autem est, excipi defectum corporalem enormem seu talem, ex quo deformitas scandalosa habeatur.[3]). Dein notandum est, ex conc. Trid. 23, 12 nullum privilegium ante concilii Tridentini celebrationem concessum ad dispensandum in defectu aetatis amplius valere; sed ut Praelati regulares in hac irregularitate dispensare valeant, opus

---

[1]) Can. 984. Nr. 1. Hoc non tantum quoad filios naturales sed etiam quod adulterinos, sacrilegos etc. valere, probat Sanchez, In decalogum l. V. cap. V. n. 9.

[2]) Ita v. g. hoc privilegium continetur in constit. Sixti IV. „Regimini universalis Ecclesiae" anni 1474, quae mare magnum Ordinis s. Francisci vocatur; item in altera constit. Sixti IV. quae idem initium habet, eodem anno est edita et mare magnum Ordinis s. Dominici vocatur; item Paulus III. constit. „Licet debitum" 15. Oct. 1549. idem concessit Societati Jesu.

[3]) Cf. Tamburini, De jure abbatum t. II. disp. 17. q. 4. n. 2.

esse privilegio post Tridentinum concesso.[1]) Quapropter facultas dispensandi in aetatis defectu, quatenus ex mari magno habetur, sublata censeri debet. In defectu autem natalium ad Praelaturas regulares obtinendas dispensare potest ex constit. s. Pii V. Congregatio Casssinensis.[2]) Communicatio privilegiorum nunc est sublata non autem privilegia singulis religionibus concessa. Ideo Superiores inspicere debent, quid ex privilegiis suae religioni concessis possint. In dubio etiam hac de re cognoscet s. Congregatio de Religiosis, quando ei sec. ipsius mandatum diei 26. Junii 1918. (Act Ap. Sedis X. 290) mutationes regularum et constitutionum ad normam can. 489. factae proponentur.

41. (117) De facultate Praelatis regularibus competente *quoad vota suorum subditorum* haec sunt tenenda: 1) Vota in saeculo emissa sive personalia sint sive realia, item vota tempore novitiatus emissa per professionem religiosam suspenduntur, donec vovens in religione permanserit (can. 1315.); per hanc professionem enim plenissime satisfit singularibus obligationibus per vota erga Deum susceptis atque amplissime solvitur id quod Deo ratione praecedentium votorum debetur.[3]) Hoc videtur valere de omni professione religiosa etiam simplici imo temporaria; lex enim nullo modo distinguit. Omnia ergo illa vota suspenduntur et reviviscunt per egressum e religione, sive hic fiat per simplicem non renovationem votorum temporariorum, sive per dimissionem, sive per saecularizationem vel etiam apostasiam. Quoad exclaustrationem dubium esse potest, cum vinculum cum religione non omnino solvatur, ideo non potest affirmari exclaustratum obligari per vota ante professionem emissa, praesertim cum ipsi privilegia mere spiritualia etiam extra claustra maneant (can. 639.) et ipse maneat votis religiosis adstrictus. 2) Vota ab iis, qui sollemnem emiserunt professionem, facta, quaecunque ipsorum sit materia, a Praelatis directe irritari posse, auctores semper affirmarunt; adeoque opus non est facultate in ipsis dispensandi. Canon

---

[1]) Piatus Mont. II. pag. 95, post Tridentinum nullum tale privilegium amplius concessum esse putat; tamen privilegium a s. Pio V. monachis Cassinensibus concessum hanc facultatem includere videtur.

[2]) Cf. hanc constit. in Bull. Rom. ed. Luxemb. t. II. pag. 364.

[3]) Cf. Sanchez, In decal. l. V. cap. 3 n. 54.

vero 501. § 1. sine distinctione affirmat Superiores et Capitula habere potestatem *dominativam* in subditos ad normam constitutionum et juris communis, ex altera parte canon 1312. § 1. dicit: „Qui potestatem *dominativam* in voluntatem voventis legitime exercet, potest ejus vota valide et ex justa causa etiam licite irrita reddere, ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat.“ Inde videtur sequi id quod auctores antea de sola sollemni professione affirmabant, nunc de omni professione etiam simplici imo temporaria valere scil. Superiorem posse vota professorum etiam *directe* irritare. 3) Porro Superiores (etiam locales) religionum clericalium exemptarum in votis non reservatis dispensare possunt cum subditis suis potestate ordinaria, sicuti Episcopi de potestate ordinaria dispensant in votis cum suis dioecesanis et quidem non solum cum professis sed cum omnibus personis in canone 514. § 1. enumeratis. (Cfr. supra Nr. 39. in fine.) Sic dicit can. 1313. § 2. Superiores vero conventuum non exemptorum de potestate ordinaria in his votis dispensare non possunt, Episcopi autem eis hanc facultatem delegare possunt. 4) Peculiariter quaestio fit, utrum Praelati regulares dispensare possint in votis iis, quae secundum Ordinum constitutiones votis religioso statui substantialibus quandoque superadduntur.[1]) Dixi: quae votis substantialibus superadduntur; etenim Praelatos regulares in votis substantialibus dispensare non posse certum est jam ex Trid. 25, 1. Ex eodem autem Tridentino textu probalius videtur, Praelatos regulares nec in votis supperadditis dispensare potuisse. Etenim si Tridentinum Praelatis regularibus potestatem denegat relaxandi ea, quae ad substantiam regularis vitae pertinent, intelligere potius videtur ea, quae ad substantiam *hujus* vitae regularis pertinent, quam ea sola, quae ad substantiam regularis vitae generatim sumptae pertinent. Jamvero ad substantiam regularis vitae in hoc aut illo Ordine

[1]) Vota, quae in variis Ordinibus superadduntur, enumerat Piat. Mont. II. pag. 89. not. 1.

sane vota peculiaria adjecta pertinent.[1]) Codex autem can. 1313. loquitur solum de votis privatis, vota autem religiosa sunt publica.

42. (118) *Potestas* Superiorum religiosorum *judicialis* duplex distinguitur, alia *fori interni* alia *fori externi.* Prior primario directe refertur ad privatam subditorum utilitatem eorumque internum statum respicit et imprimis est potestas peccata remittendi aut retinendi in confessione sacramentali. Hac potestas omnibus Superioribus religionum clericalium exemptarum ex jure communi competit estque ordinaria. Hac de re autem Codex Juris Canonici proprium caput insertum habet „de confessariis et capellanis" quapropter etiam nos sequenti articulo II. de confessariis et capellanis agemus hic solummodo ea tractantes, quae ad forum externum spectant.

Potestas judicialis *fori externi* definitur potestas judiciales processus instituendi seu potestas legitima ad controversiae, quae inter actorem et reum intercedit, cognitionem, discussionem ac definitionem. Porro 1) haec pro diversitate finis, ad quem controversiae discussio ac definitio tendit, duplex est, civilis nempe et criminalis vel ut Codex dicit *contentiosa* et *criminalis.* Processus contentiosus instituitur, ut litigans obtineat id quod suum seu ipsi debitum est. Ita judicium contentiosum est, quo professus nullitatem suae professionis affirmat ac tuetur; item quo unus conventus bona ab altero conventu possessa sibi vindicat. Judicium *criminale* id vocatur, in quo de crimine aliquo agitur criminaliter seu ad ipsum per poenam ulciscendum. Sic judicium criminale est, in quo de delicto a religioso commisso agitur, ut ipsi ob tale delictum poena

---

[1]) Aliud tamen est simpliciter remittere votum, aliud pro actu transeunte in voto dispensare. Ita Praelatis Ordinis Minimorum potestas competit, ex causa permittendi subditis suis esum carnium, ad cujus abstinentiam Minimi sollemni voto sunt obstricti. Facultas enim sic restricta dispensandi pro bono regimine sane necessaria est. Cf. Piat. Mont. II. 88 s.

inferatur aut censura innodatus declaretur aut forte tanquam incorrigibilis ex religione ejiciatur. Haec potestas autem criminales processus instituendi bene distinguatur oportet a potestate inquirendi atque judicium sibi formandi sive de levioribus defectibus sive de gravibus criminibus in ordine ad corrigendos et emendandos subditos atque ad promovendum per talium subditorum emendationem commune bonum communemque aedificationem subditorum. Haec enim potestas non exigit jurisdictionem ecclesiasticam adeoque Superioribus etiam laicis atque mulieribus competit, qui ecclesiasticae jurisdictionis incapaces sunt.

Potestas Praelatorum judicialis 2) exerceri nequit, nisi saltem aliquo modo invocetur, i. e. nisi adsit actor, in causis criminalibus accusator, qui est solus promotor justitiae (can. 1934.) Accusationi vero praecedere possunt tum denuntiatio (can. 1935. s.), quae Superiori de crimine ab altero perpetrato eum in finem fit, ut hic ob crimen commissum puniatur, tum fama (can. 1939.) seu potius infamia de crimine commisso ad Superioris aures penetrans, quae Superiorem movet ad inquirendum ex officio in infamiae ac criminis veritatem, ut veritate cognita et probata ad criminosi punitionem deveniat.[1]) De denuntiatione speciatim haec animadverte: a) *Denuntiatio* distinguitur in *evangelicam* et *judicialem*. Prior fit Superiori, quicunque ille sit, ut eum, qui defectum aut crimen commisit, moneat, atque, si Superiori videbitur, poenitentiis salutaribus impositis eum emendet, aut saltem ut Superior provideat, ne commune bonum damnum patiatur. Talis denuntiatio cuicunque Superiori, etiam laico, fieri potest et quandoque fieri debet. b) Ordinarie Superior post evangelicam denuntiationem ad processum criminalem instituendum procedere nequit, sed demum post denuntiationem judicialem. Attamen quando circumstantiae id exigere ei videntur, post evangelicam

[1]) De modis, quibus crimen in judicium deducitur, agunt commentatores corporis Juris Canonici in l. V. decretalium t. I., Codex vero can. 1934.—1940. De denuntiatione cfr. Wernz, Jus decret. V. 2. p. 73. Nr. 833. s.

denuntiationem factam ex officio judicialiter inquirere potest in criminis denuntiati veritatem, atque ex potestate sibi in subditum denuntiantem competente hunc obligare, ut partes omnes judicialiter denuntiantis adimpleat, seu aliis verbis Superior denuntiationem evangelicam sibi factam in judicialem convertere potest.[2])

3) Ad sententiam judicialem deveniri nequit nisi post processum institutum, de quo haec nota: a) Si controversia sit inter religiosos exemptos ejusdem religionis clericalis *judex primae instantiae*, nisi aliud in constitutionibus caveatur, est Superior provincialis, aut, si monasterium sit sui juris, Abbas localis (can. 1579. § 1.). — Salvo diverso constitutionum praescripto, si res contentiosa agatur inter duas provincias, in prima instantia judicabit ipse per se vel per delegatum supremus religionis Moderator, si inter duo monasteria, supremus Moderator Congregationis monasticae (ibidem § 2.). — Si demum controversia enascatur inter religiosas personas physicas vel morales diversae religionis, aut etiam inter religiosos ejusdem religionis non exemptae vel laicalis, aut inter religiosum et clericum saecularem vel laicum, judex primae instantiae est Ordinarius loci. — Religiosus forum habet in loco domus suae (can. 1563.). b) Sicut Episcopus ita et Superior religiosus habet potestatem nominandi vel unum vel plures *judices* prout causa exigit (cfr. can. 1576.) nisi velit per se ipsum decidere controversiam. Codex quidem hoc expresse non dicit, sed cum unusquique Ordinarius possit etiam suam jurisdictionem delegare, hoc etiam valet de Superiore religioso (cfr. can. 199.). Unicus judex in quolibet judicio duos *assessores* consulentes sibi adsciscere potest, quos tamen ex judicibus synodalibus eligere debet (can. 1575.). Cum autem in religionibus judices synodales aut prosynodales non existant, assessores a Superiore videntur nominandi. — Su-

[2]) Hac de re utiliter conferri potest Codicis libri V. titulus X. „De remediis poenalibus et poenitentiis“ et quoad jus antiquum: Schmalzgruber, De accusationibus etc. n. 149. ctr. etiam can. 1935. § 2.

perior potest unum aut plures *auditores*, seu actuum instructores, sive stabiliter sive pro certa aliqua causa constituere (can. 1580. § 1.). Si Superior non providerit, judex ab ipso delegatus pro causa, quam cognoscit, potest eligere auditorem (ibidem § 2.). Eorum est testes citare et audire aliaque acta judicialia instruere secundum tenorem mandati, non autem sententiam definitivam ferre (can. 1582.). Cuilibet processui interesse oportet *notarium*, qui *actuarii* officio fungatur, adeo ut nulla habeantur acta, si actuarii manu non fuerint exarata, vel saltem ab eo subscripta (can. 1585. § 1.). Quare judex, antequam causam cognoscere incipiat, in actuarium assumere debet unum e notariis legitime constitutis hoc est a Superiore majore nominatis (can. 503.), nisi Superior ipse aliquem pro ea causa jam designaverit (can. 1585. § 2.). — Constituendus est etiam *promotor justitiae* tum pro causis contentiosis, in quibus bonum publicum Superioris judicio in discrimen vocari potest, tum pro causis criminalibus (can. 1586.). Superioris est eligere promotorem justitiae, qui sit sacerdos integrae famae, in jure canonico doctor vel ceteroqui peritus ac prudentiae et justitiae zelo probatus (can. 1589. § 1.). Tum ipse (can. 1589. § 2.), tum auditores (can. 1581.) debent esse ejusdem religionis alumni, in qua processus agitur. — Actio seu *accusatio criminalis* uni promotori justitiae, ceteris omnibus exclusis, reservatur (can. 1934.). Quilibet autem fidelium semper potest delictum alterius denuntiare ad satisfactionem petendam vel damnum sibi resarciendum, vel etiam studio justitiae ad alicujus scandali vel mali reparationem. Imo obligatio denuntiationis urget, quotiescunque ad id quis adigitur sive lege vel peculiari legitimo praecepto, sive ex naturali lege ob fidei vel religionis periculum vel aliud imminens publicum malum (can. 1935.). — In causa injuriarum aut diffamationis, ut actio criminalis instituatur, requiritur praevia denuntiatio aut querela partis laesae. Sed si agatur de injuria aut diffamatione gravi clerico vel religioso praesertim in digni-

tate constituto, illata, aut quam clericus vel religiosus alii intulerit, actio criminalis institui potest etiam ex officio (can. 1938.). — Excepto Episcopo, qui per se potestatem judiciariam exercet, omnes qui tribunal constituunt aut eidem opem ferunt, jusjurandum de officio rite et fideliter implendo coram Ordinario (i. e. in religione coram Superiore majore) vel coram judice, a quo electi sunt, vel coram viro ecclesiastico ab alterutro delegato, praestare debent, idque ab initio suscepti officii, si sint stabiles, aut antequam causa agatur, si pro peculiari causa sint constituti. Etiam judex ordinarius (i. e. ipse Superior) in religione clericali exempta idem jusjurandum praestare tenetur, cum primum tribunal constituitur, adstante ipsius tribunalis notario, qui de praestito jurejurando actum redigat (can. 1621.). De forma juramenti cfr. can. 1622. — In judicio criminali semper, in contentioso autem, si ex revelatione alicujus actus processualis praejudicium partibus obvenire possit, judices et tribunalis adjutores tenentur ad secretum officii (can. 1623. § 1.) et semper prohibentur munera quaevis acceptare (can. 1624.). c) *Tribunal secundae instantiae* inter religiosos exemptos pro omnibus causis coram Superiore provinciali actis est penes supremum Moderatorem; pro causis actis coram Abbate locali, penes supremum Moderatorem Congregationis monasticae (can. 1594. § 4.). Tribunal appellationis eodem modo quo tribunal primae instantiae constitui debet; et eaedem regulae, accomodatae ad rem, in causae discussione servandae sunt (can. 1595.). — d) *Tribunal pro ultima instantia* est sacra Romana Rota, de qua cfr. can. 1598.—1601. De modo procedendi in causis judicialibus omnibus, excepto processu in dimmissione religiosorum, de quo infra (can. 654.—668.) agit Codicis liber quartus „De Processibus".

4) Haec stricte dicta judicialis potestas veris tantum Praelatis competit, seu iis, qui potestate jurisdictionis ecclesiasticae instructi sunt et quidem, ut ex supradictis patet, solummodo Superioribus majoribus. Hinc judiciales pro-

cessus in conventibus mulierum regularium institui nequeunt nisi a Superioribus ecclesiasticis adeoque quoad non exemptas ab Episcopo, quoad exemptas a Praelatis regularibus, quibus ipsae subjectae sunt.

43. (119) *Potestas coercitiva* Superiorum religiosorum item duplex est. Una, quae oritur ex vi status seu professionis religiosae, quaeque proinde non constituit partem jurisdictionis ecclesiasticae sed potius partem potestatis socialis ac dominativae. Ipsa etiam Superiores laicales ac praepositae monialium potiuntur. Eum habet finem ut subditi a disciplina regulari recedentes efficaciter ad viam rectam reducantur sicque cum singulorum privatorum bono bonum commune promoveatur. Vi hujus potestatis Superiores religiosi non possunt subditis imponere poenas graves corporales aut spirituales, sed tantum eas adhibere correctiones, quae intra latitudinem domesticae providentiae adhiberi possunt attentis tum prudentium judicio tum communi usu[1]). Hae vero leviores poenae seu poenitentiae in singularum religionum regulis seu constitutionibus accuratius solent determinari.[2]) Quum contra poenas ita inflictas appellationis via iniri nequeat, nulla in earum injunctione forma juridica requiritur, sed sufficit communes justitiae, caritatis et prudentiae leges servare.

Altera coercitiva potestas Superioribus religiosis competit ratione jurisdictionis ecclesiasticae et importat perfectam potestatem coercitivam Episcopalem. De hac potestate sequentia animadverte: 1) Ipsa in Superioribus religionum clericalium requiritur vi exemptionis a jurisdictione Episcopali. Sicut enim religiosi exempti opus habent aliqua auctoritate infra Romanum pontificem, quae eccle-

---

[1]) Cf. Pellizzarius, tract. IX. c. 3. n. 44. ss.; Wernz, Jus decretalium III. 2[2]. pag. 396. Nr. 692.; Pöschl, Kurzgefasstes Lehrbuch des katholischen Kirchenrechtes auf Grund des neuen kirchlichen Gesetzbuches. Graz, Leipzig, Moser. 1918. II. pag. 299.

[2]) Cf. e. g. reg. s. Benedicti cap. 23. ss. cap. 44. ss.; constit. Ord. s. Joann. de Deo (ed. Graec. anni 1892) cap. 7; Instit. Soc. Jesu, Reg. Praep. n. 10, Rect. n. 9.

siasticam potestatem legislativam quoad ipsos exerceat, ita etiam auctoritate indigent, quae ipsos prout subditi sunt Ecclesiae intra debitos fines coerceat injungendo poenas ecclesiasticas. Proinde hac coercitiva potestate iterum non tantum Praelati nullius dioecesis sed Praelati omnium religionum exemptione gaudentium potiuntur in religiosos sibi subditos. Superiores vero non exempti aliquos etiam actus hujus coercitivae potestatis praestare possunt; horum autem potestas ab Episcopi, cui subjiciuntur, arbitrio pendet. Vi hujus potestatis Praelati regulares injungunt poenas tum spirituales tum temporales. 2) Ad hasce temporales poenas pertinent v. g. variae corporis castigationes per jejunia, disciplinas etc., publica reprehensio, deputatio ad opera laboriosa et vilia. Attamen quoad hasce temporales poenas animadverte, ipsas si non sint nimis magnae seu enormes, etiam vi potestatis coercitivae domesticae seu socialis injungi posse. Hic forte etiam notare juvabit, quae habet Codex Juris Canonici de remediis poenalibus et poenitentiis. *Remedia poenalia* sunt: Monitio, correptio, praeceptum, vigilantia (can. 2306). Qui versatur in proxima occasione committendi delictum vel graviter suspectus est de delicto commisso, *monendus* est a Superiore (can. 2307.). *Corripiendus* est, ex cujus conversatione grave scandalum vel ordinis perturbatio oritur (can. 2308.). Monitio et correptio potest esse vel publica vel secreta (can. 2309.); correptio publica est judicialis. *Praeceptum,* quo quid agere vel quid evitare praeventus debeat, accurate indicatur, dandum est cum poenae comminatione, si ex monitionibus et correptionibus effectus non sit secutus aut non sit sperandus (can. 2310.). *Vigilantiae* submittendus praecipue, qui in periculo versatur relabendi in idem peccatum vel etiam aliter, si casus gravitas ferat (can. 2311.). *Poenitentiae* in foro externo imponuntur, ut delinquens vel poenam effugiat vel poenae contractae absolutionem aut dispensationem recipiat. Poenitentia publica non est imponenda pro delicto occulto, moderanda secundum poenitentis contritionem non delicti gravitatem (can. 2312.).

Can. 2313. enumerat praecipuas poenitentias: 1. Praeceptum recitandi determinatas preces, 2. peragendi piam aliquam peregrinationem vel alia pietatis opera, 3. servandi peculiare jejunium, 4. erogandi eleemosynas in pios usus, 5. peragendi exercitia spiritualia in pia aut religiosa domo per aliquos dies. Poenitentias Ordinarius addere potest poenali remedio monitionis et correptionis. 3) Ad spirituales poenas generatim pertinent censurae; dein inhabilitates ad officia, ministeria, Praelaturas; item irregularitates; atque amissio vocis activae et passivae. Jamvero a) Superiores religiosos exemptos censuras suis subditis injungere posse, certum est. Nec dubitari potest, quin cujusvis generis censuras ipsis infligere possint, interdictum personale, suspensionem e. g. a Missa dicenda, a confessionibus audiendis etc., excommunicationem[1]); dicit enim ge-

[1]) Quoad jus antiquum cfr. e. g. Tamburini, De jure Abbatum t. II. disp. 14. q. 1. n. 5.: „Certum est, Abbates et Praelatos regulares exemptos habere in suos monachos subditos ordinariam jurisdictionem spiritualem, etiam in foro externo, ut pluries probavimus; quapropter dicendum est, Abbates et Praelatos regulares . . . quoties opus fuerit ac expedierit, suos monachos excommunicare posse ut probatur communiter in jure.“ Sed quid est dicendum de Superioribus localibus minoribus? Ex verbis generalibus, quibus utitur can. 501 § 1. dicens: „Superiores . . . in religione . . . clericali exempta, habent jurisdictionem ecclesiasticam tam pro foro interno, quam pro foro externo“, P. Ferreres (Inst. can. 1. pag. 319. Nr. 809. I.) infert „Superiores locales religionum clericalium exemptarum esse proprie Praelatos, habent enim jurisdictionem in foro externo (vide can. 110 . .); non tamen sunt Ordinarii (vide can. 198 . .).“ Nullum dubium est quoad Abbates monasteriorum sui juris, qui certe habent jurisdictionem in foro externo etiam secundum Codicem; sunt enim Superiores majores et eo ipso etiam Ordinarii. Quoad alios Superiores locales (minores) certe sensus obvius canonis 501. videtur eis conferre jurisdictionem in foro externo; nam „ubi lex non distinguit, neque nos debemus distinguere“, dicit antiqua regula juris. Si autem ex altera parte quaeritur, quaenam sit potestas eorum pro foro externo, ex legibus Codicis difficile est respondere. Ipsi enim certe non habent potestatem legislativam, nec habent potestatem judicialem in foro externo, cum judex primae instantiae sit Superior provincialis aut Abbas (can. 1579.), nec habent potestatem coercitivam jurisdictionalem (saltem sic videtur); non possunt enim leges ferre vel praecepta ecclesiastica imponere

neraliter can. 2220. § 1.: „Qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi, possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere.“ Ex quo deducitur posse Superiores omnes poenas ecclesiasticas hoc modo infligere, a quibus infligendis non speciali lege prohibentur. Addit can. 2221 § 1.: „Licet lex nullam sanctionem appositam habeat, legitimus Superior potest illius transgressionem etiam sine praevia poenae comminatione, aliqua justa poena punire, si scandalum forte datum aut specialis trans-

---

(can. 2220.), nec sunt inclusi in illa generali facultate dispensandi quae confertur Ordinariis (can. 81.). Habent utique facultatem ordinariam (ut videtur, cfr. can. 875.) pro foro poenitentiae tum conferendi jurisdictionem pro foro interno, tum eam per se ipsos exercendi, possunt etiam Eucharisticum Viaticum et extremam unctionem subditis conferre, dispensare in lege abstinentiae et jejunii (can. 1245.) et etiam in votis suorum subditorum non reservatis (can. 1313.). Quod in omnibus istis facultatibus per legem generalem Superioribus religionum clericalium exemptarum commissis intelligendi sint revera Superiores locales videtur inferendum ex illa conjunctione cum can. 514. quam illae facultates omnes habent. Illae enim personae in can. 514. enumeratae indigent auxilio Superioris domus non autem provincialis vel alius Superioris majoris, ergo etiam Superiori locali videntur hae facultates concessae. Ex altera parte tota haec potestas non multum excedit facultates parochi, qui tamen non habet jurisdictionem pro foro externo. Solum jurisdictionem in foro poenitentiae conferre et in votis dispensare parochus potestate ordinaria non potest, sed 1. hoc potuit antea et tamen non habuit jurisdictionem pro foro externo et 2. etiam nunc haec potestas non videtur multum tangere forum externum, quare forte potius affirmandum est, Superiores locales minores per Codicem ipsum non habere potestatem pro foro externo ideo per se non esse veros Praelatos. Unicam facultatem dispensandi in votis habent cum solis Episcopis communem sed, cum agatur solummodo de votis privatis non autem de publicis, etiam haec facultas non tangit forum externum. Ex altera parte autem quandoque constitutiones nonnullorum religionum conferunt etiam Superioribus localibus facultatem dispensandi ordinariam in legibus religionis et ideo videntur aspiciendae leges diversarum religionum clericalium, ut quaestio solvi possit, num earum Superiores locales sint veri Praelati necne. Codex autem forte supponit potius leges diversarum religionum plerumque Superioribus localibus etiam minoribus conferre jurisdictionem in foro externo et hoc sensu includit eos in generali affirmatione.

gressionis gravitas id ferat; secus reus puniri nequit, nisi prius monitus fuerit cum comminatione poenae latae vel ferendae sententiae in casu transgressionis et nihilominus legem violaverit" et secundum canonem 2223. § 1. Superior tamquam judex poenam a lege determinatam augere potest, si extraordinaria adjuncta aggravantia id exigant. — Attamen jurisdictionem ad confessiones audiendas saecularium, quam ab Episcopis religiosi exempti accipiunt, Superiores religiosi nec restringere nec revocare possunt. Quare suspensio a confessionibus saecularium audiendis, quam Praelatus regularis subdito inflixit, eum tantum effectum habet, ut illicitam reddat confessionum auditionem, non autem invalidam (cfr. can. 874. § 1.). Religiosus autem, qui a Praelato suo a confessionibus ipsorum religiosorum audiendis suspensus est, non tantum illicite sed etiam invalide eos absolvit, nisi etiam ab Episcopo jurisdictionem acceperit (cfr. articulum sequentem). — Sicut autem Praelati censuras ferre, ita etiam censurarum absolutionem sibi reservare possunt. Nulla saltem hac de re prohibitio invenitur in Codice, qua jus antiquum immutatum sit. Haec autem reservatio in tantum etiam nunc habet momentum practicum, in quantum agitur de censura *ab homine* inflicta, ea enim per can. 2245. § 2. reservatur ei, qui censuram inflixit aut sententiam tulit, ejusve Superiori competenti, vel successori aut delegato et sec. can. 2246. § 3. reservatio censurae impedientis receptionem sacramentorum importat reservationem peccati, cui censura adnexa est. Secus fere omnes confessarii a peccatis etiam cum censura in religione reservatis absolvere possunt (cfr. articulum sequentem de confessariis). — Quod autem ex informata conscientia subditos suspendere eosque interdicere possunt, prout Episcopis id a Trid. 14, 1. permissum est, jam declaraverat s. Congr. Episc. et regul.[1]) Nunc autem can. 2186. statuit § 1. „Ordinariis licet ex informata conscientia clericos suos

[1]) Cf. Pellizzarius, tract. IX. cap. 3. n. 63.; Wernz, Jus decretalium V. 2. pag. 109. Nr. 892.

subditos suspendere ab officio sive ex parte sive etiam in totum. — § 2. Extraordinarium hoc remedium adhibere non licet, si Ordinarius potest sine gravi incommodo ad juris normam in subditum procedere." Modus procedendi in suspensione ex informata conscientia infligenda praescribitur per can. 2187.—2194. Speciatim addit can. 2188. § 2 : „Indicetur tempus durationis poenae, abstineat autem Ordinarius ab ipsa infligenda in perpetuum. Potest vero infligi etiam tamquam censura, dummodo hoc in casu clerico patefiat causa propter quam suspensio irrogatur. — Probe distinguenda est a suspensione remotio ab officio vel prohibitio exercitii sacri ministerii de qua agit can. 2222. § 2. dicens: „Pariter idem legitimus Superior, licet probabile tantum sit, delictum fuisse commissum aut delicti certe commissi poenalis actio praescripta sit, non solum jus sed etiam officium habet non promovendi clericum, de cujus idoneitate non constat, et ad scandalum evitandum, prohibendi clerico exercitium sacri ministerii aut etiam eundem ab officio ad normam juris amovendi; quae omnia in casu non habent rationem poenae. b) Irregularitates autem statuere nequeunt, sicut neque Episcopi id possunt; possunt tamen judicialiter declarare, irregularitates, quae a summis Pontificibus sunt statutae, a subditis suis contractas esse. Quoad varias inhabilitationes sic distinguendum videtur: Inhabilitas intelligitur aut ad gratias ecclesiasticas et munia, quae statum clericalem non requirunt vel ad gradus academicos auctoritate ecclesiastica consequendos (can. 2291. Nr. 9.) aut ad omnes vel ad aliquot dignitates, officia, beneficia aliave munera propria clericorum (can. 2298. Nr. 5.). Priorem una Sedes Apostolica infligere potest (can. 2296. § 1.) proinde Superiores religiosi quoad illam nihil possunt, alteram quando a jure tamquam poena statuitur declarare possunt, non autem novas infligere, nisi ex propriis religionis legibus eis aliqua potestas inhabilitandi subditos ad actus, quae a religione ipsa pendent, concedatur. 4) Potestatem coercitivam Praelati exercent in professos sibi subditos sive sollemnium sive simplicium

votorum. At exercent eam etiam in novitios delinquentes, nisi hi eligant egredi ex religione; proindeque, si novitii in religione perseverare volunt, poenas a Superiore religioso contra ipsos inflictas subire tenentur. 5) Inculcat autem can. 2214. § 2. omnibus Ordinariis monitum Concilii Tridentini sess. XIII. de ref. cap. 1. de modo, quo sua potestate coercitiva uti debeant.

44. (120) De *potestate* Praelatis regularibus competente subditos *absolvendi a censuris et dispensandi a poenis ecclesiasticis vindicativis* haec sunt tenenda: 1) A poenis quas Praelati subditis suis particulari sententia injunxerunt, absolvere respective dispensare possunt ii, qui eas injunxerunt, eorum successores, Superiores vel qui ab his potestatem acceperunt (can. 2245. § 2.). 2) A poenis vindicativis per leges religionis inflictis, e. g. privatione vocis activae vel passivae, inhabilitate ad officia et Praelaturas, quae ipso facto incurruntur, dispensant ii, quibus dispensatio concessa aut reservata est. 3) A censuris ipso facto contractis, quae per religionis constitutiones infliguntur, in foro externo absolvunt ii, quibus in iisdem constitutionibus absolutio reservata est; in foro interno absolvit fere quivis confessarius (cfr. articulum sequentem). 4) Poenas latae sententiae omnes, quae per communem Ecclesiae legem statutae sunt, sive sint censurae sive poenae vindicativae, Superior religiosus major subditis suis remittere potest per se vel per alium in casibus *occultis* exceptis censuris specialissimo modo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis (can. 2237. § 2.). Cum lex dicat per se vel per alium, sequitur hanc facultatem posse etiam Superioribus minoribus et confessariis delegari. Insuper autem confessarii pro casibus urgentioribus per can. 2254. et 2290. jam pleniorem facultatem acceperunt. 5) Pro casibus *publicis* facultas remittendi poenas est valde restricta; excipiuntur enim praeter casus ad forum contentiosum deductos omnes censurae Sedi Apostolicae reservatae, inhabilitas ad officia et dignitates et ad vocem activam et passivam, suspensio perpetua, infamia juris,

privatio vocis activae et passivae et gratiae a Sede Apostolica concessae (can. 2237. § 1.). Alia insuper excipienda pro religiosis non adeo facile in quaestionem veniunt. — Posse Superiores majores absolvere a poenis Ordinario a jure reservatis per se patet, cum sint ipsi Ordinarii suorum subditorum. Non autem possunt absolvere a poena forte juxta canonum 616. vel 617. praescripta ab Episcopo inflicta (delictum extra domum commissum, scandalum in domo non formata).

45. (121) Expendendum insuper est, in quibusnam negotiis Praelati regulares *consensu Capituli* indigeant. Hac de re dicit can. 516. § 1. „Supremus religionis aut monasticae Congregationis Moderator, Superior provincialis et localis saltem formatae domus habeant suos consiliarios, quorum consensum aut consilium exquirant ad normam constitutionum et sacrorum canonum.“ Consiliarii illi quandoque cum Capitulo videntur identificari ut e. g. in domibus sui juris, quandoque etiam a Capitulo distinguuntur tamquam auxilium ordinarium, quod Superiori semper praesto sit, cum Capitulum solummodo certis temporibus convocari possit. Quandoque etiam Capitulum omnino non habetur e. g. in religionibus regiminis hierarchici pro Superiori locali. Jamvero notandum: 1) In religionibus regiminis quasi-hierarchici, qui scil. a Superioribus supremis, intermediis et localibus reguntur, distinctio etiam haberi solet inter Capitulum generale, provinciale et locale.[1]) Quoad horum Capitulorum facultates et Superiorum ad ipsa relationem ante omnia cujusvis religionis constitutiones et regulae sunt attendendae. Id autem in hisce religionibus vigere solet, ut a) Superiores nequeant per se leges aut novas condere aut conditas abrogare; neque b) bona temporalia religionis magni valoris alienare. Praeterea c) Superior generalis vel Abbas peccata subditorum sibi reservare nequeunt nisi cum consensu sui Consilii, quod in monasteriis sui juris videtur esse Capitulum (can. 896.).[2])

[1]) Cf. de singulis Pellizzarius, tract. IX. cap. 9; Piatus Mont. II. pag. 130. ss.; Wernz, Jus decretalium III. 2². pag. 401. Nr. 696.

[2]) Cf. Piatus Mont. l. c. pag. 132. q. 6.

2) Strictiori vinculo cum Capitulo conjuncti sunt Praelati regulares conventuum distinctorum seu separatorum seu domorum sui juris juxta Codicis terminologiam. Relatio inter hos et Capitula intercedens est anologa quidem ei, quae inter Episcopum et Capitulum ecclesiae cathedralis intercedit; est tamen major communio jurium et bonorum inter Praelatum et Capitulum regulare, quam inter Episcopum et Capitulum cathedrale.[1]) Dicendum nempe: a) Hi Praelati regulares nec constitutiones novas condere possunt nec antiquas abrogare sine Capituli consensu. b) Nec potest Praelatus bona conventus alienare (can. 534. § 1.) imo nec contractus in monasterii utilitatem inire absque Capituli consensu. Id quod non tantum quoad bona immobilia ac mobilia pretiosa sed etiam quoad bona minoris pretii valet.[2]). Habet tamen Praelatus primas partes in administratione bonorum conventus. Quantum autem ipse per se in rebus minoribus possit, et ad quid Capituli consensu indigeat, consuetudo singulorum conventuum determinat, designatio autem oeconomi consensu Capituli indiget (can. 516. § 4.). c) Sicut in bonorum temporalium administratione, ita etiam in admissione ad novitiatum, atque eo magis in admissione ad primam (can. 543.) professionem Praelatus Capituli consensu opus habet ad subsequentem sufficit consilium (can. 575. § 2.).[3]) d) Idem de dimissione eorum qui simplicia vota emiserunt, dicendum est (can. 647. § 1.). e) Generatim in quibusvis negotiis majoris momenti Praelatus Capitulum convocare ejusque consensum exquirere tenetur.

46. (122) Hac occasione aliqua etiam dicenda sunt de potestate Capituli vacante Praelatura. Jamvero quoad religiones regiminis quasi-hierarchici per constitutiones provisum esse solet, qua ratione aut integer Ordo vacante Praelatura suprema, aut provincia particularis vacante Prae-

[1]) Cf. Schmalzgruber, Ne sede vacante etc. n. 5.
[2]) Cf. Pellizzarius, l. c. n. 119.
[3]) Cf. Pellizzarius, l. c. n. 126. s.

latura intermedia regenda sit. Quoad monasteria vero sui juris sic dicendum est: a) Si domus plenissime exempta seu nullius alterius dioecesis est, sed propriam dioecesim habet, in administratione territorii exempti et potestatis Episcopalis in ipsum sic succedit Capitulum conventus, uti vacante Sede Episcopali succedit Capitulum cathedrale.[1]) b) In administratione ipsius conventus regularis item succedit Capitulum conventus. Atque in conventibus exemptis generatim loquendo Capitulum tantum potest vacante praelatura, quantum potest Praelatus cum consensu Capituli sui.[2]) Dixi autem: generatim loquendo; etenim aliqua Capitulum conventus exempti durante vacatione Praelaturae agere prohibetur; sic v. g. ad alienationem bonorum, quae servando servari possunt, Capitulum procedere non potest, nisi accedat consensus summi Pontificis,[3]) eadem scil. ratione, qua Capitulum cathedrale vacante sede Episcopali bona cathedralis ecclesiae alienare nequit. Utrum autem Capitulum pro tempore vacationis administratorem eligere possit, an vero penes Priorem aut Decanum seu Praepositum potestas conventum regendi resideat, a jure communi constitutum non est.[4])

§ 3. De obligationibus Superiorum religiosorum.

47. (123) De Praelatorum regularium *obligationibus*[5]) haec animadvertimus: 1) Omnes Superiores in religionibus clericalibus tenentur coram Capitulo vel Superiore, qui eos

---

[1]) Cf. can. 429.—444. et pro jure antiquo Pirhing, De majoritate et obed. n. 58. Contra est Molitor, Rel. juris capita sel. p. 523.

[2]) Cf. Pellizzarius tract. IX. cap. 8. n. 12. ss., Molitor l. c.

[3]) Cf. Schmalzgruber, Ne sede vacante etc. n. 49. s.

[4]) Cf. Schmalzgruber, Ne sede vacante etc. n. 10. Putat hic auctor, conformius juri esse, quod de novo sit administrator eligendus ad conventum regendum, si Prior seu Decanus vel Praepositus a Praelato nominatus et constitutus sit. Quando vero a Capitulo constitutus est, convenientius esse, ut ipse vice Praelati conventum regat.

[5]) Ferreres, Inst. can. I. pag. 322.

nominavit eorumve delegato in initio sui muneris emittere professionem fidei secundum formulam a Sede Apostolica probatam (can. 1406. § 1, Nr. 9., formula habetur in initio ipsius Codicis), etiamsi priore dimisso aliud officium seu dignitatem ejusdem speciei consequantur (ibidem § 2.) nec possunt obligationi satisfacere per procuratorem nec coram laico (can. 1407.). Quoad poenas in non obedientes vide can. 2403. Quod autem statuerat Pius X. in Motu proprio „Sacrorum Antistitum 1. Sept. 1910., quo quaedam statuuntur leges ad modernismi periculum propulsandum[1]) scil. religiosarum familiarum Congregationumque Moderatores et doctores, antequam ineant officium, debere emittere professionem fidei cum juramento secundum formulam *ibi* a Sta. Sede praescriptam, hoc etiam nunc valet. Quamvis enim sec. can. 6. Nr. 6. leges disciplinares in Codice ne implicite quidem contentae abrogatae sint, tamen Suprema Congreg. Sti. Officii die 22. Martii 1918. declaravit: „Praescriptiones praedictas, ob serpentes in praesenti modernisticos errores latas, natura quidem sua, temporarias esse et transitorias, ideoque in Codicem Juris Canonici referri non potuisse; aliunde tamen, cum virus *Modernismi* diffundi minime cessaverit, eas in pleno suo robore manere debere usquedum hac super re Apostolica Sedes aliter statuerit.“ [2])

Etsi jam ex Pii IV. lege,[3]) quando munus suum essent adepti, ad fidei professionem emittendam tenerentur aeque ac provisi de quibusvis beneficiis curam animarum annexam habentibus, tamen haec lex in multis regionibus et Ordinibus aut non fuit in praxim deducta, aut si aliquando observata fuit, per contrariam consuetudinem abrogata, quae tamen consuetudines omnes nunc reprobantur (can. 1408.).[4])

2) Eorum munus est, omnes et singulos subditos in spiritu promovere eosque juvare ad christianam perfectio-

[1]) Acta Apost. Sedis II. (1910) p. 669. Nr. VII.

[2]) Cfr. Acta Apost. Sedis, X. (1918) p. 136.

[3]) Cf. Pii IV. constit. „Injunctum nobis“ d. 13. Nov. 1564 (Bull. Rom. ed. Luxemb. tom. II. pag. 138).

[4]) Cf. Pellizzarius tract. V. cap. 10. n. 9. Wernz, Jus decretalium III. 2^2. pag. 399. Nr. 694.

nem obtinendam. In quacunque enim societate praesidum potissimum est, singula societatis membra ad finem societatis dirigere. Sic autem singulis operam suam praestare debent, ut commune bonum primario intendant; hoc enim recta cujusvis societatis administratio exigit. Praelati autem eorum Ordinum, qui ad vitam etiam activam incumbunt, subditos in operibus vitae etiam activae dirigere debent. Media autem, quibus subditos in vita religiosa, quam Ordo profitetur, promovere tenentur, ad haec fere reducuntur: a) Oratio, cui quam maxime se dare debent Superiores religiosi, ut eorum labores et sollicitudines fructuosae evadant, quia „neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus". 1. Cor. 3, 7. b) Exemplum; etenim „qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea". Eccli. 10, 2. c) Instructiones, adhortationes et monitiones, secundum s. Pauli monitum: „Praedica verbum, insta opportune, importune; argue, absecra, increpa in omni patientia et doctrina". 2. Tim. 4, 2. Tandem d) poenas adhibeant oportet, quando iis opus est. Ut autem singula haec praestare possint, vigilare debent de subditis suis; imitari enim debent Episcopos, qui ab hoc vigilandi officio Episcoporum nomen adepti sunt. Atque sic singulos fovendo et promovendo in spiritu student legali justitiae; in conferendis officiis autem et honoribus necnon in injungendis laboribus et oneribus justitiam distributivam sic servent necesse est, ut ab omni personarum acceptione caveant; atque sic etiam fiet, ut mutuam inter subditos suos caritatem et unionem servent ac promoveant. Praesertim autem Codex Juris Canonici statuit: e) obligationem *residentiae* in domo, a qua discedere non debet nisi ad normam constitutionum (can. 508.). Patet hanc obligationem sumendam esse, prout uniuscuiusque officium postulat; certe enim in magnis provinciis Superior provincialis per longum tempus extra domum in visitatione provinciae occupatus esse debet. f) Obligantur Superiores ad promovendam notitiam et executionem *decretorum Stae. Sedis,* quae religionem respiciunt (can. 509. § 1.). Hoc potest

fieri e. g. per publicam lectionem in mensa vel in Capitulo et per vigilantiam specialem quoad executionem. Quae can. 595. de s. exercitiis a religiosis peragendis, de Sacro audiendo et speciatim de executione decreti Pii X. „Sacra Tridentina Sygnodus“ d. 20. Dec. 1905. de communione frequenti et quotidiana praescribit, vide infra Cap. VII. De obligationibus religiosorum. g) Praesertim postulatur publica *lectio constitutionum* et decretorum Stae. Sedis, de quibus hoc praescribetur,[1]) singulis annis et statutis diebus (can. 509. § 2.). h) Extra domum novitiatus, in qua frequentiores *instructiones* praescribuntur, postulatur, ut saltem bis in mense habeatur instructio catechetica pro fratribus conversis (laicis) et pro familiaribus et exhortatio domus pro omnibus (can. 509. § 3.). Quoad f), g) et h) Superiores locales executionem urgere debent. i) Superiores vero majores per constitutiones ad hoc munus designati debent omnes domos sibi subjectas tempore in iisdem constitutionibus definito *visitare*[2]) per se vel, si impediti fuerint, per alium (can. 511.). Quoad visitationem autem haec sunt notanda: Omnes religiosi tenentur Visitatori respondere secundum veritatem et omnes praesertim Superiores severe prohibentur eos ab hac obligatione avertere aut visitationis scopum aliter impedire (can. 513.) et, si post indictam visitationem aliquem in aliam domum Visitatore non consentiente vel (sive ipsi sive etiam alii religiosi) directe vel indirecte alios religiosos induxerint, ut interrogati a Visitatore taceant aut veritatem dissimulent aut non sincere exponant, vel si ob responsa, quae Visitatori dederint, molestiam sub quovis protextu attulerint, ab ipso Visitatore officio Superioris (qui illo funguntur) privandi et inhabiles ad omnia officia, quae aliorum regimen secum ferunt, declarandi sunt (can. 2413.). — Quoad mona-

[1]) Illa autem, quae usque nunc praescripta erant tamquam quotannis in publica mensa praelegenda, in posterum non amplius legi debent. Eorum catalogum vide apud Miccheletti, De Superiore communitatum religiosarum, pag. 367.

[2]) Ferreres, Inst. can. pag. 323.

steria monialium, quae Sedi Apostolicae immediate subjecta aut sub jurisdictione Episcopi sunt, et quoad *omnes Congregationes dioecesanas* jus et officium visitandi est penes Ordinarium loci, qui singulas domos saltem quinto quoque anno visitare debet (can. 512. § 1.). Insuper autem Ordinarius loci habet jus et officium visitandi etiam domos exemptas quinto quoque anno et quidem 1. circa clausuram *monasteria monialium*, quae regularibus subduntur, et si Superior regularis a quinque annis non visitaverit, circa omnia; 2. in iis, quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum, sedem ad sacramentum poenitentiae domos *Congregationis clericalis juris pontificii* (etiam exemptae, ut diximus); 3. praeterea in aliis, quae ad internam disciplinam spectant, scil. num disciplina ad normam constitutionum vigeat, num quid sana doctrina morumque probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum sit, num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur, domos *Congregationis laicalis* juris pontificii (can. 512. § 2. et 618. § 2.). Manent ergo solae domus regulares a visitatione Ordinarii loci omnino exemptae. — k) *Relatio de statu religionis* quinto quoque anno (vel saepius, si ita ferant constitutiones) mittenda est ad Stam. Sedem per Abbatem Primatem Congregationis monasticae et per Moderatorem supremum religionis juris pontificii. Documentum subsignatum esse debet ab ipso Moderatore supremo cum suo Consilio et, si agatur de Congregatione mulierum etiam ab Ordinario loci in quo suprema Antistita cum suo Consilio residet (can. 510.). l) Quoad jus et officium sacramenta subditis ministrandi (can. 514.) cfr. articulum sequentem. m) Praeter *titulos* officiorum majorum (e. g. exprovincialis etc.), qui tolerantur, si constitutiones hoc permittant et religiosi reapse illis in propria religione functi sint, omnes alii tituli mere honorifici (e. g. exdefinitor etc.) prohibentur (can. 515.). n) Superiores omnes a Generali usque ad Superiorem localem domus saltem formatae debere sua *Consilia* habere, jam diximus (can. 516. § 1.). o) Pro administratione *bonorum temporalium* oeconomi sunt sta-

tuendi (can. 516. §§. 2. 3. 4.). Vide hac de re articulum III. De bonis temporalibus. p) Religiones virorum juris pontificii *procuratorem generalem* secundum constitutiones habere debent, qui negotia religionis apud Stam. Sedem pertractet inconsulta Sta. Sede ante tempus in constitutionibus praescriptum non amovendum (can. 517.).

Art. II.

De confessariis et capellanis.[1])
(Can. 518.—530.)

48. In singulis religionis clericalis domibus deputandi sunt pro sodalium numero confessarii legitime approbati, cum potestate, si agatur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus in religione reservatis. (can. 518. § 1.).

Confessarios autem illos in religione clericali exempta ad normam constitutionum deputare debet eorundem Superior. Hic certe potest esse Superior major, quippe qui jurisdictionem ordinariam in foro externo habet, sed constitutiones plerumque eandem facultatem delegandi jurisdictionem pro sacramento poenitentiae concedunt etiam Superiori locali, qui in hoc casu etiam jurisdictione ordinaria pro foro poenitentiae gaudet (cfr. can. 873. § 2.). Proinde etiam ipse confessiones audire et subditos suos valide absolvere potest sed non debet, nisi sponte sua et motu proprio hoc petant. Ipsi vero non licet nec per se nec per alium vi, metu, importunis suasionibus, aliave ratione subditos suos inducere ad peccata apud se confitenda, imo sine gravi ratione habitualiter confessiones alicujus subditi audire non debet (can. 518. §§ 2. 3.). Etiam Magister novitiorum ejusque socius confessiones novitiorum audire non debet, nisi ex gravi et urgenti causa in particulari casu id petant (can. 891.). Superior jurisdictionem (si religio est exempta) aut licentiam (si non est exempta)

[1]) Ferreres, Inst. can. pag. 325. ss.; Schmitt, Supplementum ad Summam Theologiae Moralis auctore H. Noldin. Oeniponte, Rauch 1917. pag. 55.; Lehmkuhl, Quaestiones praecipuae morales novo juri canonico adaptatae. Friburgi, Herder, 1918. pag. 6. ss. et 33. s.

audiendarum confessionem ne concedat, nisi iis, qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote, cujus theologicam doctrinam aliunde compertam habent. Si postea prudens dubium oriatur, eum ad novum doctrinae periculum adigant (can. 877.).

Praeter illos confessarios, apud quos religiosi statutis temporibus juxta praescripta propriae religionis confiteri possunt vel etiam debent, si regulae hoc postulent, licet etiam ad conscientiae quietem adire quemcumque confessarium ab Ordinario loci approbatum, qui illos potest etiam a peccatis et censuris in religione reservatis valide et licite absolvere (can. 519.).

Tum Superior tum confessarii ab ipso deputati possunt absolvere non solummodo *religiosos professos* sed etiam *novitios aliosve in religiosa domo diu noctuque degentes* causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis. Ratio ergo, cur Superior religionis illam jurisdictionem in extraneum acquirat, videtur esse commoratio in domo religiosa non omnino transitoria e. g. ad breviter colloquendum cum aliquo religioso vel invitationis causa in die aliquo festo ad prandium cum religiosis commedendum sed saltem per partem diei et unam noctem, scil. videtur postulari pernoctatio apud religiosos (can. 875. § 1, coll. can. 514. § 1.).

Quoad *reservationem peccatorum* dicit can. 893. § 1.: Qui ordinario jure possunt audiendi confessiones potestatem concedere aut ferre censuras, possunt quoque (excepto Vicario Capitulari et Vicario Generali sine mandato speciali) nonnullos casus ad suum avocare judicium, inferioribus absolvendi potestatem limitantes. Sed can. 896. pro religiosis hanc facultatem restringit ad Superiores generales et Abbates monasteriorum sui juris. Licet solummodo tres vel ad summum quatuor ex gravioribus tantum et atrocioribus criminibus externis et specifice determinatis reservare et reservatio diutius durare non debet, quam necesse sit ad publicum aliquod inolitum vitium exstirpandum et

collapsam forte disciplinam instaurandam (can. 897.). Non licet Ordinariis sibi reservare peccata etiam ratione censurae Apostolicae Sedi reservata (can. 898.). Reservatio cessat, si confessionem peragunt aegroti, qui domo egredi non valent et quando Superior facultatem pro determinato casu petitam denegaverit, vel facultas sine gravi incommodo poenitentis aut sine periculo laesionis sigilli peti non possit (can. 900.). Cum tamen supracit. can. 896. expresse firmum manere dicat praescriptum can. 518. et 519., tota reservatio non videtur amplius magni momenti, cum confessarii fere omnes possint etiam a reservatis imo etiam a censuris absolvere. Hoc solum forte dici potest, posse scil. Superiorem praeter confessarios juxta can. 518. § 1. deputatos etiam alios deputare sine facultate absolvendii a reservatis. Si vero illi jurisdictionem simul ab Ordinario loci habent, quod certe plerumque obtinet, etiam ipsi jam per can. 519. facultatem absolvendi a censuris et reservatis habent. Praeter illas reservationes a Superiore factas, reservationes per constitutiones et decreta Capitulorum generalium vim suam retinere videntur, sed istae in confessione eodem modo tractantur sicut et illae. Idem omnino dicendum est de censuris, ideoque omnes censurae per legem religionis vel etiam censurae latae sententiae a Superiore religioso inflictae fere considerandae sunt tamquam nemini reservatae.[1])

Facultatem absolvendi religiosos etiam sine eorum Superioris licentia et etiam a peccatis et censuris in religione reservatis Pius X. primo concesserat confessariis urbis Romae ab ipso Cardinali Vicario approbatis, die 5. autem Augusti 1913. in audientia a Cardinale Propraefecto S. Congregationis de Religiosis habita eam ad omnes confessarios totius orbis ab Ordinariis locorum approbatis extendit,[2]) quo facto tota disciplina de reservatione peccatorum quoad religiosos immutata est.

Sicut sacramentum poenitentiae ita Superior religiosus (praesertim, ut patet, localis) etiam *Eucharisticum Viaticum*

[1]) Cfr. Ferreres, Inst. can., tom. I. pag. 326., Nr. 826. c).
[2]) Acta Apost. Sedis, tom. 5. (1913.) pag. 431.

et *extremam unctionem*[1]) administrandam curare debet religiosis et omnibus illis, qui supra nominati per longius tempus in domo religiosa commorantur (can. 514. § 1.).

Quad *funera religiosorum* est dicendum; Religiosis (exceptis Episcopis) non licet ecclesiam funeris vel coemeterium sepulturae eligere (can. 1224 § 2.), licet autem novitiis. Tum professi tum etiam novitii (nisi aliam ecclesiam elegerint, quod idem valet de famulis actu in domo religiosa servientibus et intra domum morientibus) transferendi sunt funeris causa ad ecclesiam vel oratorium suae domus vel saltem suae religionis. Jus autem levandi cadaver et illud deducendi pertinet ad Superiorem religiosum (can. 1221.). Si longe moriantur a domo, funerandi sunt a parocho in coemeterio paroeciae, nisi Superior velit cadaver nihilominus in domum religionis deferre, susceptis translationis expensis (can. 1221. § 2. coll. can. 1218. § 3.). Alii defuncti in ipsa domo religiosa ut hospites, infirmi, alumni etc., de quibus can. 514., secundum jus commune a parocho sepeliendi sunt, nisi adsit speciale privilegium (can. 1222.). Si consentiente Superiore ab extraneis eligitur ecclesia religiosorum (can. 1228. § 2.), saltem a cura parochi exempta, parochus sub cruce ecclesiae funerantis cadaver levat et deducit ad ecclesiam, sed exequias rector ecclesiae celebret (can. 1230. § 3.). Religiosis tamen non licet aliquem inducere ad promittendum, ut apud ipsorum ecclesias funus aut apud ipsorum coemeterium sepulturam eligat (can. 1227.). Qui exequias in ecclesia peregit, jus et officium habet comitandi per se vel per alium sacerdotem cadaver ad locum sepulturae (can. 1231. § 2.).

49. Specialia praescripta habentur circa confessarios religiosarum. Ante omnia enim notandum est, pro confessione religiosarum et novitiarum requiri *peculiarem jurisdictionem ab Ordinario loci* collatam, ita ut, qui sine illa ageret confessarium religiosarum, illicite et invalide absolveret, cujuscumque dignitatis sit (excepta sola

[1]) Ferreres, Inst. can. pag. 324.

cardinalitia sec. can. 239. § 1.), sive sit sacerdos saecularis sive regularis etiam ipso Superiore generali religiosarum non excepto (can. 876.). Et quamvis in domibus religionum clericalium plures sint constituendi confessarii, pro domibus tamen religiosarum servatur antiqua praxis unum dumtaxat dandi confessarium ordinarium,[2]) qui sacramentales confessiones universae communitatis excipiet. Exceptio justa ex causa praesertim propter magnum religiosarum numerum concedi potest (can. 520. § 1.). Ratio hujus praecepti videtur esse unitas in directione spirituali, quae difficilius habetur, si pars communitatis ab uno, altera pars ab alio confessario dirigatur. Plures tamen exceptiones ab hac lege ad consulendum conscientiae libertati religiosis feminis concessae sunt et quidem:

1) Praeter confessarium ordinarium extraordinarius est deputandus, qui quater saltem in anno (solet hoc fieri circa quatuor tempora) ad domum religiosam accedat et cui omnes religiosae se sistere debent saltem benedictionem recepturae (can. 521. § 1.). Ratio hujus praescripti videtur esse, ut singulae religiosae facile apud extraordinarium confessionem peragere possint, quin id ab aliis advertatur.

2) Si qua religiosa ad animi sui quietem specialem confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, eum facile Ordinarius concedat. Invigilandum tamen est, ne ex hac concessione abusus irrepant (can. 520. § 2.). Officium invigilandi imprimis ad Episcopum spectat, confessarius autem specialis, si videt se inutiliter peti, Episcopum monere potest.

3) Ordinarii locorum, in quibus religiosarum communitates existunt, aliquot sacerdotes pro singulis domibus designent, ad quos pro sacramento poenitentiae in casibus particularibus recurrere eae facile possint, quin necessarium sit, ipsum Ordinarium toties quoties adire. Si qua religiosa aliquem ex iis confessariis expetat, nulli

[2]) Si in communitatae sunt saltem 6 sorores. S. Congr. De Religiosis die 3. Julii 1916.

Antistitae licet nec per se nec per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere, se id aegre ferre (can. 521. §§ 2. 3.).

Omnes isti confessarii eo ipso, quod ab Ordinario loci ad hoc munus eliguntur, etiam jurisdictionem illam peculiarem, quae pro mulieribus religiosis requiritur, ab eodem Ordinario loci accipiunt, proinde nullum umquam dubium de valore confessionis ex parte jurisdictionis oriri potest. Aliter est quoad exceptiones a lege, quae sequuntur. In illis enim jurisdictio non ab Episcopo sed a Romano Pontifice seu a lege sub certis conditionibus confertur, quae si impletae non fuerint absolutio est invalida.

4) Confessio in qualibet ecclesia vel etiam oratorio semipublico, quam aliqua religiosa ad conscientiae suae tranquillitatem apud confessarium ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum peragit, valida et licita est. Antistita hoc neque prohibere neque de ea re inquirere ne indirecte quidem debet, neque religiosae Antistitae aliquid hac de re referre tenentur (can. 522.).

Secundum hunc canonem videtur quaevis religiosa, monialibus non exclusis. etiam in propria ecclesia vel sacello propriae domus, si ibi adsit confessionale, quemlibet confessarium pro mulieribus approbatum rogare posse, ut suam audiat confessionem: *oratorium* enim est locus divino cultui destinatus (non tamen eo potissimum fine, ut universo fidelium populo usui sit ad religionem publice colendam, secus enim secundum can. 1161. esset ecclesia) et est *semipublicum*, si in commodum alicujus communitatis vel coetus fidelium eo convenientium erectum sit, neque liberum cuique sit, illud adire (can. 1188. Nr. 2.). Requiritur autem, ut cum Ordinarii licentia sit erectum, quo in casu omnia divina officia functionesve ecclesiasticae ibi celebrari possunt, nisi obstent rubricae aut Ordinarius aliqua exceperit (can. 1192. et 1193.). Haec omnia vero quoad sacella religiosarum verificantur. Ad confessiones

audiendas in aliena ecclesia requiritur utique licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae (can. 484. § 1.). Illicite autem et invalide ageret, ut videtur, confessarius pro religiosis femininis non specialiter approbatus, qui non rogatus sederet in confessionali ecclesiae vel sacelli domestici religiosarum et indiscriminatim admitteret omnes religiosas ad se accedentes, secus enim inutile esset praescriptum canonis 876. § 1. Multo magis, ut per se patet, licet sororibus, quae e domo exeundi facultatem habent, adire quamlibet ecclesiam vel oratorium publicum ad confessionem ibi peragendam, dummodo hoc modo injunctum officium non negligant. Neque videtur prohibitum, quod aliqua soror habitualiter ad aliquem confessarium in publico oratorio vel ecclesia accedat, menti tamen legis certe magis conveniret, ut pro tali casu, si necessitas vel magnum emolumentum spirituale adesset, sibi confessarium specialem ab Ordinario expetat. Si autem hoc sine gravi incommodo non possit, certe etiam alium modum eligere licet.

5) Religiosae graviter aegrotanti, licet mortis periculum absit, arcessere possunt quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, eique perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint confiteri (can. 523.). Antistita hoc prohibere nequit.

Certe in hoc casu absolutio esset invalida nisi religiosa vere aegrotaret, quoad gravitatem morbi videtur confessarius minus anxius esse debere, cum periculum mortis non postuletur.

Confessarii tum ordinarius tum extraordinarius debent esse a) sacerdotes morum integritate et prudentia praestantes, b) saltem 40 annos nati (nisi justa causa aliud exigat), c) nullam in foro externo in easdem religiosas potestatem habentes. d) Confessarius ordinarius triennio expleto non potest iterum institui nec renuntiari extraordinarius nisi post annum ab expleto munere (can. 524. §§ 1. 2.).[1]) Nihilominus Ordinarius loci potest eum ad 2.

[1]) Potest tamen peti in confessarium specialem alicujus religiosae (S. Congregatio de Religiosis 20. Aprilis 1917.).

imo ad 3. triennium confirmare, si vel 1. ob penuriam sacerdotum aliter providere nequeat, vel 2. major religiosarum pars, earum quoque, quae in aliis negotiis jus non habent ferendi suffragium, in ejusdem confessarii confirmationem, per secreta suffragia convenerit. Dissidentibus tamen, si velint, aliter providendum est (can. 526.). e) Confessarius extraordinarius immediate ut ordinarius renuntiari potest (can. 524. § 2.). f) Religiosarum regimini interno vel externo confessarii nullo modo sese immisceant (can. 524. § 3.). Regimen internum (per can. 524. prohibitum) non est forte intelligenda directio spiritualis singularum religiosarum, quae proprie pertinet ad confessarium ordinarium sed potius directio familiae religiosae qua talis e. g. qualis ordo diurnus servandus, distributio munerum seu officiorum, administratio bonorum temporalium etc. g) Confessariorum approbatio pendet ab Ordinario loci, qui eos libere eligit, si religiosarum domus aut ipsi aut Sedi Apostolicae immediate subjecta est. Si autem domus religiosa a Superiore regulari pendet, hic confessarios Ordinario loci praesentat. Si hac in re negligens sit, Ordinarius loci supplere debet (can. 525.). h) Loci Ordinarius potest etiam confessarios gravi ob causa removere, si autem moniales regularibus subdantur, debet Superiorem regularem de amotione monere; causam vero amotionis uni Sedi Apostolicae significare tenetur, si ab ea requiratur (can. 527.). Ad talem revocationem jurisdictionis requiritur tamen gravis causa (can. 880. § 1.).

Confessarius ordinarius monialium etiam jus et officium habet aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus Eucharisticum Viaticum et extremam unctionem ministrare (can. 514. § 2.), quem ad finem ipse et qui ejus vices gerit, clausuram ingredi potest (can. 600. Nr. 2.). — Religiosas et novitias in religiosa domo defunctas ad clausurae limen deferunt aliae religiosae, indeque, si de monialibus agitur, ad ecclesiam monasterii deducit et exequias peragit earum capellanus. Si non sint

moniales sed religiosae votorum simplicium, parochi est officium et jus exequias persolvendi (can. 1230.). Si extra domum moriantur, idem valet ac supra dictum est de religiosis viris.

Peculiaris approbatio (quae nunc a jurisdictione non amplius distinguitur) pro confessariis monialium jam per plures constitutiones Romanorum Pontificum erat praescripta (Cfr. Gregorii XV. constitutionem „Inscrutabili", 5. Februarii 1622., Clementis X. constitutionem „Superna", 21. Junii 1670., et Benedicti XIV. constitutiones „Pastoralis officii" et „Pastoralis curae" 5. Augusti 1748.). Pro aliis religiosis virginibus plerumque jurisdictio ab Episcopis etiam aliquibus tantum sacerdotibus exclusive data fuit et sic paulatim in Ecclesia hic mos introductus est, qui jam a Leone XIII. in constitutione „Conditae a Christo" 8. Dec. 1900. approbatus est et nunc per legem Codicis confirmatur. Confessarius ordinarius antea non potuit constitui regularis sine speciali facultate Sedis Apostolicae (S. Congr. Episc. et Regul. 1. Sept. 1905.) nunc autem hoc omnino licitum est, dummodo Superior confessarii religiosi licentiam det. Confessarium extraordinarium primo praescripserat Concilium Tridentinum sessione XXV. cap. 10. de Reg. Modum vero destinandi extraordinarium, qui et nunc valet determinavit Benedicti XIV. const. „Pastoralis curae". In decreto vero „Quemadmodum" 17. Decemb. 1890. a Leone XIII. per S. Congregationem Ep. et Reg. admonentur Praesules et Superiores ne denegent extraordinarium confessarium religiosis, quoties, ut propriae conscientiae consulant, id petant. Plures denique leges de sacramentalibus monialium et sororum confessionibus in unum colligit, ex parte autem immutat decretum S. Congregationis de Religiosis datum die 3. Februarii 1913. sub Pio X., quod jam fere ad verbum ea continet, quae nunc hac de re in Codice praescribuntur.

50. Sicut pro religiosis mulieribus ita etiam pro laicalibus virorum religionibus deputandus est confessarius ordinarius et extraordinarius (can. 528.), cui jurisdictionem confert Ordinarius loci, in quo religiosa domus sita est (can. 874.); in religione vero laicali exempta Superior proponit confessarium (can. 875. § 2.). — Si quis religiosus aliquem specialem confessarium expostulet, illum Superior concedat, nullo modo petitionis rationem exquirens neque id aegre se ferre demonstrans (can. 528.). — Peculiari autem jurisdictione omnes isti confessarii non indigent et ideo eo facilius religiosi Congregationis laicalis apud quem-

libet confessarium ab Ordinario loci approbatum juxta praescripta canonis 519. ad conscientiae suae tranquillitatem confiteri possunt. Peccata reservata in religione non existunt, quia Superiores jurisdictionem nec habent nec conferunt proinde neque ullam ejus partem sibi reservare possunt. Patet in religione laicali necessarium esse sacerdotem, qui pro religiosis missam celebret, conciones habeat aliasque functiones liturgicas peragat, quem Ordinarius loci ipsis designare debet. In religione vero exempta Superior eum designare potest,[1]) quod si negligeret, Ordinarius loci supplere debet (can. 529.). — Quoad funera eadem valent, quae supra de religionibus clericalibus dicta sunt, si propriam habeant ecclesiam et coemeterium eo excepto quod jus ad exequias celebrandas non pertinet ad Superiorem sed ad capellanum vel rectorem ecclesiae. Si non sunt exempti a cura parochi, parochus secundum jus commune eos sepeliendi jus et officium habet.

Novitii in religionibus virorum tractantur fere ut professi religionum laicalium. Constituendi sunt unus vel plures confessarii ordinarii (non autem Magister novitiorum

[1]) Quandoque Ordinibus laicalibus quoad administrationem sacramentorum et sacras functiones sat magna concessa sunt privilegia, ita ut sacerdotes ipsius Ordinis vel etiam capellani ab ipsis non ab Episcopo designati habeant etiam jus administrandi sacramenta religiosis et aliis in domo religiosa degentibus sicut fere parochus. Ita e. g. Ordo sti. Joannis de Deo talia privilegia accepit die 8. Aug. 1571. a Sto. Pio V. per bullam „Salvatoris“ et a Gregorio XIII. per bullam „In supereminenti“, tandem a Benedicto XIV. per Breve „Creditae nobis“ (7. Februarii 1757.). Benedictus XIV. scribit: „Ordo ipse nedum ulli unquam parochiali jurisdictioni succubuit, . . . ut sui Sacerdotes seu Capellani hospitalium praefatorum servitio addicti, Sacramenta supradicta suis administrare, famulisque aliisque personis hujusmodi tamquam Parochi administrent, ac cetera quoque parochialia munia intra suorum Hospitalium et Ecclesiarum septa exercere . . . ac infirmorum inibi ab hac luce migrantium aliorumque ministrorum et officialium cadavera in loco sacro humare possent . . .“ (Ita nobis significatum ex domo reconvalescentium O. S. J. d. D. Viennae die 3. Septembris 1918.)

vel ejus socius sec. can. 891.) pro eorum numero. Confessarii ordinarii, si agatur de religione clericali, in ipsa novitiatus domo commorentur; si de laicali, saltem frequenter ad domum novitiatus accedant, novitiorum confessiones audituri. Praeter confessarios ordinarios designentur aliqui confessarii, quos novitii in casibus particularibus adire libere possint, nec Magister aegre id se ferre demonstret. Quater saltem in anno detur novitiis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant saltem benedictionem recepturi (can. 566. § 2.). Ad conscientiae suae quietem sicut religiosi ita et novitii confiteri possunt apud quemcumque confessarium ab Ordinario loci approbatum (can. 566. § 2. coll. can. 519.). — De novitiis in domibus mulierum religiosarum jam tractavimus, cum de ipsis valeant omnia praescripta pro religiosis feminis (can. 566. § 1.).

51. Codex ad caput II. de confessariis et capellanis in fine addit can. 530. de reddenda ratione conscientiae, qui sic sonat: § 1. Omnes religiosi Superiores districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam. — § 2. Non tamen prohibentur subditi, quominus libere ac ultro aperire animum suum Superioribus valeant; imo expedit, ut ipsi filiali cum fiducia Superiores adeant, eis, si sint sacerdotes, dubia quoque et unxietates suae conscientiae exponentes.

De manifestatione conscientiae haec notare juvabit: Jam inde ab antiquissimis christianae religionis temporibus praxis fuit eorum, qui ad perfectionem christianam pervenire desiderabant, de rebus ad perfectionem pertinentibus cum viris maturae aetatis et hac in re peritis agere, eorum consilia petere eisque ad hunc finem etiam conscientiae suae secreta aperire; imo periculosum esse dixerunt, si quis in vita spirituali progredi volens sine duce, proprio confisus judicio, procederet. In monasteriis autem Superior principaliter suorum subditorum directorem spiritualem egit, qui absque ulla obligatione ad eum in suis anxietatibus et dubiis recurrerent. Obligatio autem ad conscientiam aperiendam per constitutiones Societatis Jesu a Sto. Ignatio introducta est, quae deinde per decreta Congregationum generalium et

maxime per Patrem Generalem Claudium Aquaviva accuratius circumscripta et declarata fuit. Postea vero haec lex a multis modernis Congregationibus fuit acceptata, non solum a religionibus clericalibus sed etiam a laicalibus imo a mulieribus. Quamvis hic modus aperiendi conscientiam proprio Superiori magnae utilitatis esse possit, cum Superior propter suam potestatem, quam in subditos exercet, illos multo facilius et efficacius juvare possit quam quicumque alius, tamen obligatio ad talem manifestationem, praesertim si illa laicis in theologia et rebus spiritualibus forte minus peritiis imo etiam mulieribus facienda exigitur, periculis certe non caret. Quapropter Leo XIII. per decretum „Quemadmodum", in quo pericula et abusus etiam exponuntur, irritavit et abrogavit „quascumque dispositiones Constitutionum piarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium nec non virorum omnimodo laicorum . . . in eo . . . quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt etc." Insuper districte prohibuit „memoratis Superiorissis, . . . ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis aut blanditiis ad hujusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam." Canon autem 530. hanc prohibitionem extendit ad omnes religiones ne clericalibus quidem exceptis. Canon citatus autem solum prohibet omnem coactionem ad conscientiam Superiori manifestandam et omnem etiam inductionem ex parte ipsius Superioris, ipsam vero manifestationem libere factam laudat, imo laudat etiam, si illa sponte a subditis Superiori fiat, si ille sacerdos sit. Ideo haec praxis non quidem a Superiore sed ab aliis etiam suaderi potest. Neque nova lex impedit, quominus in ipsis regulis manifestatio conscientiae non Superiori sed e. g. confessario vel spirituali facienda *in religionibus clericalibus* suadeatur.

Art. III.

De bonis temporalibus eorumque administratione.[1])

(Codex can. 531.—537.)

52. Non modo religio sed etiam provincia et domus sunt capaces acquirendi et possidendi bona temporalia cum reditibus stabilibus seu fundatis, nisi earum capacitas in

[1]) Ferreres, Inst. can. I. pag. 331.)

regulis et constitutionibus excludatur aut coarctetur (can. 531.). Talis coarctatio habetur in Ordinibus mendicantibus, qui etiam in communi bona stabilia possidere non possunt. Hac de re jam sermo erat, quando de distinctione familiarum religiosarum locuti sumus. Vide Cap. I. Art. II. Nr. 11. pag. 17.

Administratores bonorum temporalium sunt imprimis Superiores et sub eorum directione oeconomi, quos secundum can. 516. § 2. constitui opportet, vel etiam alii officiales juxta constitutiones diversarum religionum (can. 532.). Illi etiam legitimati sunt ad actus juridicos ordinariae administrationis. Administratio vero bonorum temporalium, quatenus ab acquisitione et alienatione distinguitur, denotat omnes illos actus, qui ad conversationem et melioratione substantiae bonorum ecclesiasticorum jam acquisitorum aut ad legitimam perceptionem, conservationem, meliorationem atque praesertim applicationem fructuum et redituum illorum bonorum referuntur.[1]) Haec ergo omnia ad ordinariam administrationem pertinent, ideoque juxta diversas constitutiones ab officialibus ad hoc deputatis e. g. oeconomis, procuratoribus, ministris etc. fieri possunt. Solent tamen plerumque ad majores expensas pro conservatione et melioratione substantiae bonorum indigere consensu expresso Superioris, qui semper, si putat necessarium vel utile esse, officialibus determinatos actus juridicos injungere vel prohibere potest. Superiores locales etiam per se ipsos bona temporalia administrare possunt, si hoc forte propter penuriam sodalium in domo necessarium apparet, Superiores vero provinciales et generales munus oeconomi exercere prohibentur (can. 516. § 3.). De modo administrandi et de ratione Superiori redenda constitutiones singularum religionum inspiciendae sunt. Idem valet quoad modum constituendi oeconomos; si autem in constitutionibus nihil hac de re inveniatur, Superior major cum consensu sui Consilii eos eligit.

[1]) Cfr. Wernz, Jus decretalium III. 1². pag. 171. Nr. 147.

53. Quae generatim can. 1523. et 1524. de administratoribus bonorum ecclesiasticorum dicunt, certe in quantum religiosis applicari possunt, etiam de illis valent. Can. 1523. autem sic sonat: „Administratores bonorum ecclesiasticorum diligentia boni patris familias suum munus implere tenentur; ac proinde debent: 1. Vigilare ne bona ecclesiastica suae curae credita quoquo modo pereant aut detrimentum capiant; 2. Praescripta servare juris tam canonici quam civilis aut quae a fundatore vel donatore vel legitima auctoritate imposita sint; 3. Reditus bonorum ac proventus accurate et justo tempore exigere exactosque loco tuto servare et secundum fundatoris mentem aut statutas leges vel normas impendere; 4. Pecuniam ecclesiae (i. e. personae moralis etiam provinciae vel domus, cfr. can. 1498.), quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, de consensu Ordinarii (i. e. Abbatis vel Provincialis) in emolumentum ipsius ecclesiae occupare (qua in re constitutiones singularum religionum bene sunt attendendae, cfr. can. 533. § 1. et 532. § 1.); 5. Accepti et expensi libros bene ordinatos habere; 6. Documenta et instrumenta, quibus jura ecclesiae in bona nituntur, rite ordinare et in ecclesiae archivo vel armario convenienti et apto custodire; authentica vero eorum exemplaria, ubi commode fieri potest, in archivo vel armario Curiae deponere.“ Can. vero 1524. dicit: „Omnes et praesertim clerici, religiosi ac bonorum ecclesiasticorum administratores in operum locatione debent assignare operariis honestam justamque mercedem; curare ut iidem pietati idoneo temporis spatio vacent; nullo pacto eos abducere a domestica cura parsimoniaeque studio, neque plus iisdem imponere operis, quam vires ferre queant neque id genus, quod cum aetate sexuque dissideat.“

54. Quoad *collocationem* (vel etiam mutationem collocationis) *pecuniae* notandum est: 1. Regulares quidem ad pecunias provinciarum vel etiam domorum collocandas consensu Ordinarii loci non indigent, etiamsi pecunia data vel

legata sit ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso in loco impendendam, indigent autem tali consensu, si pecunia data sit paroeciae vel missioni aut religiosis intuitu paroeciae vel missionis (can. 533. § 1. Nr. 3. 4.). — 2. Superior vel Antistita domus Congregationis religiosae (ergo non provinciae, si illa fines dioecesis excedat et Congregatio sit juris pontificii) pro casu supranominato (scil. si qui fundi domui tributi vel legati sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso in loco impendendam) tenentur obtinere consensum praevium Ordinarii loci.

Hic videtur notandum: Can. 533. § 1. Nr. 3. non distinguit inter Congregationem exemptam et non exemptam, quare etiam Superior domus Congregationis exemptae ad collocationem pecuniae in finem supradictum datae indiget consensu Ordinarii loci imo etiam Superior regularis, si pecunia sit intuitu paroeciae vel missionis data, quamvis ad acceptationem piae fundationis[1]) sec. can. 1550. religiosi exempti talem consensum exquirere non debeant, etiamsi fundatio facta sit in ecclesia paroeciali Congregationis vel a fortiori Ordinis. Superioris enim majoris est in religione exempta normas praescribere de dotis quantitate, infra quam pia fundatio admitti nequeat et de ejus fructibus rite distribuendis. Hoc idem vero in dioecesi et in religione non exempta ad loci Ordinarium pertinet (cann. 1545. et 1550.). Ipsae quoque fundationes, etiam viva voce factae, scripto consignandae sunt et ejusmodi tabularum exemplar in Curiae archivo, alterum in archivo personae moralis, ad quam fundatio spectat, tuto asservanda est (cann. 1548. et 1550.) Archivum Curiae certe imprimis intelligitur Curiae Episcopalis, sed cum can. 1550. expresse dicat: „Si agatur de piis fundationibus in ecclesiis, etiam paroecialibus, religiosorum exemptorum, jura et officia Ordinarii loci, de quibus in can. 1545.—1549. exclusive competunt Superiori majori", loco archivi Curiae Episcopalis intellegi debet archivum provinciae vel archivum monasterii sui juris, cui paroecia incorporata est. Hoc eo magis videtur probabile, cum etiam vigilantia, ut piae voluntates defunctorum impleantur, sec. can. 1515. non locorum Ordinariis sed Ordinariis sim-

[1]) Nomine piarum fundationum significantur bona temporalia alicui personae morali in Ecclesia quoquo modo data cum onere in perpetuum vel in diuturnum tempus ex reditibus annuis aliquas Missas celebrandi, vel alias praefinitas functiones ecclesiasticas explendi, aut nonnulla pietatis et caritatis opera peragendi (can. 1544. § 1.) Fundatio legitime acceptata, naturam induit contractus synallagmatici: do ut facias (Ibidem § 2.).

pliciter i. e. aut Episcopis in dioecesi aut Superioribus majoribus in religione incumbat. Ideo et jus illud, quo Episcopi potuerunt visitare religiosos etiam ut delegati Sedis Apostolicae quoad pias fundationes et executionem ultimae voluntatis defunctorum (Conc. Trid. sess. XXII. Cap. 8. de ref. et sess. XXV. Cap. 8. de ref.) videtur respectu regularium restrictum ad fundationes intuitu paroeciae vel missionis factas (can. 535. § 3. Nr. 2., cfr. can. 344. § 2.) de cetero autem in Visitatores religiosorum translatum, respectu autem Congregationum etiam exemptarum includitur in jure eas visitandi quinto quoque anno quoad ecclesiam etc. (can. 512. § 2. Nr. 2.) simul cum jure cognoscendi de administratione fundorum, de quibus supra (can. 535. § 3. Nr. 2.).

3. Antistita in Congregatione religiosa juris pontificii consensu Ordinarii loci indiget ad collocationem pecuniae, quae dotem professarum constituat, secus vero in collocatione pecuniae domus vel provinciae ab ejus consensu non pendet (can. 533. § 1. Nr. 2.). — 4. Antistita monialium, si monasterium sit immediate Sedi Apostolicae vel Episcopo subjectum, indiget consensu Ordinarii loci et quidem illo solo, si vero monasterium sit Superiori regularium subjectum praeter consensum Ordinarii loci etiam consensum Superioris regularium expetere debet. — 5. Antistita religionis juris dioecesani pro cujusvis pecuniae collocatione indiget consensu Ordinarii loci (can. 533. § 1. Nr. 1.).

55. Administratores juxta constitutiones debent *rationem suae administrationis reddere* Superioribus religiosis praesertim in visitatione. In specie autem Ordinario loci competit jus cognoscendi de rationibus oeconomicis domorum juris dioecesani etiam virorum imprimis autem mulierum et quidem in quolibet monasterio monialium etiam exempto singulis annis aut etiam saepius, si in constitutionibus ita praescribitur. Ratio est gratis exigenda i. e. Episcopus pro suo labore a monialibus nihil exigere potest. Contrarium i. e. moniales nihil exigere posse, cum res in earum favorem sit praescripta, per se patet. Si monasterium regularibus sit subjectum, ratio reddemda est etiam Superiori regularium (can. 535. § 1. Nr. 1.). Si ratio administrationis Ordinario non probetur, ipse potest opportuna remedia adhibere, etiam removendo, si res postulet,

oeconomam aliosque administratores; quod si monasterium sit Superiori regulari subjectum, eum Ordinarius loci, uti prospiciat, moneat; quod si ille neglexerit, ipse per se consulat (Ibidem Nr. 2.). In Congregationibus religiosis mulierum, quae sunt juris pontificii, Ordinarius loci rationem administrationis bonorum, quae dotes constituunt, exigere potest occasione visitationis vel etiam saepius, si id necessarium duxerit (can. 535. § 2.). — De collectione eleemosynarum vide infra, ubi agitur „De privilegiis".

56. *De alienatione bonorum temporalium religiosorum* quae generatim can. 1532. statuit de necessitate beneplaciti Sedis Apostolicae pro alienandis rebus pretiosis aut rebus, quae excedunt valorem 30.000 libellarum seu francorum, ea in specie pro religiosis repetit can. 534. § 1.[1]) Alienatio vero sine beneplacito Sedis Apostolicae facta est invalida (can. 1530. § 1. Nr. 3. et 1532. § 1. et eodem modo can. 534. § 1.). Idem valet, si agatur de contrahendis debitis et obligationibus ultra indicatam summam. Si vero agitur de re minoris valoris alienanda, requiritur solummodo licentia Superioris ad normam constitutionum. Haec autem licentia danda est 1. in scriptis, 2. cum consensu Capituli seu Consilii, qui consensus 3. manifestandus est per suffragia secreta. — Necessarius est etiam consensus Ordinarii loci, si agitur de sororibus juris dioece-

[1]) Hi canones innovant et aliquantulum immutant praescripta celeberrimae Constitutionis Pauli II. „Ambitiosae" (Extrav. comm. Cap. unic. III. 4.) a Pio IX. in Constitutione „Apostolicae Sedis" iterum confirmatae. Paulus II. enim prohibuerat alienationem bonorum immobilium et mobilium pretiosorum, nunc autem simpliciter prohibetur alienatio rerum majoris valoris quam 30 000 libellarum seu francorum, sive sint mobilia sive immobilia. Cum autem juxta declarationem S. Congr. Conc. per Const. Ambitiosae jus antiquum canonis „Terrulas" 53. causae XII. quaest. II. non fuerit immutatum, semper Episcopis licuit terrulas aut vineolas exiguas alienare, quapropter res jam antea practice ad idem rediit ideoque novum jus cum antiquo omnino concordat, solummodo clarius determinat, quanti valoris aliqua res esse debeat, ut requiratur beneplacitum apostolicum, si alienanda sit. (Cfr. Wernz, Jus decret. III. 1². pag. 183. Nr. 165.)

sani aut de monialibus, quarum si monasterium subjectum est regularibus, accedere debet insuper consensus Superioris regularis (Ibidem can. 534. § 1.).

In precibus pro obtinendo consensu ad contrahenda debita vel obligationes (sive consensus sit obtinendus a Sede Apostolica sive a Superiore religioso sive ab Ordinario loci, cfr. can. 1530. § 1. Nr. 3.), exprimi debent alia debita vel obligationes, quibus ipsa persona moralis, religio vel provincia vel domus, ad eum diem gravatur; secus obtenta venia invalida est (can. 534. § 2.).

Quoad poenas in transgressores supradictae legis statuit can. 2347.: „Firma nullitate actus et obligatione etiam per censuram urgenda, restituendi bona illegitime acquisita ac reparandi damna forte illata, qui bona ecclesiastica alienare praesumpserit aut in iis alienandis consensum praebere contra praescripta can. 534. § 1. et can. 1532.: 1. Si agatur de re, cujus pretium non excedit mille libellas, congruis poenis a legitimo Superiore ecclesiastico puniatur 2. Si agatur de re, cujus pretium sit supra mille sed infra triginta milia libellarum, privetur patronus jure patronatus: administrator munere administratoris; Superior religiosus vel oeconomus religiosus, proprio officio et habilitate ad cetera officia, praeter alias congruas poenas a Superioribus infligendis; Ordinarius vero aliique clerici officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia obtinentes, solvant duplum favore ecclesiae vel piae causae laesae; ceteri clerici suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum; 3. Quod si beneplacitum apostolicum, in memoratis canonibus praescriptum, fuerit scienter praetermissum, omnes quovis modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, manet, praeterea excommunicatio latae sententiae nemini reservata."

Praeter licentiam Superioris etiam aliae solemnitates praescriptae sunt: 1. Aestimatio rei a probis peritis scripto facta, et res alienari minore pretio non debet, quam quod in aestimatione indicatur, 2. Justa causa, id est urgens necessitas vel evidens utilitas ecclesiae vel pietas; 3. Alie-

natio fiat per publicam licitationem aut saltem nota reddatur, nisi aliud circumstantiae suadeant; et res ei concedatur, qui omnibus perpensis plus obtulerit. 4. Pecunia ex alienatione percepta caute, tuto et utiliter in commodum Ecclesiae collocetur. 5. Si Superior alias cautelas ad Ecclesiae damnum vitandum praescripserit, omittendae non sunt (Cfr. cann. 1530., 1531.).

57. Cum religiosi propter votum paupertatis neque de rebus suis, si habent, neque de bonis religionis sive valide sive saltem licite disponere possint, nisi sub certis conditionibus (praesertim cum licentia Superioris), ideo quaestio oriri potest, *quis ex tali contractu sit responsabilis*, hoc est cui incumbat obligatio contractum implendi vel damna ex eo forte orta reparandi, ita ut etiam actio judicialis contra eum institui possit. Hac de re nullum dubium relinquit can. 536., qui imprimis dicit § 1. „Si persona moralis (sive religio sive provincia sive domus) debita et obligationes contraxerit etiam cum Superiorum licentia ipsa tenetur de iisdem respondere.“ Patet ergo non Superiorem esse responsabilem neque forte provinciam, si domus aliqua religiosa contractum forte infeliciter inierit, quamvis cum licentia Superioris provincialis egerit, et similiter in aliis casibus. Aliter tamen res se habet, si aliquis religiosus cum licentia Superioris contractum inierit; nam in tali casu non ipse responsabilis est neque persona moralis, cui ille immediate adscribatur, sed persona moralis, cujus Superior licentiam dedit, si agitur de professo votorum solemnium. Sic domus est responsabilis, si Superior localis; provincia, si provincialis; Ordo, si generalis licentiam dederit. Notari tamen debet, hoc locum habere posse solummodo in iis religionibus, in quibus omnes illae personae dominii sunt capaces (cfr. can. 531.). Ubi ergo talis capacitas non adest, ad constitutiones videtur recurrendum; vel etiam res ita intelligi potest, ut obligationibus satisfaciendum sit ex illis bonis temporalibus, de quibus Superior, qui licentiam dedit, juxta constitutiones disponere possit. Si vero agitur de religioso votorum simplicium,

cum sit adhuc dominii capax, ipse respondere potest et debet (can. 536. § 2.). Si contraxerit religiosus sine ulla Superiorum licentia, ipsemet respondere debet non autem religio vel provincia vel domus (can. 536. § 3.). Hoc pro professo votorum simplicium imprimis significat, eum debere stisfacere obligationibus ex propriis bonis; professus autem votorum sollemnium, qui utique simul invalide egit (can. 579.) non debet satisfacere obligationi ex contractu, quae non existit, sed potius reparare pro viribus proprio labore damna ex sua actione orta. — Semper tamen actio institui potest contra eum, in cujus rem aliquid ex inito contractu versum est. Igitur, si e. g. domus aliqua ex emptione illicita alicujus religiosi rem aliquam acquisiverit, etiam justum pretium solvere debet, etiamsi contractus ab initio fuerit invalidus, nisi forte rem restituere velit (can. 536. § 4.). — Tandem monentur (§ 5.) Superiores, ne licentiam ad debita contrahenda concedant, nisi constet posse foenus et amortizationem ex reditibus solvi.

58. (54) *De largitione munerum*, de qua antea severae prohibitiones extiterunt per Constitutionem Clementis VIII. „Religiosae Congregationes" datam 19. Jun. 1594.[1]) et Urbani VIII. (priorem restringentem) „Nuper a Congregatione" 16. Oct. 1640.,[2]) nunc brevissime dicit can. 537.: „Largitiones ex bonis domus, provinciae, religionis non permittuntur, nisi ratione eleemosynae vel alia justa de causa, de venia Superioris et ad normam constitutionum."

1) Prohibitae ergo tum fuerunt Constitutionibus supradictis tum nunc sunt per can. 537. largitiones tam a singulis religiosis quam a communitatibus faciendae ex bonis communitatis religiosae non autem ex bonis propriis singulorum religiosorum. Excipiebantur vero ab hac prohibitione a) largitiones eae, quae factae sint „ex causis gratitudinis, conciliationis benevolentiae ejusque conservationis erga ipsam religionem vel conventum aliisque causis sua natura actum virtutis et meriti continentibus." Idem videtur nunc asseri verbis canonis citati „ratione eleemosynae vel alia justa de causa." Solummodo nunc primo loco

[1]) Bull. Rom. ed. Luxemb. T. III. pag. 44. ss.
[2]) Bull. Rom. ed. Luxemb. T. V. pag. 349. ss.

excipiuntur eleemosynae, quod videtur melius, cum ad eleemosynas dandas major videtur obligatio, quam ad gratitudinem largitionibus significandam etc.; dicit enim e. g. P. Vermeersch[1]): „Eleemosynas Praelatus facere debet non tantum ex superfluis bonis, sed etiam ex necessariis, quantum postulant cum levandae necessitates tum ratio dandae aedificationis et boni exempli." Quae prohibentur, fere ad largitiones prodigas reducuntur. Debuerunt tamen b) largitiones ex justa causa fieri „modeste et discrete". Nominatim c) expensae in excipiendis benefactoribus, protectoribus, Ordinariis eae sint oportet etiam nunc, quae decentiae status religiosi non adversantur. 2) Largitiones munerum contra Constitutiones Romanorum Pontificum factae non tantum illicitae sed et invalidae declaratae sunt, adeo ut acceptans teneretur ea restituere, quod nunc sic generatim non amplius dici potest. Si autem Superior religiosus largitiones fecerit sine omni justa causa vel, quae potestatem suam excedunt, vel si religiosus egerit absque licentia Superioris, totum negotium ex natura sua est invalidum, ideoque etiam nunc acceptans munera non facit sua. 3) Num illicitae largitiones illicitam dispositionem de rebus sacris involvant proinde sacrilegii vitium etiam nunc secundum Codicem juris canonici contineant, forte dubitare licet. Codex enim non distinguit inter res stricto sensu et lato sensu sacras sed solum dicit: Bona temporalia „dicuntur sacra, quae consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinata sunt" (can. 1497. § 2.). Negari quidem nequit, bona religiosorum nihilominus, etsi non per actum vere liturgicum tamen juridice manere ad cultum divinum destinata ideoque per talem dispositionem ex illa destinatione illicito modo subtrahi. Utrum autem citra voluntatem Ecclesiae prohibentem et hoc declarantem talis subtractio jam indigna tractatio rei sacrae sit, non videtur constare. 4) a) Prohibitio Clementis VIII. et Urbani VIII. ad solos regulares directa fuit, praescriptum vero canonis 537. omnes religiosos afficit. b) Excipiuntur religiosi ad Episcopatum aut ad alia beneficia saecularia provecti (cfr. can. 628. et 630. § 4.) et c), ut patet. etiam religiosi saecularizati et ejecti. 5) Poenae olim in munerum largitores statutae, ut privationes dignitatum et officiorum, vocis activae et passivae, inhabilitates ad officia, infamia juris certe nunc non amplius valent. Etiam reservatio absolutionis acceptantis munera a regularibus per Codicem sublata est. Sed scienter acceptantes munerum largitiones invalide factas facile incurrere possunt in excommunicationem canonis 2346., qui dicit: „Si quis bona ecclesiastica cujuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus

[1]) Vermeersch, De religiosis inst. et pers. I. pag. 258. Nr. 435. cfr. Card. de Lugo De jure et justititia Disp. III. sect. VIII. n. 186.

convertere et usurpare praesumpserit aut impedire, ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, excommunicationi tamdiu subjaceat, quamdiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit:[1]) quod si ejusdem ecclesiae seu bonorum patronus fuerit, etiam jure pratronatus eo ipso privatus existat; clericus vero hoc delictum committens vel in eodem consentiens[2]), privetur praeterea beneficiis quibuslibet, ad alia quaelibet inhabilis efficiatur et a suorum ordinum exsecutione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur.

Caput IV.

Codicis Titulus XI.

De admissione in religionem.

(can. 538.—586.)

59. (15) Ingressus in religionem fit per nuncupationem votorum religiosorum; per eam etenim firmitas et immobilitas ad statum requisita obtinetur tum quia obligatio versus Deum contrahitur servandi tria consilia evangelica, tum quia simul cum votorum emissione et in ea traditio fit ad familiam religiosam. Nuncupatio autem votorum religiosorum sive professio distinguitur in simplicem et sollemnem. Tamen inchoative et imperfecte ille religionem ingredi dici potest, qui probationem aggreditur necessario

---

[1]) Hoc modo reservatio Clementis VIII. saltem indirecte denuo introducta est.

[2]) Ut consentientes certe etiam largitores ipsi considerandi sunt, proinde his poenis, quatenus sunt capaces puniri possunt. Cum religiosi beneficia plerumque non habeant, praeter excommunicationem latae sententiae, quam incurrunt, etiam suspensio ab exercitio ordinum eis infligenda esset a proprio Superiore.

votorum nuncupationi praemittendam. Etenim ipse quoque potestati oeconomicae et jurisdictioni ecclesiasticae Superiorum ejus familiae religiosae, quam ingreditur, aliquatenus subjicitur. Ingressum vero etiam in domum probationis praecedere debet praeparatio voluntatis per gratiam divinam, quae „vocatio“ nominari solet. Itaque in hoc capite agendum est: a) de vocatione ad statum religiosum. b) de postulatu, quod quandoque ante initium anni probationis praescribitur, c) de novitiatu et e) de professione religiosa.

Art. I.

De vocatione ad statum religiosum.

(cfr. can. 538.)

60. Vocari ad aliquem statum dicitur homo, qui per gratiam divinam ad eum amplectendum invitatur. Requiri gratiam divinam ad amplectendum statum religiosum patet ex eo, quod nullum actum supernaturaliter bonum sine gratia divina ponere possimus. Vocatio vero divina proprie dicta habetur solum, quando agitur de electione majoris boni, quapropter sermo esse solet de vocatione ad fidem, ad sacerdotium, ad statum religiosum non autem, nisi sensu aliquo lato et raro solummodo adhibito[1]) de vocatione ad matrimonium vel ad statum communem vel de voluntate Dei tantum permissiva. Haec vocatio est *externa,* si intelligitur electio per auctoritatem ecclesiasticam e. g. si Episcopus aliquem candidatum eligit ad ordinem sacerdotalem. Nos autem hic loquimur de vocatione *interna*, quae complectitur omnia auxilia divina, quibus Deus aliquem ducit ad amplectendum statum religiosum. Haec vocatio divina est aut *generalis* aut *specialis.* Generalis quaedam invitatio dirigitur ad omnes christianos eo

[1]) Cfr. e. g. Stum. Paulum 1. Cor. 7., 20. „Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.“

ipso, quod Christus Dominus tria consilia evangelica omnibus exposuit ita, ut omnes fideles tum quandoque in concionibus audire tum ex lectione ipsius Scripturae sacrae hanc viam perfectionis cognoscere possint, quam eligendam Christus non quidem praescripsit sed consilium dedit, ita ut omnes et singuli invitari se intelligant. Specialis autem vocatio habetur, quando aliquis per gratiam Spiritus sancti intelligit beneplacitum divinum, ut praecise ipse religionem ingrediatur, ut ergo intelligat consilium divinum tamquam sibi ipsi datum, ita ut sine positiva imperfectione hoc consilium rejicere nequeat.

Utraque haec vocatio potest esse *remota* et *proxima*. Proxima est, si quis omnibus consideratis tum consilio generali et forte etiam speciali tum etiam omnibus circumstantiis cognoscit invitationem divinam actu eligendi viam consiliorum et quidem intra tempus non omnino longum et indeterminatum sed aut statim aut post tempus, quod jam praevideri potest. Remota est, si sentit se invitatum, ut per orationem et bona opera praeparet se ad id, ut proxime vocari possit. Vocatio proxima complectitur in se idoneitatem ad sequenda consilia, et si agatur de religione ingredienda etiam idoneitatem ad ipsam religionem. Non enim omnis, qui velit sequi consilia evangelica, potest etiam ingredi religionem, quia possunt adesse impedimenta, quae hunc ingressum impossibilem reddant, quin tamen eo ipso vocatus ab ipsis consiliis divinis sequendis arceatur. Impedimenta vero, quae aliquem impediunt ab ipsis consiliis sequendis, sunt certe signum eum saltem proxime non esse a Deo vocatum, nisi sint omnino temporaria, ut e. g. aliquis sit quidem matrimonio junctus, conjux autem laboret morbo letali et insanabili.

Patet semper etiam ex parte hominum consulendum esse, ut vocatus vocationem divinam sequatur. Imo illicite agit, qui alium avertere conatur a vocatione certa. Si hoc solum consiliis vel precibus facit, de gravi peccato

saltem non constat.[1]) Si autem vi aut fraude aliquem avertere vellet, certe grave peccatum contra justitiam committeret, cum eum injuste a magno bono lucrando impediret. Certe in tali casu adesset etiam obligatio restituendi.[2]) Ex altera parte tamen per se non peccat, qui consilium ingrediendi religionem non sequitur, nisi forte intelligat, se extra religionem in gravi periculo amittendae salutis aeternae versari, quod tamen raro accidet. Facile tamen ex parte motivi veniale saltem peccatum adesse potest. Saepe enim aliqua nimia inclinatio in res terrenas causa erit.

61. Econtra alia quaestio oriri petest, scil. num liceat absque vocatione speciali religionem ingredi. Videtur respondendum, hoc omnino licere; generale enim consilium Christi Domini sufficit, ut unusquisque cognoscere possit, se rem bonam facere, et hoc certe sufficit ad honeste agendum.[3]) Non ideo talis modus agendi affirmatur esse perfectissimus, solummodo negatur obligatio ad longam deliberationem et praeparationem. Certe tamen requiritur *recta intentio*, i. e. ut quis ex desiderio perfectionis Christianae non autem propter motiva mere mundana religionem ingrediatur, etsi talia motiva simul adesse possint, quin statim dicendum sit, eum non esse vocatum. Necessarium autem omnino esse, ut *nullum adsit impedimentum,* patet. Insuper, qui determinatam religionem ingredi velit, debet esse *idoneus* ad ea, quae in illa requiruntur. Hoc modo facile accidere potest, ut aliquis, qui secus optime dispositus sit ad consilia evangelica amplectenda, tamen ad ingrediendum in religionem non perveniat. Ingressus enim in religionem

[1]) Cfr. Suarez, De Religione, Tract. 7 lib. 5. c. 9. n. 9.

[2]) Vermeersch, De Religiosis Inst. et Pers. I. p. 33. Nr. 133.

[3]) Hac de re Stus. Thomas scripsit speciale opusculum „Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu." Putat unicuique sine alia praeparatione suadendum esse, ut viam consiliorum eligat, ex quo tamen non videtur sequi eum dicere velle unumquemque posse hoc modo etiam statim vota perpetua emittere. Aliud est enim practice agere juxta consilia evangelica, aliud sese in perpetuum ad hoc obligare.

est quidem modus maxime aptus ad consilia sequenda sed non unicus.

Hoc modo videtur etiam intelligendus can. 538., qui dicit: „In religionem admitti potest quilibet catholicus, qui nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur et ad religionis onera ferenda sit idoneus.“ Tria ergo requiruntur et sufficiunt pro admissione: 1. recta intentio, 2. libertas ab impedimento legitimo (de quibus cfr. Art. III. hujus capitis), 3. idoneitas ad onera religionis ferenda.[1]) De recta intentione primo loco ille ipse judicare debet, qui admissionem ad religionem desiderat; quoad secundum tum ipse tum Superior admittens deliberare debet, de tertio judicium maxime ad Superiorem religionis cum suo Consilio spectat.

Art. II.

De postulatu.

(Codex can. 539.—541.)

62. Postulantes vocabantur illi, qui desiderantes ingredi religionem cum Superioribus religionis de sua admissione agebant.

Jam temporibus elapsis in aliquibus Ordinibus praesertim mulierum in usu fuit, ut puellae, antequam annum probationis incipiant, per aliquod tempus in domo religiosa habitent, ut facilius de earum aptitudine pro religione constet. Quandoque tale quid jam in ipsis constitutionibus praescribitur ut e. g. in Ordine monialium, qui vocatur de „Notre Dame“, fundato a sto. Petro Fourier, approbato a Paulo V. anno 1615. et in multis Congregationibus recentioribus. Simile quid etiam in nonnullis Ordinibus virorum introductum est, sic e. g. in Societate Jesu pro omnibus ingredientibus praescribitur, ut antequam in novitiatum admittantur per aliquos dies (12 vel usque ad 20 et amplius) prout Superiori videbitur, in aliquam domum Societatis recipiantur, ubi velut hospites diversentur et de vita et obligationibus Ordinis instruantur.[2]) Quoad fratres autem laicos vel conversos (ut etiam ipse

[1]) Ferreres, Inst. can. I. p. 334. Nr. 847.

[2]) Cfr. Examen gener. cap. I. § 13., Const. Part. I. cap. IV. §§ 1. et 2., Reg. Mag. Nov. 9. Illi autem non postulantes sed „candidati“ vocantur et tempus hujus „primae probationis“ jam intra praescriptum biennium novitiatus computatur, quare a postulatu in Codice statuto differt.

Codex loquitur) in usu jam diu erat, ut illi prius in aliquam domum admittantur ut familiares et post aliquos menses ibi bene peractos in novitiatum mittantur. Prima vero generalis lex de postulatu edita est a Pio X.,[1]) qui pro fratribus laicis omnium religionum a votis perpetuis postulatum saltem 2 annorum praescribit, antequam conversi ad novitiatum admittantur[2]). Insuper multa de conversorum educatione idem decretum continet. Pro monasteriis monialium postulatus juxta constitutiones ad minimum vero 6 mensium praescribitur per decretum ejusdem S. Congregationis d. 15. Aug. 1912.,[3]) quo et vestitus postulantium a vestitu novitiarum et religiosarum distinctus requiritur. Anno tandem 1916.[4]) die 7. Novembris clausura etiam pro postulantibus monialium injuncta est.

Nunc can. 539. illorum decretorum leges partim confirmavit, partim immutavit. 1) Postulatus praescribitur a) pro omnibus religionibus mulierum a votis perpetuis (ergo non solum pro monialibus ut antea) et b) pro conversis religionum virorum item a votis perpetuis.

2) Tempus nunc saltem 6 menses integros durare debet. Superiores majores possunt illud prolongare sed non ultra aliud semestre (§ 2.). Hoc modo certe praescriptum decreti „Sacrosancta Dei Ecclesia" immutatum est, sed videntur etiam religionum constitutiones immutatae, si postulatum infra 6 menses vel ultra annum praescribant. 3) In religionibus a votis temporariis sive virorum sive mulierum standum est constitutionibus.

63. Can. 540. determinat a) locum (domus novitiatus vel alia religionis domus, in qua disciplina secundum constitutiones accurate servatur), b) modum (sub speciali directione probati religiosi) (sic § 1.), c) vestem (sit modesta et diversa a veste novitiorum) (§ 2.), d) clausuram pro monialium postulantibus (§ 3.). Generatim ergo videntur postulantes mittendi potius in domum novitiatus aut studiorum aut in aliam domum majorem quam in aliquam domum non formatam, quia ordinarie in illis disciplina

---

[1]) Decr. S. Congr. de Religiosis d. 1. Jan. 1911. Acta Apost. Sedis, III. p. 29.

[2]) Decret. cit. Nr. 2.

[3]) Acta Apost. Sedis, IV. p. 565.

[4]) Acta Apost. Sedis, VIII. p. 446. (Responsum ad proposita dubia).

facilius et perfectius servari potest quam in his, praesertim cum can. 554. § 3. postulet, ut in domo novitiatus aut studiorum collocentur religiosi, „qui sint ad exemplum regularis disciplinae.“ Nihil autem impedit, quominus, si in particulari casu res aliter se habeat, alibi etiam postulantes mittantur. Si postulatus in ipsa domo novitiatus peragitur, directio, ut patet, per Magistrum novitiorum fieri potest, alibi specialis quidam religiosus probatus, qui non necessario debet esse sacerdos, constituendus est. In religionibus vero clericalibus utique sacerdotem constituere videtur magis convenire. Non est prohibitum postulantes gestare etiam vestem, quam in saeculo habuerunt, dummodo sit modesta. Ante ingressum in novitiatum postulantes exercitia spiritualia per 8 saltem integros dies peragere debent, et etiam confessionem generalem instituere, quod tamen prudenti confessarii judicio relinquitur (can. 541.). Ideo ipsius est judicare, num confessio generalis conveniens sit et etiam, utrum melius sit confessionem totius anteactae vitae vel solum aliquorum annorum instituere etc.

Quaeri potest, num postulatus ita necessarius sit, ut novitiatus nonnisi postulatu rite peracto valide incipiatur vel solum ad liceitatem requiratur. Can. 542. dicit: „Firmo praescripto can. 539.—541. (qui canones agunt de postulatu) aliisque in propriis cujusque religionis constitutionibus 1. invalide ad novitiatum admittuntur: (sequuntur impedimenta) . . . 2. illicite sed valide admittuntur: (sequuntur alia impedimenta).“ Ex hac enumeratione, ut patet, constare non potest, num defectus postulatus ad 1. vel ad 2. categoriam impedimentorum adjungendus sit. Ex altera parte can. 572. ad valorem professionis requirit sub Nr. 3. novitiatum validum ad normam can. 555., qui iterum nihil continet de postulatu. Patet ergo ex illis erui non posse postulatum ad valorem novitiatus vel professionis requiri. Cum autem can. 11. dicat: „Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse

nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur", affirmmandum est, sine postulatu illos, quibus praescribitur, illicite quidem sed valide ad novitiatum admitti.[1]) — Quod aetatem attinet, qua quis ad postulatum admitti possit, videtur dicendum, talem aetatem requiri, ut quis finito postulatu aetatem ad novitiatum ingrediendum habeat.

Art. III.

De novitiatu.

(Codex can. 542.—571.)

§ 1. De requisitis, ut quis ad novitiatum admittatur.

(can. 542.–552.)

A. Impedimenta admissionis (can. 542.).

64. (16) Ab ingressu in religionem alii excluduntur de jure naturae, alii de jure ecclesiastico; item alii sic, ut professio quam emittunt invalida sit, alii sic, ut valida quidem sit sed illicita. Codex de prima distinctione nullo modo agit, multo magis in altera, quae certe valde practica est, insistit. Insuper autem hoc capite agit solum de admissione ad novitiatum non ad professionem, quapropter etiam hic de valore hujus admissionis non de valore professionis sermo est. Econtra ante editionem Codicis auctores plerumque de professione agebant. Cum autem valor professionis a valore novitiatus pendeat (can. 572. Nr. 3.),[2]) omnia, quae de valore novitiatus dicuntur, etiam ad professionem sunt applicanda. Sequentibus paginis imprimis juxta ordinem Codicis de valido et licito ingressu in no-

---

[1]) Cfr. Ferreres, Inst can. I. p. 335. Nr. 849.

[2]) Notandum est, in editione Codicis a Herder-Pustet facta mendum irrepsisse, quatenus in can. 555. § 1. loco can. 542. citatur can. 513. Romana autem editio citat can. 542., quapropter omnia impedimenta in can. 542. enumerata per can. 572. Nr. 3. (novitiatus ad normam can. 555.) extenduntur ad professionem.

vitiatum agemus subjungentes ea impedimenta, quae antea pro valore professionis sive ex jure naturae sive ex jure ecclesiastico valebant vel etiam nunc valent. Codex itaque statuit can. 542.:

I. Invalide ad novitiatum admittuntur; 1. Qui *sectae acatholicae* adhaeserunt.

Hoc impedimentum jam antea in diversis religionibus ex ipsarum constitutionibus exstitit non autem per legem generalem statutum fuit. Impedimentum certe non est juris naturae sed tantum juris ecclesiastici, complectitur autem etiam illos, qui in haeresi vel schismate nati et educati etiam sine omni propria culpa et postea conversi admissionem in religionem petant, ita ut neque illi sine peculiari facultate admitti possint.

65. 2. Qui *aetatem* ad novitiatum requisitam non habent. Can. 555. § 1. Nr. 1. postulat pro ingressu in novitiatum decimum quintum saltem annum expletum. Can. 573. similiter pro valore professionis primae praescribit 16. annum expletum. Cum autem can. 555. § 2. statuat: „Si longius tempus (i. e. plus quam unus annus integer et continuus) in constitutionibus pro novitiatu praescribatur, illud ad validitatem professionis non requiritur, nisi in eisdem constitutionibus aliud expresse dicatur", in tali religione aliquis jam 14. aetatis anno expleto valide in novitiatum recipi poterit, nisi constitutiones aliter statuant.

Excluduntur de jure naturae ii qui sufficientis deliberationis, quanta ad votum validum contractumque firmum ineundum requiritur, incapaces exsistunt. Tales sunt tum amentes tum semifatui; hinc jam de jure naturae excluduntur etiam infantes ante septennium expletum. Quod autem infantes in domum religiosam admitti non debeant hoc est de jure positivo ecclesiastico. Jam de disciplina ecclesiastica antiqua et hodierna circa aetatem ad religiosam professionem necessariam haec animadvertimus: a) Antiquioribus Ecclesiae temporibus pueri et puellae haud raro monasteriis a parentibus tradebantur; vigebat enim principium: Monachum aut paterna devotio aut propria professio facit.[1]) Parentibus scilicet erat potestas filios, antequam ad pubertatem pervenerint, sicuti tradendi saecularibus dominis ad servitia saecularia

[1]) Ita conc. Toletanum IV. ann. 633. cap. 48. (apud Hefele, Conciliengeschichte III. 77. est cap. 49.); can. 3. C. 20. q. 1.; cap. 12. De regularibus (III. 31.).

in perpetuum iis praestanda, ita etiam monasteriis et sic ecclesiae ac Deo ad officia sancta eos tradendi. Quare etsi pueri et puellae sic oblati votis religiosis non tenebantur, nisi deliberate ipsi vota emiserint, non tamen ad saeculum redire poterant ob traditionem eorum valide a parentibus factam et a monasteriis acceptatam.[1]) b) Professio religiosa, extra casum oblationis per parentes factae, in religioso Ordine emissa non valebat ex jure decretalium, nisi fuerit facta post adeptam pubertatem adeoque a pueris post completum annum 14., a puellis post completum annum 12., aut nisi vota, forte ante pubertatem emissa, in aetate nubili fuerint ratihabita.[2]) c) Hanc disciplinam immutavit conc. Tridentinum statuendo: „In quacunque religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla nullamque inducat obligationem ad alicujus regulae vel religionis vel Ordinis observationem aut ad quoscunque alios effectus". Itaque nunc traditio per parentes facta puerorum impuberum, item votorum nuncupatio ante completum annum decimum sextum facta omni valore destituitur neque per simplicem ratihabitionem post eam aetatem factam valorem potest acquirere. d) Conversi vero i. e. fratres laici recipiendi non erant ex decretis Clem. VIII. super receptione et educatione novitiorum religiosorum d. 19. Mart. 1603[3]) § 22 „ante aetatis suae annum vigesimum." Haec lex a Pio X. decreto „Sacrosancta" S. Congr. de Religiosis 1. Jan. 1911. sub Nr. 3.[4]) iterum approbata imo ad annum 21. completum extensa in Codice autem non est renovata, sed cum can. 573. pro professione perpetua nunc generatim postulet, annum 21. expletum, res saltem quoad hanc professionem ad idem redit, decretum vero „Sacrosancta" 30. annum expletum pro sollemni professione postulaverat. e) Eorum vero Ordinum statuta, quae majorem aetatem exigunt, vigorem suum retinent.[5])

[1]) Cf. cap. Significatum 11. et cap. Quum virum 12. De Regularibus et transeuntibus ad religionem (III. 31; Alex. III. et Clem. III.); cap. Is qui 1. eod in 6.; cap. Eos qui 2. eod in Clem.

[2]) Ita statuitur cap. Significatum et cap. Quum virum sit.

[3]) Bull. Rom. (ed. Luxemb.) tom. III. pag. 146.

[4]) Acta Apost, Sedis III. pag. 30.

[5]) Juxta Pirhing, tit. De regularibus etc. n. 27. sub constitutione concilii Tridentini non comprehenduntur aliqui Ordines militares e. g. D. Jacobi, Calatravae etc.; in his professio emittitur post annum 13. aetatis. — Quid vigeat e. g. in Ordine s. Francisci. cf. apud. Reiffenstuel, De regularibus etc. n. 68; quid in Soc. Jesu cf. Congreg. VIII. decr. 35. et can. 9.; de ord. Capuc. cf. Piatus Mont., De jure Regularium I. pag. 77; de Ordine s. Joannis de Deo cf. const. cap. 9; de Ordine Praemonstrat. cf. const. dist. I. cap. 17. n. 2.

66. 3. Qui religionem ingrediuntur *vi, metu gravi aut dolo inducti,* vel quos Superior eodem modo inductus recipit.

Quoad professionem religiosam, quae in se includit contractum inter professum ex una parte et religionem ex altera parte, hoc facile intelligitur, cum contractus ex vi, metu gravi aut dolo initus sit jam ex jure naturae aut invalidus aut saltem rescindibilis,[1]) prout error dolo causatus sit substantialis vel non, et metus vel perturbet intellectum vel saltem injuste ab adversario causatus exigat restitutionem. Quod autem jam ingressum in novitiatum vitiet, hoc certe ex solo jure ecclesiastico provenit. Modus autem invalidandi ipsum novitiatum videtur valde utilis, quia sic facilius res reparari potest, cum tirones in novitiatu hac de re instituantur ideoque aut defectum purgare aut jam ante professionem egredi possint. Si autem error vel metus per totum tempus novitiatus perduraret, jam ex capite invalidi novitiatus professio esset invalida, etiamsi in ipso actu professionis metus vel dolus non adfuisset. Ex altera parte etiam Superior per totum tempus novitiatus facilius errorem detegere et a metu liberari potest.

67. 4. *Coniux* durante matrimonio.

Jure naturae religionem ingredi nequeunt ii, qui matrimonio juncti sunt. De his in particulari dicendum: a) Qui sponsalia (etiam scripto et ideo sec. can. 1017.) valida iniit, nihilominus statum religiosum amplecti adeoque sponsalia rescindere potest. Hoc ex eo probatur, quod sponsalia in eum etiam finem matrimonio praemittuntur, ut sponsi experiantur, utrum in matrimonio fauste vivere possint necne. Hinc qui post sponsalia contracta detegit, se ad altiorem statum vocatum esse, simul cognoscit sibi matrimonialem statum non convenire nec vere faustum matrimonium futurum esse, adeoque sufficientem rationem habet sponsalia rescindendi. Quodsi vero in statu religioso postea non perseverat, obligationi sponsalium antea contractae satisfacere tenetur. b) Qui matrimonium validum iniit, ante ipsius consummationem religionem ingredi potuit in eaque sollemniter profiteri, etiam altera parte reluctante. Matrimoniale vinculum autem solutum fuit demum per sollemnem professionem validam.[2]) Institutum vero religiosum, quod Ordinis religiosi stricte dicti rationem non attingit, ingredi, non potuit, nisi a S. Pontifice dispensationem in matrimonio rato non consummato obtinuisset. Etenim facultas religiosum statum amplectendi in jure data fuit solum pro ingressu in Ordinem regularem stricte dictum. Nunc autem, quamvis juxta can. 1119. matrimonium ratum non con-

[1]) Cfr. Noldin Summa Theologiae moralis II[9]. p. 553. Nr. 534. ss., Lehmkuhl, Theol. moralis I[9]. Nr. 1063. ss.

[2]) Ita statuitur in cap. Verum 2. De conversione conjugatorum (III. 32.; Alex. III.)

sumatum per professionem sollemnem ipso jure dissolvatur, tamen permissio illa Alexandri III. est revocata per can. 542., de quo nunc tractamus. Imo dissolutio vinculi matrimonii rati per professionem sollemnem, quae jam antea rarissime accidit, nunc fere impossibilis est. Cum enim coniux ne valide quidem novitiatum ingredi possit, neque professionem sollemnem valide emittere potest, nisi jam antea dispensationem Sedis Apostolicae impetraverit. Valde autem improbabile est Stam. Sedem hanc dispensationem concessuram esse, quin simul jam ipsum vinculum matrimonii per dispensationem dissolvat. Practice jam antea talis dispensatio fere unice possibilis fuit, postquam Pius IX. in omnibus Ordinibus religiosis professioni sollemni triennium professionis simplicis praemittendam praescripsit. Certe enim non licuit coniugem relinquere eumque cogere, ut per 4 ad minimum annos exspectet usque dum matrimonium per professionem sollemnem solvatur.

c) Post matrimonii validi consummationem religionem ingredi non licuit nisi cum consensu expresse dato alterius conjugis, et professio dissentiente altero conjuge facta invalida semper fuit.[1]) Attamen hic consensus non requirebatur, quando sufficiens causa habebatur ad divortium idque perpetuum a thoro et mensa. Talis sufficiens causa fuit adulterium perfectum et formale alterius partis; dein lapsus ejus in haeresim aut schisma[2]); item insanabilis adeoque perpetua amentia alterius conjugis, quae ad vitam matrimonialem agendam plene inhabilem reddit.

d) Sed neque cum consensu alterius conjugis expresse dato statum religiosum amplecti post matrimonii consummationem licuit, nisi altera pars aut ipsa quoque religionem amplecteretur aut saltem votum perpetuae continentiae emitteret.[3]) Votum nempe castitatis perpetuae extra religionem emissum tunc sufficiebat, si pars in saeculo remanens aetatis fuit provectioris simulque suspicioni de incontinentia ansam non praebuit. Quodsi vero junior fuisset aut dictae suspicioni ansam dedisset, ipsa quoque religionem ingrederetur oportuit; secus nec priori ingressus permitti potuit. Nec potuit una pars profiteri, nisi et altera intra breve tempus professura esset.

Nunc autem haec omnia sine speciali facultate Apostolicae Sedis impossibilia sunt, quid autem a Sta. Sede hac in re exspectandum sit, omnino nescitur, cum nulla adhuc hac de re consuetudo vel praxis curiae exsistat, neque intra hoc tempus breve oriri potuerit.

68. 5. Qui obstringuntur vel *obstricti* fuerunt *vinculo professionis religiosae.*

---

[1]) Sic expresse statuitur in jure; cf. cap. 1, 4, 8, 12 tit. cit.

[2]) Ita ex cap. Mulier 21. tit. cit.

[3]) Ita statuitur in cap. 1. et 4. De conversione conjugatorum.

Ad transitum ab una religione ad aliam, etiamsi agatur de transitu ad arctiorem, nunc requiritur venia Stae. Sedis. Hac de re postea erit agendum. Patet autem, qui actu tenentur vinculo professionis non posse admitti ad novitiatum. Quod autem illos attinet, qui antea vinculo professionis religiosae obstricti fuerunt, jam Pius X. per decretum S. Congreg. de Religiosis „Ecclesia Christi", d. 7. Sept. 1909.[1]) prohibuerat admissionem postulantium, qui 1) a collegiis etiam laicis ob inhonestos mores vel crimina expulsi fuerint, 2) qui a seminariis et collegiis ecclesiasticis vel religiosis quacumque ratione dimissi fuerint, 3) qui sive ut professi sive ut novitii ab alio Ordine vel Congregatione dimissi fuerint, vel si professi, dispensationem votorum obtinuerint, 4) qui jam admissi sive ut professi sive ut novitii in unam provinciam alicujus Ordinis vel Congregationis et ab ea dimissi in eandem vel in aliam ejusdem Ordinis vel Congregationis provinciam recipi nitantur. Hoc decretum imprimis pro religionibus virorum datum die 4. Januarii 1910.[2]) extensum est ad mulierum religiones. Die 5. autem Aprilis 1910.[3]) S. Congreg. de Religiosis declaravit non formaliter sed aequivalenter dimissos posse quidem valide admitti, licite autem solummodo post acuratas et secretas informationes de causa discessus, illos autem, qui elapso tempore votorum temporariorum illa solummodo non renovarunt, sub decreto non comprehendi.

Codex vero statuens impedimentum verbis supra citatis ex una parte rigorem illorum decretorum in tantum mitigavit, in quantum nunc talis admissio absque dispensatione quidem illicita sed non invalida est; de collegiis laicis, seminariis etc. non amplius sermo est, neque novitii e novitiatu egressi vel dimissi commemorantur; ex altera parte autem generalibus verbis Codicis etiam illi videntur comprehendi, qui vota temporaria non renovarunt; nam etiam illi certo „vinculo professionis religiosae obstricti fuerunt". Quoad dimissos autem e collegiis et seminariis alio modo providetur, quatenus nunc generatim informationes praescribuntur, de quibus postea agendum erit.

69. (20) 6. Hi *quibus imminet poena* ob grave delictum commissum, de quo accusati sunt vel accusari possunt.

Hoc modo abrogatum est jus a Sixto V. statutum, quo certorum criminum rei post condemnationem et etiam poenae luitionem in religionem ingredi nequiverunt. Scil. a) exigebat Sixtus V. in const. „Quum de omnibus" quoad eos, qui aliquam religionem ingredi volunt, ut „ex accurata informatione et fide digna relatione compertum et exploratum sit, eos neque aliquorum crimiuum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia aut graviora, reos vel suspectos exsistere, ut propterea damnati sint aut ne damnentur formident." b) Hac lege

[1]) Acta Apostol. Sedis, I. p. 700.

[2]) Acta Apostol. Sedis, II. p. 63.

[3]) Acta Apostol. Sedis, II. p. 231. Nr. III. et IV.

Sixtus V. mutavit jus antiquum, secundum quod criminosis potius consulebatur, ut ad poenitentiam de suis criminibus agendum monasterium aliquod ingrederentur. Usque nunc igitur c) ii qui ratione criminum in constit. recensitorum *damnati* sunt, recipi licite non potuerunt[1]); qui damnati non sunt, recipi tunc nequiverunt, si vere timendum fuerit ne damnentur. Solum autem crimen commissum eos a religione nondum exclusit. Imo d) in const. „Ad Romanum spectat" (28. Oct. 1588) idem pontifex Sixtus V. sensum prioris constitutionis sic declarat: „Tum demum id locum habere volumus, et non aliter, cum actis publicis constiterit ipsos judices et curiam saecularem ante susceptionem habitus de ipso crimine adversus eos accusationem suscepisse vel inquisitionem instituisse." Hinc recte dixerunt auctores, ad exclusionem criminosi ab ingressu requiri, ut crimen ipsius sit notorium idque saltem aliquatenus etiam notorietate juris, quatenus scil. id juridice notorium dici potest, de quo judex ex officio inquisitionem instituit. Oportet vero ut processus aut inquisitio ante habitus susceptionem jam sint facta. e) Inter crimina homicidiis, furtis, latrociniis „similia aut graviora", quae ab ingressu Ordinis religiosi arcebant, cum auctoribus variis recenseri possunt adulterium, sodomia, bestialitas, haeresis aut schisma, simonia, perjurium deliberatum, falsificatio literarum Apostolicarum etc. f) Probabiliter vero affirmatur, oportere ut processus aut inquisitio a judice saeculari de his criminibus sint coepta; in constit. enim „Ad Romanum spectat" S. Pontifex judicis tantum saecularis facit mentionem; hinc processus in curia ecclesiastica de dictis criminibus institutus impedimentum non creavisset. Attamen alii non minus probabiliter huic contradicunt nixi in supra citatis verbis constit. „Cum de omnibus", quibus absque distinctione inter forum saeculare et ecclesiasticum dicitur: „ut propterea damnati sint aut ne damnentur formident". Nunc ergo cum aliqua tantum exceptione crimnosis aditus ad religionem iterum patet, ut ibi poenitentiam agere et Deo pro delictis commissis satisfacere possint. Excipiuntur solum illi, quibus poena adhuc imminet, praesertim si jam propter delictum accusati sint. Sed etiamsi non sint accusati, excluduntur, si cum spe boni successus accusari possunt i. e. si eorum delictum tot personis est notum, ut in judicio probari possit. Ad hoc utique certo sufficiunt 2 testes omni exceptione majores (can. 1791. § 2.) vel unus cum aliis mediis probationis; sed videtur insuper considerandum, num timendum sit, ne ipsi hac de re loquantur. Si sunt personae seriae et promittunt se silentium servaturos esse, vel si hoc alia ex ratione jam constet, videtur talis homo nihilominus admitti posse, si autem jam est aliquantulum diffamatus et periculum, ne in judicium vocetur, aliquomodo im-

[1]) Etenim invaliditatem receptionis horum Clem. VIII., sicut quoad obligatos ad ratiocinia et aere alieno gravatos sustulit.

minet, rejiciendus est. Hoc utique propter scandalum, quod inde oriri possit, si religiosus condemnetur de crimine gravi, et propter molestias, quae hoc modo religioni inferantur, videtur statutum. Postea autem, si criminosus poenam jam solverit, potest utique admissionem in religionem petere et accipere, dummodo hoc per leges ipsius religionis liceat. Haec legis ecclesiasticae immutatio forte etiam ad magnam aestimationem doctrinae sti. Thomae, quae nunc in Ecclesia habetur, reduci potest. Stus. Thomas enim peccatores per poenitentiam conversos ad religionem invitat.[1]) Peccatores occulti jam antea religionem ingredi potuerunt. In religionibus autem, quae praecipue curam animarum exercent, saepe criminosi et etiam peccatores occulti, dummodo Superiori de peccato constet, excluduntur.

70. (22) 7. *Episcopus* sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus.

Religionem ingredi nequeunt Episcopi idque a) duplici ex causa α) quia ratione Episcopatus suscepti versantur in statu perfectionis exercendae adeoque in statu altiori quam status religiosus est. Est igitur quidam descensus, si Episcopus statum religiosum assumit. Dein β) quia vinculo arctissimo cum Ecclesia sua seu dioecesi conjuncti sunt, quod vinculum matrimonio consummato comparatur. Quare sicut marito Ordinem ingredi non licet absque consensu suae uxoris, ita Episcopus nequit dioecesi suae valedicere statum regularem assumendo sine consensu Romani pontificis, qui ipsum suae ecclesiae copulavit. b) Haec prohibitio etiam valet quoad Episcopos titulares; etenim ipsi quoque habent ecclesiam suam, et per accidens demum fit, ut ad eam accedere et ipsius curam suscipere nequeant.[2]) Hinc tenentur etiam ipsi perfectionem christianam exercere. c) Ex iisdem causis, quae sufficiunt ex sacris canonibus ad id, ut s. Pontifex resignationem Episcopi muneri suo factam acceptet, potest ipsi etiam permittere ingressum in Ordinem religiosum. Hae causae in jure statutae fuerunt: conscientia criminis ab Episcopo perpetrati, propter quod difficile ei redditur officium suum exsequi, corporis debilitas adeoque etiam senilis aetas, per quam impotens redditur ad exsequendum officium pastorale, defectus scientiae necessariae conjunctus cum impossibilitate eam acquirendi; malitia plebis, quae labores ipsius infructuosos reddit, grave populi scandalum, quod aliter nequit sedari, irregularitas, quam Episcopus contraxit; tandem facilitas inveniendi alium pastorem, qui saltem aeque bene, ponderatis omnibus circumstantiis, officium ad-

---

[1]) Cfr. St. Thom. Opuscul. „Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu (Opusc. XVIII. alibi XVII., Cap. V.).

[2]) Cf. Pirhing, tit. De regularibus n. 125.

ministrare possit. Nunc hac de re nihil statuitur sed Rom. Pontifex potest ex justa causa renuntiationem acceptare.

8. *Clerici, qui* ex instituto Stae. Sedis *jurejurando tenentur* operam suam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro eo tempore, quo jurisjurandi obligatio perdurat.

Propter gravem necessitatem, in qua certae regiones versarentur ob penuriam sacerdotum, quandoque collegia fundata sunt eum in finem, ut in illis juvenes illarum regionum in bonos sacerdotes educentur, qui deinde in patriam redeant et curam animarum exerceant. Sic e. g. Stus. Ignatius saeculo 16. eundem in finem Romae fundavit Collegium Germanicum, cujus alumni juramentum emittunt, se velle studiis absolutis in patriam redire, ut ibi curam auimarum exerceant. Similiter in quibusdam „scholis apostolicis" juvenes juramento promittunt, se paratos esse aut, ut religionem ingrediantur, quae missiones inter infideles habeat, aut ut ipsi in exteras missiones abeant. Hoc juramentum aut ad certum tempus aut pro tota vita emittunt. Patet illos durante hoc vinculo non posse ingredi religionem (vel saltem determinatam religionem), nisi Romanus Pontifex eos ab hac obligatione solvat. Hoc jam ante editionem Codicis ita fuit et nunc solummodo expresse in jure statutum est.

71. II. Illicite sed valide admittuntur:

1) *Clerici in sacris* constituti *inconsulto loci Ordinario* aut eodem cotradicente ex eo, quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit.

(23) Hoc impedimentum, quatenus hac de re aliquid expresse in jure dicitur, novum est.[1]) Utique semper inconveniens fuit, ut aliquis inscio suo Episcopo dioecesim relinqueret, etsi hoc optima intentione propter perfectionem christianam faceret. Insuper certe necessarium semper erat Episcopum monere, ut providere possit, si quis parochus vel beneficiatus religionem ingredi vellet. Sed probabiliter[2]) ne quidem licentiam petere debuerunt, certe autem Episcopus hanc licentiam denegare non potuit.[3]) Multo minus alii sacerdotes et clerici,

[1]) Cfr. Scherer, Handb. d. Kirchenrechts, II. p. 797.

[2]) Cf. Schmalzgruber, De regularibus etc. n. 34. Wernz, Jus decret. III. 2^2. p. 296. Nr. 629.

[3]) Ita statuitur can. Clerici un. C. 19. q. 1. (conc. Tolet. IV. can. 49; apud Hefele l. c. can. 50); dein can. Duae sunt 2. C. 19. q. 2. (Urbanus II.); cf. Nilles, De libertate clericorum religionem ingrediendi disput. academ. fasc. I. pag. 33. ss.

ut licentiam peterent, obligati fuerunt. Postquam autem Pius IX. per decretum S. Congr. super statu reg. „Rom. Pontifices“ d. 25. Jan. 1848. praescripsit, ne quis ad religionem admittatur absque litteris testimonialibus tum Ordinarii originis tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans post 15. annum expletum ultra annum moratus esset, ingressus inscio Ordinario jam erat fere impossibilis pro clerico. Quapropter hoc solum practicam continet novitatem, quod Episcopus propter grave detrimentum animarum in sua dioecesi postulanti ingressum in religionem etiam efficaciter contradicere possit, ita ut ejus admissio, etsi non invalida, tamen per prohibitionem Episcopi illicita reddatur.

72. (17) 2) *Aere alieno gravati,* qui solvendo pares non sunt.

Ad prohibitionem in jure naturali fundatam jam antea accessit quoad eos, qui „ingente aere alieno supra vires facultatum suarum gravati“ sunt, prohibitio ecclesiastica prohibitionem naturalem confirmans.[1]) Tamen a) debitis oneratus ex utraque lege religionem ingredi potest α) si consentiunt creditores; β) si de debitis incertis tantum agitur i. e. de iis quae nulli certae personae restituenda sunt; γ) si nulla subsistit spes, ipsum debitis suis satisfacere posse; item si parti eorum nunc satisfacit bona sua omnia creditoribus cedendo, et nulla subsistit spes ipsum aliis satisfacere posse; δ) si in religione forte habiturus sit, unde debita solvere possit. Praeterea b) ingredi religionem potest etiam tunc, quando in saeculo remanens grave periculum subiret amittendae salutis aeternae; cum tanto enim periculo nemo tenetur debitis suis satisfacere. c) Utrum is, qui spem habet satisfaciendi oneribus suis at post longum tempus tantum e. g. post triennium, nec grave patitur periculum salutis differendo ingressum aut remanendo semper in saeculo, teneatur tamdiu exspectare, ut interim debita solvat, controversum erat. Quod vero is qui intra breve tempus debita solvere potest, ingressum differe teneretur, Superioresque eum admittentes non obstante ingente aere alieno poenas a Sixto V. statutas incurrerent, extra controversiam fuit. Pro sententia negante

---

[1]) Expressa est § 4. constit. Sixti V. „Quum de omnibus“ 29. Nov. 1587. Sixtus V. professionem ejus, qui ingente aere alieno gravatus est, etiam invalidam declaravit; attamen invaliditatem hanc Clemens VIII § 3. constit. „In suprema“ 3. Apr. 1662. sustulit, poenas vero contra Superiores admittentes tales obaeratos salvas voluit. Porro poenae sunt privatio vocis activae et passivae, necnon quorumcunque officiorum, graduum, honorum et dignitatum ipso facto incurrenda, et perpetua inhabilitas ad ipsa. Can. 542. prohibitionem renovat, poenam autem non statuit.

obligationem diu exspectandi stant auctores multi et graves, at rationes eorum videntur debiliores;[1]) sententiam affirmantem auctores quidem pauciores tenent, at eorum argumenta majus pondus videntur habere.[2]) Cum nova lex Codicis nihil aliud sit quam renovatio juris antiqui, quod in tantum mutatur, in quantum non de ingenti aere alieno sed de aere alieno simpliciter sermo sit juxta verba can. 6. Nr. 2. et 3. interpretatio sec. jus antiquum videtur danda. Poenae autem sunt abrogatae. d) Superiores, qui illicite ingredientem scienter recipiunt, tanquam cooperantes ad damnum creditoribus illatum restituere tenentur extra hunc casum vero religio ejusque Superiores debitis ingredientium satisfacere non tenentur.

73. (19) 3) *Reddenda ratione obnoxii* aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias religio timere possit.

De quibus haec animadvertimus: a) Sixtus V. quoscunque „reddendis rationibus ita obnoxios, ut ex hujusmodi causa lis vel molestia eis jam illata vel timendum sit, ne inferatur", inhabiles declaravit ad professionem religiosam emittendam. Inhabilitatem hanc sustulit quidem Clemens VIII.,[3]) at prohibitionem a Sixto V. statutam simul cum poenis contra Superiores hosce admittentes confirmavit. b) Itaque, cum prohibitio in Codice renovata secundum jus antiquum videatur interpretanda (can. 6. Nr. 2.), admitti nequeunt ii, qui sive ob publicum munus sive ob privatum officium aut negotium ad rationem reddendam ita adhuc tenentur, ut saltem probabile periculum sit, ne lite seu processu innodentur. Tamen c) putant varii auctores, admitti posse etiam eos, quorum patrimonium, quod in saeculo relinquunt, superat aestimationem administrationis praestitae; aut quando alii fidejussores pro obligationibus existunt, quibus ipsi forte adhuc satisfacere tenentur. Prudentius vero in his etiam casibus est, ante ingressum expedire omnino haec ratiocinia.[4])

74. (18) 4) *Filii,* qui parentibus, i. e. patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis opitulari de-

---

[1]) Hanc sententiam affirmat s. Thom. 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3. s. Alph. Theol. mor. l. IV. n. 71.; item Sanchez, Azor. etc.

[2]) Eam tenet e. g. Schmalzgruber, De regularibus et transeuntibus ad religionem n. 37. ss.

[3]) Cf. const. Sixti V. „Quum de omnibus" et Clem. VIII. „In suprema".

[4]) Cf. Pellizarius, Manuale Regularium tract. II. cap. 4. n. 52. Wernz, Jus decret. III. 2[2]. p. 297. Nr. 629. II.

bent, *et parentes,* quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria.

Prohibitio haec, cum sit juris naturalis, jam ante Codicem ab auctoribus commemorata fuit. Putamus eam nihil aliud contineri quam juris naturalis confirmationem. Proinde, quae antea auctores hac de re scripserunt, etiam nunc videntur valere. Scil. a) filius vel filia non obstante quacunque parentum paupertate religionem amplecti possunt α) si nec habent nec sperare possunt, unde parentibus succurrant; β) si in saeculo remanendo grave periculum paterentur amittendae salutis aeternae; γ) si parentes ipsi filios ad peccata gravia provocent nec filii periculum consensus effugere possint nisi per ingressum in religionem; δ) si in religione forte habituri sint, unde parentibus succurrant. Casus vero sub β) et γ) enumerati prorsus rari sunt, ut patet. b) Item ingredi religionem possunt, si parentes versantur in necessitate communi.[1]) Ratio est quia liberi cum tanto detrimento, quantum est manere in saeculo, parentibus in communi necessitate constitutis succurrere non tenentur. c) Si parentes constituuntur in extrema vel quasi-extrema necessitate, filii religionem ingredi nequeunt nec licite recipi, nisi in uno ex casibus sub a) enumeratis. d) Idem dixerunt auctores et nunc statuit lex de casu, quo parentes in gravi necessitate constituti sunt. Ubi vero animadvertatur oportet, sub gravi necessitate tum Suarez tum Sanchez eam intelligere, ob quam parentes aut plane ex statu excidunt aut saltem ipsius notabilem diminutionem patiuntur.[2]) Atque filius in his casibus ab ingressu abstinere debet non obstante voto forte emisso religionem ingrediendi. e) Non tamen tenetur filius ab ingressu abstinere ob necessitatem fratrum aut sororum, quia ad eos sustentandos obligatio ei non incumbit, tenetur vero ob necessitatem avorum juxta expressa verba legis. f) Parentes autem religionem in-

[1]) Communis necessitas in hac materia intelligenda est relative, prout eam sumit etiam Suarez tract. VII. l. V. cap. V. n. 2. ss., non autem absolute. Versantur parentes in communi necessitate, si, etsi vivant in statu suo etiam altiori, ita se debent restringere, ut in statu suo necessitatem patiantur.

[2]) Ita Suarez l. c. n. 13: „Quando autem necessitas sit tanta, ut sufficiat ad illam obligationem, (non ingrediendi religionem) non habet certam regulam praeter prudens arbitrium; explicatur autem a Doctoribus per has circumstantias, si necessarium esset parentibus mendicare vel servire aliis cum magno dedecore, juxta conditionem suarum personarum; vel si cogantur nimium affligi aut incarcerari propter debita, vel multa incommoda corporalia pati, ut aegritudinem, famem, nuditatem, frigus et similia; quae omnia non absolute tantum sed etiam respective considerata qualitate personarum pensanda sunt, ut prudens feratur judicium.“ Cf. Sanchez, In decalogum l. 4. cap. 22. n. 4.

gredi nequeunt, si α) aut filii indigent educatione nec per alios educari possunt; aut β) si filii, licet educatio jam sit absoluta, nondum tamen adulti sibimet sustentationi procurandae incapaces sunt. Quodsi γ) filii adulti sunt aut seipsos sustentare valent, parentes religionem libere ingredi possunt.

g) De egressu ex religione ratione paupertatis parentum haec per transennam hic notamus: α) Nec novitius nec professus e religione egredi tenetur, quando locum habet unus ex casibus supra sub a) positis. β) Extra hos casus novitius in saeculum redire tenetur, si parentes in extremam aut gravem necessitatem inciderunt, intelligendo necessitatem gravem modo supra dicto. γ) Parentibus in extrema necessitate constitutis certe subvenire tenetur etiam professus egrediendo ex religione, sive ea extrema necessitas praecesserit professionem sive eam subsecuta fuerit; atque religio eum dimittere tenetur. Potest tamen professus in dubio, utrum extrema necessitas et obligatio egrediendi adsit, acquiescere judicio Superioris. δ) Saltem probabiliter asseritur, filium professum e religione egredi non teneri, ut succurrat parentibus in gravi necessitate constitutis. Hoc pro casu, quo parentum necessitas filii professionem subsequitur, communiter ab auctoribus affirmatur, probaturque ex eo quod filius, qui statum mutavit ineundo matrimonium, non tenetur relinquere uxorem et filios ut parentibus succurrat, etsi uxor et filii habeant quo sustententur. Pro casu vero, quo necessitas parentum praecedit professionem, varii quidem auctores dissentiunt, affirmantque filium ad egrediendum teneri; alii autem ratione modo allata innixi eam obligationem negant uuiversimque pro casu necessitatis gravis parentum filio libertatem in religione manendi vindicant.[1])

75. 5) *Ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur* irregularitate aliove canonico impedimento.

Irregularitates enumerant cann. 984. et 985., impedimenta vero can. 987. Sunt autem irregulares:

I. ex defectu: 1. Illegitimi, sive illegitimitas sit publica sive occulta, nisi fuerint legitimati vel vota sollemnia professi. Hic aliqua notanda sunt de illegitimitate natalium. Notum est, eam jam diu constituisse irregularitatem quoad ordines recipiendos, ita ut illegitime nati, nisi antea dispensationem obtinuissent, illicite ad quoscunque ordines, etiam minores tantum, promoverentur. Porro 1) Sixtus V. in Constit. „Cum de omnibus“ aliquibus illegitimis ingressum quoque in Ordinem religiosum interdixit; statuit enim, „ne illegitimi procreati ex

---

[1]) Cf. s. Alph. Theol. mor. l. 4. n. 67; Suarez tract. VII. l. VI. c. 9. n. 2. ss.

incestu aut ex *sacrilegio* (quorum scilicet parentes consanguineitate vel affinitate intra tertium gradum invicem conjuncti fuerint, vel quorum alteruter parens castitatem Deo voverit) etiam Apostolica, imperiali vel regia aut alia quavis auctoritate legitimati aut natalibus restituti . . . neque ad habitum nec ad professionem regularem recipi vel admitti quoquo modo possint." Imo horum admissionem et professionem invalidam declaravit, atque id tantum permisit, ut „ad habitum conversorum seu famulorum recipiantur . . . et ad servilia ministeria, viliora obsequia, humiles functiones, atque abjecta servitia admitti possint." Ceteros vero illegitime natos, licet ad habitum et ad professionem religiosam inhabiles non reddiderit, inhabiles tamen declaravit „ad gradus, honores, et dignitates sui Ordinis obtinendas". Has autem leges, 2) quas idem Sixtus V. alia constit. „Ad Romanum spectat" ita interpretatus est, ut ii, qui per subsequens matrimonium fuerint legitimati (quae tamen legitimatio tantum fit quoad eos, qui nati sunt ex parentibus inter quos tempore conceptionis vel praegnationis vel nativitatis matrimonium rite consistere poterat, sic. can. 1116.), legitime genitis omnino aequiparentur, Greg. XIV. d. const. „Circumspecta" 15. Mart. 1591. et postea Clem. VIII. cit. const. „In suprema" quamplurimum restrinxerunt, can. etiam 984. omnino nullam facit distinctionem et can. 1117. legitimatos per subs. matrimonium aequiparat legitimis. Jus igitur 3) quoad illegitime natos nunc vigens hoc est: a) Quovis modo illegitime nati nunc valide et licite ad habitum et professionem regularem admittuntur, nisi alicujus Ordinis aut instituti constitutiones obstent. b) Manent tamen quocunque modo illegitime nati, nisi legitimati fuerint, inhabiles ad gradus, honores et dignitates sui Ordinis obtinendas. Nihilominus c) possunt ex const. „Circumspecta" § 4. Superiores tam Generales quam Provinciales vi privilegiorum aut indultorum apostolicorum ab iis obtentorum cum iis illegitimis, quos cum consilio respectivi sui Capituli dignos invenerint, in hac quoque inhabilitate dispensare. Haec privilegia per Codicem non videntur sublata (cfr. hac de re pag. 60. Nr. 40) d) Irregularitas vero, quae ex illegitimitate seu ex natalium defectu licitam ordinum receptionem impedit, per ipsam religiosam professionem (sollemnem) tollitur; non tollitur vero per ipsam irregularitas, quatenus obstat validae receptioni dignitatum seu praelaturarum majorum etiam extra Ordinem seu saecularium. — 2. Corpore vitiati, qui secure propter debilitatem vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant.

---

[1]) Cf. can. 504. supra p. 39. Nr. 29. 3.; cap. Ut filii 1. De filiis presbyterorum (I. 17.); Sanchez, De matrimonio l. 7. disp. 86. n. 2. ss.; s. Alph. Theol. mor. l. 7. (De irregularitatibus) n. 354.; Scherer, Handb. d. Kirchenrechts. I. p. 355. Wernz, Jus decret. II. 1^2. p. 206. III. a.)

Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus, qui rite poni possunt (Ideo neque receptio talis sacerdotis in religionem videtur prohiberi); — 3. Qui epileptici vel amentes vel a daemone possessi sunt vel fuerunt; quod si post receptos ordines tales evaserint et jam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere (etiam tales per se recipi possunt). — 4. Bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt; — 5. Qui infamia juris notantur[1]); 6. Judex, qui mortis sententiam tulit; — 7. Qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii ac immediati ministri in executione capitalis sententiae (sic. can. 984.).

II. ex delicto: 1. Apostatae a fide, haeretici, schismatici; — 2. Qui, praeterquam in casu extremae necessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt; — 3. Qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimonii aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido conjuncta; — 4. Qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes; — 5. Qui seipsos vel alios mutilaverunt vel sibi vitam adimere tentaverunt; — 6. Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, si exinde mors sequatur; — 7. Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab ejus exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti (can. 985.). Delicta autem illa omnia praeter abusum baptismi (Nr. 2) debent esse post baptismum perpetrata et constituere peccata gravia et externa sive publica sive occulta (can. 986.), ut irregularitatem pariant.[2])

Ad irregularitates accedunt etiam simplicia impedimenta canonica; dicit enim can. 987.:

Sunt simpliciter impediti: 1. Filii acatholicorum, quamdiu parentes in suo errore permanent. — 2. Viri uxorem habentes. — 4. Qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam, cujus rationem reddere debeant, donec deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint; — 4. Servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem; — 5. Qui ad ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint; — 6. Neophyti, donec judicio Ordinarii sufficienter probati fuerint; — 7. Qui infamia facti laborant, dum ipsa judicio Ordinarii perdurat.

---

[1]) Cf. supra Nr. 31. p. 43. Annot. 1.

[2]) De irregularitatibus fusius tractat Haring, Linzer Theol.-prakt. Quartalschrift LXXI (1918) p. 420 ss.

Differentia inter irregularitatem et simplex impedimentum est in eo, quod irregularitas sit de se impedimentum perpetuum, quod tum susceptionem ordinum tum eorum exercitium prohibet, si suscepti fuerint; econtra simplex impedimentum tamdiu, quamdiu durat, ordinationem illicitam reddit (Cfr. can. 983.).

6) *Orientales in latinis religionibus* sine venia scripto data Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali.

Jam in generali conventu S. Congreg. de Propaganda Fide die 1. Junii 1885. habito eadem S. Congr. praescripserat recursum ad Stam. Sedem in singulis casibus, quando aliquis cuicunque ritui Orientali addictus in aliquam religionem ritus latini recipiendus sit. Die 30. Novembris anni 1894. vero Leo XIII. per apostolicas litteras „Orientalium dignitas Ecclesiarum" statuit: „Nulli utriusve sexus Ordini vel Instituto religioso latini ritus quempiam Orientalium inter sodales suos fas erit recipere, qui proprii Ordinarii testimoniales litteras non antea exhibuerit". Exinde aliqui putabant has litteras sufficere et recursum ad Stam. Sedem non amplius esse necessarium. Ideo Cardinalis Gotti, praefectus s. Congregationis de Propaganda Fide per epistolam ad Superiores Generales institutorum religiosorum latini ritus d. 15. Junii 1912.[1]) hanc obligationem denuo inculcavit. In locum autem S. Congr. de Prop. Fide nunc successit S. Congr. pro Ecclesia Orientali.

B. Jus admittendi novitios.

76. *Jus admittendi* ad novitiatum et subsequentem professionem religiosam tam temporariam quam perpetuam pertinet *ad Superiores majores* cum suffragio Consilii seu Capituli, secundum peculiares cujusque religionis constitutiones (can. 543.). Suffragium Consilii seu Capituli pro prima professione temporaria est deliberativum; pro subsequente professione perpetua, sollemni vel simplici, est consultativum tantum (can. 575. § 2.). De suffragio pro admissione ad novitiatum Codex solummodo dicit esse secundum peculiares cujusque religionis constitutiones, quae proinde sunt inspiciendae. Etiam quoad necessitatem convocandi Capitulum aut potius Consilium juxta praescriptum can 516. constitutiones singularum religionum attendi debent.

---

[1]) Acta Apost. Sedis IV. p. 534.

(25) Ex Sixti V. constitutionibus[1]) ante cujusvis novitii admissionem ad habitum instituenda erat inquisitio in ipsius habilitatem, indolem, mores atque in intentionem, quam in suscipiendo habitu foveret.

C. Documenta et inquisitiones pro admissione requisita.[2])

77. Adspirantes *omnes* 1) exhibere debent testimonium recepti *baptismatis* et *confirmationis* (can. 544. § 1.).

Ex tenore verborum probabilius videtur sequi haec testimonia jam pro admissione ad postulatum[3]) esse necessaria, quia can. dicit „omnes aspirantes, antequam admittantur", quibus verbis videtur includi etiam postulatus. Cum autem hoc non sit omnino certum (potest enim admissio ad religionem etiam intelligi admissio ad novitiatum juxta can. 539.), non videtur omnino exclusum, ut aliquis ad postulatum admittatur et ibi sacramentum confirmationis recipiat ante ingressum in novitiatum.

2) *Virorum* admissio insuper requirit *litteras testimoniales* Ordinarii originis ac cujuscumque loci, in quo *post expletum 14. aetatis annum* morati sint ultra annum moraliter continuum (can. 544. § 2.). Privilegia hac in re concessa omnia revocantur. — 3) *Clericis* necessarium est *testimonium ordinationis*, litterae *testimoniales* autem, nisi clerici ex seminario vel collegio veniant (cfr. infra Nr. 4), sufficiunt ab illis Ordinariis, in quorum dioecesibus *post ordinationem* ultra annum commorati fuerint (can. 544. § 4.) — 4) Qui a) in seminario vel collegio aut b) in alius religionis postulatu aut novitiatu fuerunt, indigent

---

[1]) Cf. Const. „Quum de omnibus" cit. § 4. s.; item Const. „Ad Romanum spectat" § 7. s. In priori nempe constitutione Sixtus V. statuerat, ut admissio ad habitum et professionem non possit decerni nisi per Capitulum seu conventum generalem aut provincialem. Hanc prohibitionem utpote nimis onerosam et religiosarum familiarum incremento noxiam posteriori constitutione restrinxit permittendo, ut pro singularum familiarum diverso regimine inquisitio et admissio fieri possit aut per aliquos ad id specialiter a Superioribus deputatos, aut per Capitulum conventuale.

[2]) Cfr. Ferreres, Inst. can. I. p. 337. Nr. 853. ss.; Pöschl, Kurzgefaßtes Lehrb. d. k. Kirchenr. II. p. 275.

[3]) Cfr. Ferreres l. c.

praeter litteras testimoniales ab Ordinariis supradictis etiam litteris testimonialibus aut a) *a rectore* seminarii vel collegii *audito Ordinario* aut b) *a majore religionis Superiore* (can. 544. § 3.). — 5) Cum pro transitu ab una religione in aliam nunc semper apostolico indulto opus sit (can. 632.), praeter *testimonium Superioris* majoris prioris religionis aliae litterae testimoniales non requiruntur (can. 544. § 5.).

Ordinarii, rectores, Superiores praedictas litteras testimoniales a) non aspirantibus sed *Superioribus religiosis* dare debent et quidem b) *gratuito* et c) *clausas sigillo.* Tempus, quo mittendae sint, est d) ad summum *trimestre* ab eorum requisitione. Insuper rectores collegiorum et Superiores religionum pro suis alumnis obligantur eas e) *juramento firmare* (can. 545. § 1.).

In litteris testimonialibus exponere debent, quid sciant de aspirantis natalibus, moribus, ingenio, vita, fama, conditione, scientia; sitne inquisitus, aliqua censura irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, num propria familia ejus auxilio indigeat et tandem, si agatur de illis, qui in seminario, collegio aut alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, quanam de causa dimissi sint vel sponte discesserint can. 545. § 4.

Patet ex illis, quae exponenda sunt, agi praesertim de impedimentis pro admissione et de indole aspirantium, quae in judicium Superiorum de eorum idoneitate influere possint. Quoad illos, qui de aliquo collegio aut ex novitiatu vel postulatu alterius religionis veniunt, § 3. solum ea continet, quae jam Pius X. per decretum S. Congr. de Religiosis supracitatum (cfr. supra pag. 116.) praescripserat. Litteras autem testimoniales pro ingressu in religionem jam Pius IX. per decretum S. Congr. super statu Regularium die 25. Januarii 1848. postulaverat. Nec ipse valorem admissionis ab illis litteris dependentem fecit neque nunc ab illis valor ingressus pendet. Poenae autem, quas Pius IX. contra Superiores admittentes aspirantes absque litteris testimonialibus statuerat, nunc sunt abrogatae.[1])

Praeter haec testimonia a jure requisita possunt Superiores, quibus jus est adspirantes in religionem coop-

[1]) Responsa a. s. C. super statu Regularium super memorato decreto data simul cum ipso decreto exhibet Bizzarri, Collectanea ad usum Secretariae s. C. Episc. et Reg. pag. 831. ss. (ed. Roman. anni 1885).

tandi, alia quoque exigere, quae ipsis ad hunc finem necessaria aut opportuna videantur (can. 544. § 6.). Obligatio autem respondendi et quidem post diligentem investigationem etiam per secretas notitias „graviter eorum conscientia onerata super veritatem expositorum" (can. 545. § 4.) existit solum pro litteris „ex praescripto juris" dandis.

78. Quoad *mulieres* in novitiatum seu postulatum recipiendas postulatur solum, „ne recipiantur, nisi praemissis accuratis investigationibus circa earum indolem et mores" (can. 544. § 7.).

Religiosarum etiam exemptarum Antistita debet Ordinarium loci, duobus saltem mensibus ante, certiorem facere de proxima admissione ad novitiatum et ad professionem tum temporariam tum perpetuam sive sollemnem sive simplicem.[25] — Ordinarius loci, vel eo absente aut impedito, sacerdos ab eodem deputatus, adspirantis voluntatem, saltem triginta diebus ante novitiatum et ante professionem, ut supra, diligenter et gratuito exploret non tamen clausuram ingrediens, num ea coacta seductave sit, an sciat, quid agat; et, si de pia ejus ac libera voluntate plane constiterit, tunc adspirans poterit ad novitiatum vel novitia ad professionem admitti (can. 552.).

(25) Quoad admissionem *monialium* ad habitum a) jam conc. Tridentinum 25, 17 praescripserat, ut Episcopus per se aut per alium in voluntatem et qualitates singularum inquireret; quare debuit „praefecta monasterii eum ante mensem certiorem facere". Et si hanc certiorationem neglexerit, quamdiu Episcopo videbatur ab officio suo suspensa erat. b) Hoc jus et hanc obligationem habuit Episcopus etiam relate ad monasteria ab ipsius jurisdictione exempta et regularibus subjecta. Tamen c) in monasteriis regularibus subjectis intra 15 dies a certioratione facta dictam inquisitionem seu examen instituere aut instituendum curare debuit; post horum 15 dierum lapsum se in id negotium non potuit amplius intromittere.[1]) Imo d) pro ingressu

[1]) Ita statuit s. Pius V. const. „Etsi mendicantium" d. 16. Maji 156.. § 2. n. 6. Hanc constitutionem postea idem s. Pius V. extendit ad alios Ordines religiosos etiam non mendicantes per const. „Ex superna" d. 16. Aug. 1567.

in monasterium, in quo clausura stricta haberetur, etiam licentia Episcopi necessaria erat. Quod auctores deduxerunt ex jure Episcopo competente invigilandi in clausuram monialium etiam earum, quae Regularibus sunt subjectae.[1]) Pro Italia et insulis adjacentibus tum Clem. VIII. varia decreta edidit, tum recentibus temporibus s. C. super statu Regularium decretum „Regularis disciplinae" d. 25. Jan. 1848.[2] Codex autem, quod antea de solis monialibus valebat ad omnes religiosas mulieres extendit, poenas in Antistitas praescriptum hoc negligentes sustulit, terminum autem ad 2 menses extendit et distinctionem inter monasteria regularibus subjecta et non subjecta non facit.

Si autem illi, qui litteras testimoniales ex praescripto juris dare debent, ob graves rationes judicaverint se eis respondere non posse, causas Apostolicae Sedi intra idem tempus (scil. intra trimestre) exponere debent (can. 545. § 2.). — Si reposuerint adspirantem satis non esse sibi cognitum, per aliam accuratam investigationem ac fide dignam relationem Superior religiosus suppleat; si vero nil reposuerint, Superior requirens de non recepta responsione Sanctam Sedem certiorem reddat (ibidem § 3.)

Hoc ultimum saltem pro illo casu, quod Episcopi eas dare recusaverint, quia postulantis ingressui opponerentur, jam praescripserat decretum citatum S. Congr. super statu Regularium d. 25. Jan. 1848.

Omnes qui praedictas informationes receperint, stricta obligatione tenentur *secreti servandi* circa notitias habitas et personas, quae illas tradiderunt (can. 546).

D. De dote religiosarum.

79. In monasteriis *monialium* postulans afferre debet dotem in constitutionibus statutam aut legitima consuetudine determinatam (can. 547. § 1.) Ratio hujus legis est, ut moniales, quae generatim vitam contemplativam agunt

---

[1]) Cf. Ferraris, Bibliotheca prompta v. Monialis art. II. n. 66.; Wernz, Jus decr. III. 2². p. 303. Nr. 632.

[2]) Hoc quoque decretum, cujus prior pars de admissione postulantium ad habitum agit, dum altera pars normas praefigit admissioni novitiorum ad professionem, simul cum declarationibus a s. C. datas cf. apud Bizzarri l. c. pag. 832. ss.

proindeque difficulter tantum necessaria ad victum sibi comparare possunt, habeant unde vivant neque cogantur necessitate compulsae e monasterio exire, ut sive per mendicationem sive per laborem aliquid acquirant. In *religionibus votorum simplicium* haec dos non est eodem modo necessaria, cum illae religiosae secundum diversas earum constitutiones tum e domo exire, tum proprio labore e. g. ut ludimagistrae, ut infirmariae vel etiam eleemosynas colligendo necessaria ad victum plus minusve facile sibi acquirere possint, ideo pro illis lege generali dos non praescribitur sed standum est constitutionibus (can. 547. § 3.).

Haec dos, ubi postulatur, ante susceptionem habitus aut jam monasterio tradenda, aut ita in tuto collocanda est in forma etiam jure civili valida, ut ejus traditio tempore stabilito sit secura. Ex modo loquendi hujus § 2. canonis 547. patet legem imprimis valere de monialibus et etiamsi pro aliis quoque religiosis convenienter applicari possit, tamen ex stricto jure de illis non videtur valere. § 2. enim a) imprimis intelligenda est de immediate praecedentibus in § 1., quae de solis monialibus agit et b) loquitur de traditione „monasterio" facienda, quod significat domum monialium. *Condonatio* dotis (sive totius sive alicujus partis) in particulari casu quidem non omnino prohibetur sed fieri nequit sine indulto Stae. Sedis aut Ordinarii loci prout religio est juris pontificii aut dioecesani (can. 547. § 4.).

Dos religiosae professae sive votorum sollemnium sive votorum simplicium quavis de causa discedenti integra *restituenda* est sine fructibus jam maturis (can. 551. § 1). Si vero religiosa professa ad aliam religionem ex apostolico indulto transeat, emissa nova professione, dos alteri religioni debetur. Tempore vero novitiatus, quem professa in nova religione denuo peragere debet (can. 633. § 1.) fructus dotis etiam novae religioni tradendi sunt (exceptis solum illis, qui pro alimentis et habitu religioso impensi sunt, si hac de re aut constitutiones aliquid expresse praescribant aut conventione expressa cum religiosa contractum sit, can.

570. § 1.). Si transitus fit ab uno monasterio ad aliud ejusdem religionis, dos jam a die transitus novo monasterio debetur (can. 551. § 2.).

Ex hoc patet magni momenti esse, ut dos integra conservetur, ne in tali casu domus religiosa magnas difficultates patiatur. Ideo praescribit can. 549: Post primam religiosae professionem (qua ergo primo domui religiosae aliquod jus disponendi acquiritur) dos in tutis, licitis ac fructiferis nominibus collocetur ab Antistita. Quaenam nomina ut tuta consideranda sint, saepe in diversis dioecesibus ab Ordinario loci jam determinatur. Quoad liceitatem praesertim attendendum est, ne possessio talium nominum participationem in aliqua negotiatione religiosis prohibita constituat. Quamvis enim can. 142. solis clericis mercaturam prohibeat, tamen can. 592. statuit obligationibus communibus clericorum, de quibus in can. 124.—142. etiam omnes religiosos teneri, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet et can. 2380. tum clericos tum religiosos poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coercendos esse affirmat, si contra praescriptum can. 142. mercaturam vel negotiationem per se aut per alios exerceant. — Ad collocationem pecuniae, quae dotem professae constituit, Antistita indiget consensu sui Consilii et Ordinarii loci et, si domus a regularibus pendeat, etiam Superioris regularis. Consensu Consilii eam indigere sic probatur: Canon dicit „collocetur ab Antistita cum suo Consilio“; non autem hoc faceret cum suo Consilio, si quidem hac de re interrogaret, sed contra suas consiliarias ageret. — Omnino autem prohibetur, dotem ante religiosae obitum impendi ne ad aedificandam quidem domum aut ad aes alienum exstinguendum (can. 549.). Administratio autem dotum non in domo, cui religiosa addicta est, fieri debet sed ad domum pertinet, ubi aut suprema Moderatrix aut Antistita provincialis habitualiter residet (can. 550. § 1.). Ordinariis vero locorum iniungitur, ut conservandis religiosarum dotibus sedulo invigilent et praesertim in visitatione de eisdem

rationem exigant.[1]) Sic per totam vitam religiosae cum magnis cautelis dos ejus tractanda est usque ad ejus obitum in religione, quo tandem dominium ejus irrevocabiliter religioni acquiritur. Hac morte autem semper acquiritur, sive religiosa professionem sollemnem sive simplicem sive etiam temporariam tantum emiserit (can. 548.).

§ 2. De novitiorum institutione.

(Codex can. 553.—571.)

89. Novitiatus incipit cum susceptione habitus. Cum autem aliquae religiones determinatum habitum non habeant, constitutiones etiam alium modum vel aliud signum ingressus in novitiatum praescribere possunt (can. 553.). Usus quidem etiam in illis saepe secum fert, ut aliqua veste clericali induantur, quin tamen hoc modo initium novitiatus significetur.

Praeter absentiam impedimentorum, de quibus supra (can. 542. Nr. 1.) egimus, ad valorem novitiatus requiritur insuper ut peragatur (can. 555. § 1.):

1) Post completum 15. saltem aetatis annum (cfr. supra § 1. Nr. marg. 65. 2.).

2) Per annum integrum et continuum.

(26) Tirocinii *duratio* 1) ante Tridentinum concilium ex jure communi determinata non erat sicque, nisi singulorum Ordinum constitutiones aliud statuerent, ad brevissimum etiam tempus poterat restringi. Ecclesiasticae leges expresse statuerant, quod si novitius etiam ante annum novitiatus expletum libere professionem emitteret et Ordo professionem acceptaret, etsi professio tacite tantum scil. per assumptionem habitus professorum fieret, professionem validam censendam esse.[2]) 2) Ex jure vero Tridentino annus integer novitiatus professioni praecederet oportuit, adeo ut ipsa valore destitueretur, nisi integer annus in probatione esset peractus. Atque oportuit ut mathematice

[1]) Cfr. quae de petendo consensu Ordinarii loci et de ejus visitatione jam dicta sunt Cap. III. Art. III. Nr. marg. 54. 3. et Nr. 55. in fine.

[2]) Cf. Cap. Ad Apostolicam 16. De regularibus etc. III. 31.

i. e. usque ad momentum integer esset. Insuper si in quibusdam religionibus diutius probationis tempus sive ad valorum sive saltem ad liceitatem professionis exigeretur, harum familiarum constitutionibus standum erat. Pius vero X. computationem temporis novitiatus immutavit, ita ut nunc, sicut ordinarie obtinet, de die in diem non de momento ad momentum computetur.[1]) Longius tempus autem per constitutiones quarundam religionum praescriptum ad validitatem professionis non requiritur, nisi in eisdem constitutionibus aliud expresse dicatur (can. 555. § 2.). — 3) Praeterea tirocinii annus *continuus* esse debet, adeo ut si novitius tirocinium perfecte relinquat etsi ad breve tempus tantum, novitiatus denuo inchoandus sit atque per integrum alium annum continuandus. Sub perfecta vero desertione intelligebatur dimissio habitus cum animo eum non reassumendi facta simul cum desertione domus, in qua probatio instituebatur. Imperfecta vero tirocinii desertio, quae fiebat e. g. deserendo quidem domum retento tamen habitu simul cum animo redeundi; item dimittendo habitum cum animo eum non reassumendi, quin tamen etiam domus desereretur, annum tunc saltem non abrupisset, si haec imperfecta desertio ad breve tantum tempus durasset. Sola vero voluntas novitiatui vitaeque religiosae renuntiandi certe ad annum abrumpendum non sufficit.[2])

Nunc autem Codex clare haec determinat. I. Novitiatus interrumpitur, ita ut denuo incipiendus ac perficiendus sit a) si novitius a Superiore dimissus a domo exierit aut b) domum sine illius licentia non reversurus deseruerit, aut c) extra domum, etsi reversurus, ultra 30 dies sive continuos sive non continuos permanserit quacumque ex causa etiam de Superiorum licentia[3]) (can. 556. § 1.). Transitus autem ab una domo novitiatus in aliam ejusdem religionis tirocinium non interrumpit (§ 4.). — II. Si autem per brevius tempus cum licentia Superioris vel vi coactus novitius extra novitiatum permanserit, interruptio locum non habet, attamen a) si commoratio extra septa domus novitiatus ultra quindecim dies etiam non continuos duraverit, dies hoc modo transacti supplendi sunt et hoc ad

---

[1]) Decretum S. Congr. de Religiosis „Cum propositae“ die 3. Maii 1914. (Acta Apost. Sedis VI. 229.).

[2]) Cf. Schmalzgruber l. c. n. 68.

[3]) Haec fere eodem modo jam statuerat decretum S. Congr. de Religiosis d. 3. Maii 1914. (vide supra).

valorem novitiatus requiritur et sufficit (scil. novitiatus, ut aiunt, *suspenditur*); b) si non ultra 15 dies, supplementum potest a Superioribus praescribi, sed non est ad validitatem necessarium (can. 556. § 2.).

Quod sub Nr. I. c) dictum est, forte aliqua dubia excitare poterit. Scil. utrum aliquis, qui pluries per breve tempus omnibus vero computatis ultra 30 dies extra novitiatum permanserit, interruptionem a prima absentia vel ab ultima, qua 30 dies completi sunt, computare debeat. Primum videtur probabile, sed cum agatur de valore tum novitiatus tum professionis, cautius erit in tali casu interrogare S. Congr. de Religiosis, ne forte postea professio declaretur iuvalida. Intelligitur etiam, cur § 3. can. 556. Superioribus injungat, ne licentiam manendi extra septa novitiatus, nisi justa et gravi de causa, impertiant.

81. (27) 3) In domo novitiatus.

De *domo*, in qua *novitiatus* peragendus est, 1) pro Italia insulisque adjacentibus Clem. VIII. determinavit, novitiatum peragi posse tantum in domibus aut conventibus a s. Sede ad id destinatis. Attamen ab hac lege plures Ordines excepit, qui proinde juri communi subjecti manebant.[1]) 1) In aliis regionibus tum ad valorem tum ad liceitatem professionis subsecutae sufficiebat, ut probatio in conventu aliquo respectivi Ordinis peragereturr.[2]) 3) Imo probabilius ex lege communi ecclesiastica nec ad valorem nec ad liceitatem professionis requirebatur, ut probatio in domo religiosa fieret, etsi summopere hoc quidem semper expediebat. Dicendum potius est, leges generales Ecclesiae de loco probationis nihil praescripsisse, sed ejus determinationem legislationi singulorum Ordinum aut Congregationum reliquisse. Proinde

---

[1]) Cf. P. Piatus Montensis, Praelectiones de jure Regularium tom. I. pag. 99. s.; Wernz, Jus decret. III. 2^2. p. 309. Nr 636.

[2]) Non desunt quidem auctores affirmantes, id quod a Clem. VIII. pro Italia praescriptum est, per eundem Clem. et postea per Urbanum VIII. ad totam Ecclesiam extensum esse per decretum, quod incipit „Nullus omnino“ § 33. At quidquid sit de quaestione, utrum Clem. VIII. et Urban. VIII. dictam decreti paragraphum pro universo orbe statuerint, certe decretum quoad hanc partem extra Italiam exsecutioni mandatum non fuit, quum Sedes Apostolica domos probationis non assignavisset usumque de facto vigentem bene cognovisset. Cf. P. Piatus Mont. l. c. Complura tamen responsa S Congr. Ep. et Regul. in approbandis constitutionibus Congregationum religiosarum idem postularunt cfr. Wernz, l. c. annot. 263. et 264.

absolute loquendo si substitisset sufficiens causa, probatio etiam in saeculari domo fieri potuisset, dummodo novitius subjectus esset potestati Superiorum Ordinis, pro quo probabatur.[1]) Porro 4) de qualitatibus, quibus domus probationis instructa sit oportet, Clem. VIII. plura praescripsit, quae pro religiosis familiis Italiae vim praeceptivam, extra Italiam si non praeceptivam, saltem directivam vim habuerunt, nunc autem plerumque in Codice lege generali sunt sancita. Referuntur ea maxime ad separationem tironum ab aliis religiosis ejusdem etiam Ordinis et conventus; hinc pars domus, novitiorum habitationi destinata, segregata sit oportet ab aliis domus partibus (can. 564. § 1.) atque, praeter tot cellulas, quot erunt numero novitii, locum continere aptum ad spirituales collationes seu conferentias habendas atque ad Magistri instructiones audiendas; ad quam domus partem aliis accessus non pateat nisi specialis adsit causa[2]) cum licentia Superioris vel Magistri (can. cit.) Conversis autem novitiis locus separatus adsignetur (can. 564. § 2.). Insuper voluit Innocentius XII., ut in domibus, in quibus novitii educantur, a Superioribus non collocentur nisi viri graves, orationi ac mortificationi dediti ac regularis observantiae studiosi[3]) (can. 554. § 3.).

Nunc ergo in omni religione necessario erigendae sunt domus novitiatus ad normam constitutionum et quidem cum licentia Sedis Apostolicae, si agatur de religione juris pontificii (can. 554. § 1.) una tantum pro unaquaque provincia, nisi gravi de causa plures sint necessariae, ad quas erigendas autem speciale requiritur indultum apostolicum (quod videtur valere etiam pro religione dioecesana) (can. 554. § 2.).

Tandem praescribitur, ut integer novitiatus peragatur *in habitu*, quem constitutiones pro novitiis praescribunt, nisi speciales locorum circumstantiae aliud exigant (can. 557.), nihil autem additur, quod hoc ad valorem novitiatus sit necessarium, imo exceptio expresse permissa probat contrarium.

In religione, in qua 2 habeantur *sodalium classes*, novitiatus pro altera classe peractus, pro altera non valet (can. 558.). Tales classes habentur plerumque in religionibus clericalibus, ubi distinguitur inter clericos et laicos,

[1]) Cf. Schmalzgruber tit. cit. n. 62.

[2]) Cf. const. Clem. VIII. const. „Cum ad regularem“ § 26.

[3]) Cf. const. Innoc. XII. „Sanctissimus“ d. 18. Jul. 1695. § 3.

quandoque distinguitur inter magistros (vel magistras) et illos, qui ad officia domestica recipiantur vel inter illos, qui ad officium chori et „laicos", qui ad officia domestica destinantur. Per can. 558. autem non videtur omnino exclusum, ut aliquis ut „indifferens" recipiatur, sicut quandoque e. g. cum sto. Stanislao factum est in Societate Jesu, scil. ut in novitiatum ingrediatur et omnino in potestate Superiorum relinquat, num velint eum finito novitiatu ad studia mittere vel ad officia domestica destinare; talis enim non peregit novitiatum pro altera classe. Tamen propter separationem inter duas classes per can. 564. § 2. praescriptam difficilius talis modus agendi, qui jam antea rarissime tantum adhibebatur, permitti potest. Ubi constitutiones 2 annos novitiatus praescribunt, utique primus vel pars primi anni ita peragi potest.

82. (28) Novitiorum institutioni praeficiendus est 1) *Magister*, qui sit annos natus quinque saltem et triginta, decem saltem ab annis a prima professione professus, prudentia, caritate, pietate, religionis observantia conspicuus et, si de clericali religione agatur, in sacerdotio constitutus. — Si ob novitiorum numerum vel aliam justam causam expedire visum fuerit, Magistro novitiorum adjungatur 2) socius, eidem immediate subjectus in iis, quae ad novitiatus regimen spectant, annos natus saltem tringinta, quinque saltem ab annis a prima professione professus, cum ceteris dotibus necessariis et opportunis (can. 559. §§ 1., 2.).

Haec fere omnia quoad Magistrum ejusque aetatem, professionem, qualitates item de socio jam ordinaverat Clemens VIII. decreto „Quum ad regularem" § 27.

3) Tum Magister tum ejus socius *eligendi* sunt ad normam constitutionum et nonnisi ex juxta gravique causa ante tempus in constitutionibus statutum removendi, possunt tamen tempore elapso iidem rursus eligi (can. 560.) Mens Ecclesiae ergo videtur esse, ut Magister novitiorum, in oppositione ad Superiores, per longius tempus suo munere fungatur. — 4) *Regimen novitiatus* cum jure et officio consulendi novitiorum institutioni ad unicum Magistrum spectat.

Quoad disciplinam universae domus, subest quidem tum ipse tum ejus novitii Superiori domus sed quoad regimen novitiatus nemini licet se quovis colore immiscere exceptis Visitatoribus et iis Superioribus, quibus id a constitutionibus permittitur. Sic. e. g. in Societate Jesu subest quidem Rectori vel Praeposito non autem ministro.[1])

Obligatio gravis Magistro novitiorum incumbit, adhibendi omnem diligentiam, ut tirones in religiosa disciplina secundum constitutiones sedulo exerceantur et ad novitiatus finem sicuti in can. 565. describitur ab eo perducantur (can. 562.). De agendi ratione singulorum novitiorum Magister secundem diversas singularum religionum constitutiones pluries durante novitiatus anno relationem exhibere debet aut Capitulo aut Superiori majori (can. 563). — Ut facilius hisce obligationibus satisfacere possint, tum Magister novitiorum, tum ejus socius ab omnibus officiis et muneribus vacare debent, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant (can. 559. § 3.). Confessiones vero novitiorum Magister non debet audire, nisi novitii ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus id petant (can. 891. cfr. supra Cap. III. Art. II. pag. 92.).

83. Praeter primum finem novitiatus, qui in eo consistit, ut et novitius religionis, cui associari cupit, obligationes, disciplinam et austeritates cognoscat, et vicissim religio mores et indolem novitii experiatur,[2]) can. 565. *finem tirocinii* et *obligationes novitiorum* hoc modo describit: „§ 1. Annus novitiatus debet sub disciplina Magistri hoc habere propositum, ut informetur alumni animus studio regulae et constitutionum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis, quae ad vota et virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitiorum semina radicitus exstirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas. — §. 2. Conversi praeterea diligenter in christiana

[1]) Reg. Mag. nov. 3. 5.

[2]) Cfr. cap. Ad apostolicam 16. De Regularibus etc. III. 31.

doctrina instituantur, speciali collatione ad eos habita semel saltem in hebdomada."

Quae hic verbis magis genralibus statuuntur, antea per Clementem VIII. decreto „Quum ad regularem" magis in particulari praescripta fuerunt. Statuit enim hoc decretum: 1) Statim atque novitii ad habitum recepti et in locum novitiatus introducti fuerint, per generalem confessionem totius anteactae vitae conscientiam expurgent (§ 25). 2) Secundum ordinem a magistro praescriptum bis quotidie orationi mentali et vocali incumbant et pluries in die conscientiam examinent. Quotidie Missae sacrificio intersint et nocturnis diurnisque officiis assistant (§ 29), atque corporalibus etiam exercitationibus vacent (§ 30). Omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur, addiscant modum in oratione tum mentali tum vocali fructuose persistendi, illicitas passiones et vitia per sensuum custodiam et mortificationem cohibendi, austeritatem, jejunia, cilicia, disciplinas, conscientiae puritatem, Sacramentorum frequentiam, confessionis praesertim, quae bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus diuturnumque silentium (§ 27). 3) Similis cura etiam conversis est adhibenda, qui non tantum circa corporalia servitia probandi et exercendi, verum etiam pro eorum capacitate et commoditate de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi instruendi ideoque ad Capitula et conciones, quae per Magistros novitiis fieri solent, accersendi sunt. (§ 33). Codex autem postulat, ut diligenter in christiana doctrina instituantur s p e c i a l i collatione ad eos habita semel saltem in hebdomada (can. 565. § 2.). Haec et alia, quae decretum Clementis VIII. proponit etiam nunc novitiorum Magistris normae directivae esse possunt. — 4) Ut novitii facilius spirituali suo progressui vacare possint, statuit can. 565. § 3.: Anno novitiatus ne destinentur novitii concionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus religionis muniis, neve dedita opera studiis vacent litterarum, scientiarum aut artium;[1]) conversi autem in ipsa religosa domo eatenus tantum fungi possunt officiis fratrum conversorum (non tamen uli primarii officiales), quatenus ab exercitiis novitiatus pro ipsis constitutis non praepediantur.

84. (29) De *juribus* ac *privilegiis* novitiorum haec sunt tenenda: 1) Novitii a) omnino libere novitiatum et reli-

[1]) Hoc canone revocatur decretum Pii X. per S. Congr. de Religiosis die 27. Augusti 1910. editum (Acta Apost. Sedis II. p. 730), quo studium linguarum, (patriae vel latinae et graecae pro clericis) per unam horam singulis diebus, festis exceptis, praescriptum fuit. Videtur experientia 7 annorum hoc studium non commendasse.

gionem relinquere possunt (can. 571. § 1.). Quod sic intelligendum est, ut nullum familiae religiosae jus laedant e novitiatu egrediendo. Conscientiam vero suam tunc laedunt, quando absque periculo salutis aeternae in saeculo vivere nequeunt aut quando votum in religione perseverandi emiserunt, cujus voti obligatione forte non sunt soluti.[1]) Similiter Superior vel Capitulum novitium qnavis justa de causa dimittere possunt nec tenentur causam dimisso patefacere (can. 571. § 1.). Superior vero religiosus peccat, si absque causa novitium dimittit, non quidem contra justitiam at contra caritatem novitio exhibendam, simulque laedit bonum familiae religiosae propriae, ex qua novitium dimittit. b) Nec tenetur novitius in saeculum rediens expensas pro sustentatione sua a religione factas refundere, nisi specialem obligationem ad id antea susceperit (can. 570. § 1.). Ea vero quae aut ipse aut ejus parentes conventui religioso alimentorum intuitu donarunt egrediens ut sibi reddantur, exigere nequit. Quae vero attulerit et usu consumpta non fuerint, ei restituenda sunt (can. 570. § 2.). Qui autem ficto solum animo novitiatum ingreditur, expensas pro ipso factas certe refundere tenetur.

2) Participes fiunt novitii privilegiorum religionis, pro qua probantur, tam eorum, quibus communiter gaudent, quam particularium respectivae religionis, adeoque a) fruuntur, uti religiosi per vota ligati, privilegio canonis et fori, prout nunc adhuc viget.[2]) b) Participant de indulgentiis

---

[1]) De iis qui votum emiserunt, religionem ingrediendi et in ea perseverandi intelligendum etiam est c. Consulti 20. et cap. Statuimus 23 De regularibus etc.

[2]) Hic aliqua dicenda sunt de sensu, quo novitii aliique regulares nec ordinibus nec tonsura clericali initiati clerici vocentur. Hi nempe in sensu proprio clerici vocari nequeunt, sed potius ecclesiastici seu personae ecclesiasticae dicuntur, dum clericorum nomen reservatur iis, qui tonsura aut ordinibus sive majoribus sive minoribus initiati ad altaris servitium destinantur. Regulares ne tonsura quidem clericali initiati improprie tantum seu sensu lato clerici dici possunt, quatenus

aliisque favoribus spiritualibus Ordinis vel Congregationis aut instituti religiosi, cujus novitii sunt; c) Si morte praeveniantur, ad eadem suffragia jus habent, quae pro professis praescripta sunt (can. 567. § 1.); item d) participant de exemptione Ordini aut instituto concessa, adeo ut legibus aut statutis respectivi Episcopi eatenus tantum ligentur, quatenus religiosi professi ejusdem Ordinis vel instituti.[1])

3) Subjiciuntur jurisdictioni spirituali Superioris Ordinis seu instituti, sic ut Superior tum eos absolvere possit in foro poenitentiae, tum dispensare cum ipsis in legibus ecclesiasticis, quatenus etiam absolvere potest et dispensare cum religiosis sibi subjectis (cann. 514, 875. etc.). Ordines durante probatione ipsis conferri non debent (can. 567. § 2.)[2]).

4) Econtra novitii stricta seu veri nominis obligatione ad regulas et ad praecepta Superiorum Ordinis aut instituti, quatenus ipsa vi potestatis dominativae a Superioribus dantur, non ligantur. Finis vero, quem novitii ingressu in novitiatum sibi praestituerunt, ut probent et probentur, regularum et ordinationum Superiorum observationem sane exigit. Ideo can. 561. § 2. statuit: „Novitius potestati Magistri et Superiorum religionis subest, eisque obedire tenetur." In Ordinibus vero ac Congregationibus exemptis

---

et ipsi in sortem Domini vocati sunt, ac simul participant de quibusdam privilegiis quae concessa sunt ab Ecclesia clericis in stricto sensu sumptis.

[1]) Quaeri potest, a quo tempore incipiant novitii frui his privilegiis et favoribus, utrum demum a vestitione facta an a tempore, quo in conventum religiosum admittuntur, atque praevie probantur ad habitum sumendum. Respondendum videtur, tempus incipere a die, quo praevia probatio inchoatur, et non demum a tempore assumpti habitus; etenim postulat ratio, ut ab hoc tempore subjiciantur Superiori regulari, cum qua subjectione incipit nexus cum Ordine seu instituto regulari proindeque etiam participatio privilegiorum, quibus Ordo atque institutum religiosum gaudet.

[2]) Hoc jam prohibuit Leo XIII. per decretum S. Congr. Ep. et Reg. „Auctis admodum" d. 4. Novemb. 1892. (Acta stae. Sedis XXV. p. 312.).

novitii subjiciuntur jurisdictioni spirituali Superioris eadem ratione atque dioecesani subjiciuntur Episcopo.

85. (30) Ut plenior libertas novitiis conservetur redeundi in saeculum, si ex probatione sentiunt, se onus religiosae vitae portare non posse, praescripsit can. 568.: „In novitiatus decursu, si suis beneficiis vel bonis quovis modo novitius renuntiaverit eademque obligaverit, renuntiatio vel obligatio non solum illicita, sed ipso jure irrita est."

Primo a concilio Tridentino 25, 16 prohibita ac irritata est renuntiatio bonorum ante ultimum bimestre votorum nuncupationi praecedens facta, dum ante concilium Tridentinum renuntiatio quocunque novitiatus tempore atque independenter ab Episcopo facta non tantum valida ac licita fuerit sed etiam statim exsecutioni mandari potuerit. 1) Non obstante decreto Tridentino retinuerunt et etiam nunc retinent ii, qui religionem ingressuri sunt, libertatem abdicandi se bonis suis adeoque etiam renuntiandi beneficiis ecclesiasticis, quamdiu tirocinium nondum inchoarunt. Imo cum multis auctoribus dicendum videtur, eos quoque, qui ad conventum religiosum admissi jam sunt at habitum nondum susceperunt, valide adhuc de bonis suis posse disponere, quum novitii in stricto sensu nondum sint.[1]) 2) Illi vero contractus sive gratuiti sive onerosi, quibus novitii durante novitiatu bona quae obtinent, notabiliter minuunt, invalidi sunt, etsi ad eos confirmandos juramentum adjecerint et in cujuscunque favorem de bonis disposuerint. 3) Neque parentes novitii aut ejus curatores durante novitiatu de bonis novitii aliquid donare possunt, exceptis tantum iis, quae forte pro victu et vestitu novitii conventui refundunt (Cfr. can. 570.). 4) Demum ultimo bimestri ante emissionem professionis novitius valide de bonis suis disponere potuit.

Ut autem ea dispositio valida esset, requirebatur a) licentia Episcopi aut ejus vicarii, etiam pro novitiis Ordinum ac Congregationum exemptarum. b) Effectum sortita est demum secuta professione, quae si non secuta esset, e. g, eo quod novitius ante professionem emissam egressus esset ex religione aut mortuus, ipso facto irrita erat dispositio; attamen c) dispositionem durante eo bimestri definitive factam novitius etiam ante professionem emissam non potuit amplius revocare.[2])

5) Haec renuntiatio post decretum s. C. super statu regularium d. 19. Martii 1857. ex mandato Pii IX. editum, in Ordinibus regulari-

[1]) Canon enim 568. de decursu novitiatus loquitur. Cf. Schmalzgruber l. c. n. 132. ss.

[2]) Cf. Schmalzgruber l. c n. 120.

bus virorum pro quibus decretum datum est, fieri debuit ultimo bimestri ante professionem sollemnem, adeoque non ultimo bimestri novitiatus. Quare renuntiationes, quae decursu triennii votorum simplicium, quod praecedit professioni sollemni, fiunt, item valore destituebantur. 6) Ea quae de renuntiatione bonorum in genere diximus, applicanda etiam sunt beneficiis ac pensionibus ecclesiasticis.[1]) Hinc sequitur a) Beneficiatus, qui Ordinem religiosum ingredi cupiebat, ante admissionem suam ad novitiatum beneficio suo renuntiare potuit. b) Quodsi quacunque de causa ante receptionem suam in novitiatum id facere omisit, nec durante novitiatu nec durante triennio, quo votis simplicibus tantum ligatus erat, valide beneficio suo renuntiare potuit, nisi cum licentia s. Sedis, Toto igitur eo tempore beneficium per alium provideretur oportuit; novitius vero reditibus beneficii fruebatur. Nunc beneficia paroecialia vacant post annum ab emissa qualibet professione, cetera post triennium (can. 584.). Hinc c) novitius etiam retinet jus eligendi sive ad Episcopatum sive ad praelaturam aliam, quod ipsius beneficio annexum est. 7) Decretum Tridentinum affecit omnes Ordines tam virorum quam mulierum, in quibus sollemnia vota emittuntur, non autem alia quaecunqne religiosa instituta, quae vota tantum simplicia habent, nunc omnes religiones pari jure reguntur. Ab Ordinibus vero, quos decretum obligat, excipit conc. Tridentinum Ordinem Societatis Jesu.[2])

---

[1]) Cf. Bened. XIV. Constit. „Ex quo dilectus“ 14. Jan. 1747.

[2]) Ea quae in Soc. Jesu de bonorum renuntiatione vigent, ad haec reducuntur: 1) Qui Societatem ingredi vult, omnibus bonis suis renuntiare debet, ea distribuendo, nisi pietas aut exigit aut saltem consulat, ut ea parentibus aut consanguineis relinquantur, in pia et sancta opera. Quodsi vero statim ea distributio justis de causis fieri nequeat, promittere debet ingrediens, se post annum ab ingressu absolutum, quandocunque per Superiorem ei injunctum fuerit, adeoque aut in secundo probationis anno aut post simplicia vota emissa ante sollemnem professionem aut publicorum votorum nuncupationem, bonis suis renuntiaturum esse (Exam. gener. cap. 4. § 1. s.) 2) Beneficia etiam ecclesiastica, quae ingrediens obtinet, post primum annum probationis absolutum, quando Superioribus visum fuerit, renuntiare debet. (Exam. gen. l. c, § 5.). 3) Animadvertunt auctores, tantum eam renuntiationem, quae secundum societatis constitutiones fit, a decreto Tridentino quod aliis Ordinibus normam renuntiandi praefixit, exceptam esse; proinde si societatis novitius durante primo novitiatus anno renuntiationem perageret, aut si secundo anno novitiatus vel post simplicium votorum emissionem absque Superiorum injunctione eandem faceret, ideo quia non secundum Societatis constitutiones agit, invalide ageret, eadem ratione

86. Hic forte non inutile erit statim omnia subjungere, quae Codex *de renuntiatione bonorum* sive administrationis sive ipsius dominii radicalis sive novitiorum sive professorum continet, etsi hoc modo aliqua de articulo sequenti, qui agit de professione religiosa, anticipanda sint. Principia ergo secundum quae Ecclesia nunc suas leges condidit, videntur esse haec: 1) Novitii debent usque ad professionem omnimodam retinere libertatem redeundi in saeculum et haec ne quidem eo diminui debet, quod ipsis timendum sit, ne forte si redeant, bona sua vel partem eorum amittant proindeque vita eorum in saeculo difficilior quam antea reddatur. Ideo non licet eis ullo modo abdicare se bonis suis temporalibus, sive sint ex aliquo beneficio sive ex patrimonio vel undecumque proveniant. Ex altera parte debent tamen providere, ut post professionem votorum simplicium vota sua servent et nihilominus bona temporalia in tuto sint collocata. Quapropter debent ante professionem votorum simplicium bonorum suorum administrationem cedere, cui maluerint. Cum autem crescentes fructus bonorum, semper nova bona temporalia con-

---

atque novitius alterius alicujus Ordinis invalide agit contra Tridentinum praescriptum renuntiando (Sanchez, In decal. l. 7. c. 1. n, 37.; Schmalzgruber, De Regularibus n. 139.). 4) Renuntiatio, quae secundum modum a. s. Ignatio in Constitutionibus descriptum fit, absoluta est, adeo ut qui postea Societatem deserit aut justis de causis ex ea dimittitur, etiam antequam sollemnem professionem aut publica vota emiserit, nihil de bonis renuntiatis, in cujuscunque favorem renuntiatio facta sit, recuperandi jus habeat. 5) Quodsi vero is postea ex Societate dimittitur et incipit egere, tenetur is in cujus favorem donatio facta est, ei quamdiu eget, pro rata fructuum rei donatae alimenta subministrare; secus donator instare potest ad revocandam donationem ob ingratitudinem donatarii. Hinc eam obligationem sustentandi eum, qui a Societate dimissus est, etiam Societati incumbere pro eo casu quo dimissus bona sua Societati donasset, affirmant auctores (cf. Sanchez, In decalog. l. 7. c. 1. n. 39.; Laymann l. 2. tract. 5. cap. 7. n. 10; Schmalzgruber, De Regularibus u. 141.). Haec etiam nunc eodem modo videntur valere, cum Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos quoad vota in Societate Jesu nuncupanda nihil duxerit immutandum.

stituant, de quibus denuo disponendum esset, nisi jam semel pro semper dispositio facta sit, ideo lex insuper praescribit, ut novitius etiam de bonorum suorum usu et usufructu libere disponat, nisi constitutiones aliter ferant (can. 569. § 1.). — 2) Professi votorum simplicium retinentes quidem proprietatem bonorum suorum et capacitatem nova bona acquirendi amittunt tamen liberam de eis dispositionem et ideo a) non possunt mutare dispositionem supradictam nisi de licentia supremi Moderatoris (quoad moniales Ordinarii loci et, si ab eo pendeant, Superioris regularis) et dummodo mutatio non fiat saltem ex notabili parte in favorem religionis (can. 580. § 3.); b) non possunt (in Ordinibus ne valide quidem) dominium (radicale) bonorum suorum titulo gratioso in alium transferre aut illo se abdicare (can. 581. § 1. pro Ordinibus, can. 583. Nr. 1. pro Congregationibus); c) debent tamen, si post vota simplicia sollemnia vota emittant, omnia praeparare, ut de bonis temporalibus provisum sit, quando ipsi omne jus acquirendi et possidendi bona temporalia amiserint, ita ut ne valide quidem de illis disponere possint. Ideoque debent intra 60 dies ante professionem sollemnem omnibus bonis, quae actu habent, cui maluerint sub conditione secuturae professionis renuntiare (can. 581. § 1.), et d) procurare, ut renuntiatio etiam jure civili effectum consequatur hoc autem nonnisi post (sed immediate post) sollemnem professionem (can. 581. § 2.), — 3) Novitii et professi votorum simplicium etiam haereditatem relinquere possunt, proinde debent novitii alicujus Congregationis (non Ordinis, quia sequitur professio sollemnis et proinde incapacitas dominii) ex praescripto canonis 569. § 3. tum de bonis praesentibus tum de illis, quae forte advenerint, *testamentum* condere, quod postea ut professi votorum simplicium mutare nequeunt sine licentia Stae. Sedis. Solummodo si res urgeat nec tempus recurrendi suppetat, licentia petenda est a Superiore majore, et si nec illum adire possint, a Superiore locali (can. 583. Nr. 2.). Ratio, cur testamentum praescribatur, certe est, ut novitius pro-

curare possit, ne haereditas solis consanguineis adveniat, sed ut eam distribuere possit juxta verba Christi Domini: Vade, vende quae habes, et da pauperibus ... et veni sequere me (Matt. 19. 21.), quamvis stricte prohibitum non sit, ut novitius nihilominus propinquos haeredes instituat, cum liceat ei omnino libere condere testamentum (can. 569. § 3.). — 4) Addendum est insuper, cessionem administrationis ac dispositionem de usufructu, si praetermissa fuerit ob defectum bonorum et haec postea supervenerint, aut si facta fuerit et postea alia bona quovis titulo obvenerint, faciendam aut iterandam esse secundum normas § 1. statutas non obstante simplici professione emissa (can. 569. § 2.).

87. *Confessarios* novitiorum quod attinet, novitiae in religionibus mulierum eodem modo tractantur sicut religiosae professae, sed etiam pro viris similia praescripta continet can. 566. § 2., de qua autem jam in Cap. III. Art. II. tractavimus, quando ex professo de confessariis et capellanis sermo erat. Confessio generalis antea (a Clemente VIII. cfr. supra) post susceptionem habitus praescripta, nunc ante ingressum in novitiatum nonnisi illis praecipitur, qui novitiatui postulatum praemittere debent. Iidem etiam exercitia spiritualia per 8 dies ante ingressum in novitiatum peragere debent aliis vero hoc generali lege non praescribitur. Omnes vero finito novitiatu ante nuncupationem votorum exercitiis spiritualibus per 8 integros dies (cann. 541. et 571. § 3.) vacare debent.

Finito novitiatu novitius, si judicetur idoneus, ad professionem admittatur, secus dimittatur; si dubium supersit, sitne idoneus, potest a Superioribus majoribus probationis tempus, non tamen ultra 6 menses prorogari (can. 571. § 2.).

Art. IV.

De professione religiosa.

(Codex can. 572.—586.)

§ 1. De professione religiosa generatim simpla.

88. (31) Professio religiosa generatim sumpta definitur contractus ultro citroque obligans, quo quis per emissa

vota paupertatis, castitatis et obedientiae se Deo et religioni tradit et religio hanc traditionem acceptans se obligat ad eum tamquam filium juxta regulas et proprium institutum retinendum et tractandum. Licet autem votorum nuncupatio, et traditio ad institutum religiosum facta, formaliter inter se differant, quum per votorum nuncupationem suscipiatur obligatio immediate versus Deum, per traditionem vero ad coetum religiosum factam immediate vinculum cum eo coetu ineatur et mediate demum cum Deo, nihilominus votorum emissio et traditio ad coetum particularem individuo nexu inter se cohaerent, ita ut si traditio quacunque de causa invalida sit, eo ipso invalidentur etiam vota; et vicissim si unum ex votis emittatur invalide, consequenter non tantum duo alia vota sed ipsa etiam traditio invalidetur. Etenim religiosum institutum traditionem non acceptat nec versus tradentem mutuo se obligare intendit, nisi idem qui se coetui tradit, vota coetus substantialia emittat. Et similiter qui vota emittit, ea emittere intendit in certo coetu, adeo ut ex ipsius intentione per vota non obligetur, nisi simul membrum coetus religiosi evadat. Professio religiosa distinguitur a) in *simplicem* et *sollemnem*. Conveniunt ambae in eo quod continent in se tum emissionem trium votorum substantialium religionis, quibus professus ligatur immediate versus Deum, tum contractum ultro citroque obligantem inter professum atque particulare institutum religiosum, in quo professio emittitur. Differunt autem in modo et vi tum votorum tum contractus ut postea dicetur. b) Nunc professio religiosa etiam distinguitur in *temporariam* et *perpetuam*. In prima obligatio nonnisi ad tempus determinatum (e. g. ad annum vel triennium) vel etiam indeterminatum sed a propria voluntate adhuc dependens (e. g. quamdiu in hoc coetu permaneam)[1]) suscipitur, in altera pro tota vita.

Qui vota solum modo temporaria emiserunt, ante editionem Codicis nec stricto sensu religiosi nec simpliciter professi vocabantur.

[1]) Sic e. g. sorores sti. Vincentii vota sua emittere solent.

Nunc autem Codex passim vocabulum professionis pro emissione votorum temporariorum adhibet illosque, qui talia vota emiserunt, religiosos nominat (cfr. Cap. I. Art. I. et II. pag. 14.), imo in Ordinibus religiosis professionem temporariam ante perpetuam praescribit, ideoque de hac distinctione necessario agendum est.

De professione autem religiosa generatim sumpta, prout abstrahit a determinata specie dicit can. 572. § 1.: Ad validitatem cujusvis religiosae professionis requiritur[1]) ut:

1. Qui eam emissurus est, legitimam aetatem habeat ad normam can. 573.

Iste autem canon postulat pro professione temporaria 16. annum expletum, pro professione perpetua 21. annum item expletum. Quapropter fieri potest, ut aliquis religiosus, qui 16. aetatis anno expleto prima vota nuncupaverit, quamvis can. 574. per se solummodo triennium pro votis temporariis praescribat, tamen diutius in illis permanere debeat.

89. (32) 2. Eum ad professionem admittat legitimus Superior secundum constitutiones.

Si quaerimus, *quis professionem admittat,* sub admittente non tam intelligimus eum, qui professionem excipit (cfr. Nr. 6.) sicque contractum cum profitente concludit, quam eum, qui per excipientem repraesentatur cujusque nomine et auctoritate agit is, qui professionem excipit. Ad quaestionem autem de admittente sic conceptam respondendum est 1) ante omnia attendantur oportere particulares tum constitutiones tum consuetudines singulorum coetuum religiosorum. Dixi: constitutiones scil. a. s. Sede approbatae singularum familiarum. Generatim vero loquendo aliquem ad religiosum coetum admittere is potest, qui nomine coetus alios quoque contractus inire potest, ii autem pro varietate interni regiminis diversarum familiarum religiosarum diversi sunt. Dixi, attendendas esse consuetudines, quia, generatim loquendo dubitari nequit, quin per consuetudines immutari possint constitutiones etiam a. s. Sede approbatae societatum religiosarum. Hinc 2) in conventibus separatis Episcopi jurisdictioni subjectis admissio competit Episcopo simul cum conventu. Quod maxime valet de monasteriis monialium. Episcopus solus professionem monialium admittere nequit, sed neque sol: conventus. Ad eos vero monialium conventus, qui Ordinibus regularibus sunt subjecti, admittit Superior regularis simul cum conventu; Episcopus tantum ex causis canonicis, quarum aliquam in informatione quam cepit detexit, admissionem

[1]) Ferreres, Inst. can. I. pag. 346.

interdicere potest. 3) Quoad domus virorum sui juris, qui ab Episcopi jurisdictione exempti sunt, dubitandum non est, quin admissio spectet ad Praelatum regularem simul cum suo Capitulo adeoque nec ad Praelatum solum nec ad Capitulum solum; atque irrita est admissio et professio ad quam ambo non concurrunt. Hoc recte concluditur ex eo, quod nec Praelatus solus nec Capitulum solum alios contractus conventus nomine inire possunt.[1]) Similiter etiam dicendum, ad conventum Episcopi jurisdictioni subjectum admitti non posse nisi eos, in quibus consentit cum Episcopo conventus repraesentatus per Praelatum simul et Capitulum. 4) In illis familiis religiosis, quae formam regiminis interni quasi-hierarchicam habent, admittendi jus competere fere solet praeter Superiorem generalem etiam Superiori provinciali simul cum suo Capitulo seu Consilio. Quum vero hae familiae religiosae commune jus non habent, quoad singulas attendendum est ad earum constitutiones ac leges.[2])

90. (33) 3. Novitiatus validus ad normam can. 555. praecesserit.

Oportet ut non sit inhabilis ad novitiatum juxta ea, quae supra art. III. p. 112. ss. diximus, peregeritque in ipsa domo novitiatus integrum probationis annum aut biennium, ubi hoc ad valorem professionis requiritur.

4. Professio sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur.

Professionem emissurus debet habere animum profitendi, i. e. tum se obligandi per vota erga Deum, tum per traditionem erga coetum religiosum. Professio debet scienter et libere esse emissa. De cognitione requisita haec notamus: a) Error substantialis sive de votorum objecto sive de obligatione contractus professionem jure naturae invalidat (can. 104.). b) Error accidentalis, qui causam dat professioni, jure naturae non quidem invalidat professionem, at si dolose causatus est, annullatur actus lege ecclesiastica. c) Error vero accidentalis mere concomitans aut etiam antecedens sed non dolo causatus in valorem professionis nullatenus influit. Quod metum attinet, dicit can. 1307. § 3.: „Votum metu gravi et injusto emissum ipso jure nullum est.“ Attamen can. 572. § 1. Nr. 4. nihil habet de injustitia metus incussi

---

[1]) Cf. Pirhing, De Regularibus etc. n. 132. Nunc cf. can. 575. § 2.

[2]) De admissione ad professionem sollemnem in Ordine s. Dominici cf. resp. s. C. super statu Regularium d. 7. Febr. 1862. apud Bizzarri l. c. pag. 861. — De admissione ad professionem simplicem in Ordine Capucinorum cf. Piatus Mont. l. c. pag. 109. s. — In Soc. Jesu ad professionem sollemnem et vota publica admittit Praepositus generalis, ad vota simplicia post biennium novitiatus ex generali commissione Provincialis.

et etiam can. 2352. excommunicatione nemini reservata plectit omnes, qui quoquo modo cogant aliquem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam. Quare videtur dicendum esse, aut omnem metum in ordine ad professionem incussum esse injustum aut etiam metum juste incussum invalidam reddere professionem (et etiam ingressum in novitiatum, cfr. can. 542. Nr. 1.). Imo verba can. 572. sunt adeo generalia, ut ne quidem videatur requiri metus ab extra in ordine ad professionem incussus, ita ut e. g. professio graviter aegrotantis, qui ex timore mortis, ut Deus eum a morte liberet, professionem emitteret, invalida esset.[1]) Ex altera parte tamen talis lex irritans adeo supergreditur omnia, quae usque nunc in Ecclesia in usu fuerunt, ut non auderem haec de facili affirmare. Forte ita dicendum est: Secundum can. 6. Nr. 4. in dubio, num aliquod canonum praescriptum cum veteri jure discrepet, a veteri jure non est recedendum. Videtur ergo licere can. 572. secundum jus vetus intelligere supponendo legislatorem solummodo brevitatis causa ea non repetiisse, quae usque nunc in legibus ecclesiasticis actum propter metum irritantibus valebant et etiam in ipso Codice alibi (e. g. quoad vota in can. 1307., quoad matrimonium in can. 1087.) statuuntur, ita ut ad invalidandam professionem requiratur metus ab extrinseco et injuste incussus. Certum vero neque hoc videtur esse, quapropter in tali casu juxta can. 586. § 3. res deferenda est ad Sedem Apostolicam.

Neque invalida declaratur professio a) eo quod non profitenti sed potius professionem acceptanti metus gravis injuste illatus sit in ordine ad professionem acceptandam, quamvis receptio in novitiatum ex metu gravi sec. can. 542. invalida sit. Videtur jam per illum canonem libertati Superiorum in admittendis novis membris religionum satis provisum, b) Professio non irritatur, etsi cum gravi peccato conjuncta sit. Excipiendum vero est peccatum simoniae; canon enim 729. declarat contractum simoniacum omni vi carere. Professio autem includit contractum inter profitentem et religionem professionem acceptantem. Notandum vero est invalidari solum ipsum contractum simoniacum non autem actus subsequentes excepta solum provisione quoad officia, beneficia et dignitates. Non ergo irritatur professio, quae non ipsa est simoniaca sed solum innititur in aliquo contractu simoniaco antecedente. Neque censura latae sententiae per talem professionem incurritur, cum illa solum illis infligatur, qui peccatum

[1]) Verba can. 542. „Qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti" videntur adhuc connotare aliquem, qui eos induxerit et proinde in ordine ad eos inducendos egerit, in can. vero 572. ne talis quidem connotatio inveniri potest.

simoniae committunt in officiis, beneficiis et dignitatibus ecclesiasticis (can. 2392.) et in promotione ad ordines (can. 2371.). Etiam praescriptum ingrediendi monasterium arctioris regulae[1]) per Codicem sublatum est. c) Item professio irrita non redditur ob reticentiam alicujus impedimenti, quod nec de jure communi nec de jure particulari ejus religionis professionem invalidat, etsi impedimentum tale sit, ut si ab admittente cognitum fuisset, effecisset ut novitius fuisset exclusus a professione. Sume v. g. religionem nolle suscipere aliquem illegitimum filium. Potest vero sic professus a votis temporariis, quando fraudulenter impedimentum reticuit, a religione dimitti (ad similitudinem can. 647. § 2. Nr. 2.).

Qui autem invalide professionem emisit ob errorem aut metum, dummodo hac de re nihil externe manifestatum fuerit, postea sublato impedimento liberi consensus, eam aut expresse aut tacite ratificare potest (can. 586. § 2.). Atque tacite eam ratihabet, si cognita professionis invaliditate libere in habitu regulari et sub obedientia religiosa perseverat.

91. (44) 5. Sit expressa.

De modo professionis emittendae haec animadverte: 1) Distinguitur professio *expressa* et *tacita*. Haec consistit in actibus professorum propriis, quos exercendo manifestatur voluntas intrandi coetum professorum adeoque suscipiendi eorum obligationes et jura. Ad hosce actus praecipue pertinet assumptio habitus professorum, suffragatio in Capitulo. Quia vero professio contractum bilateralem involvit, necesse est, ut hi actus cum consensu eorum ponantur, qui jure admittendi ad professionem fruuntur, aut horum consensus saltem postea accedat. Expressa vero professio fit recitando formulam professionis vota continentem. Jam 2) antiquioribus temporibus universim professio tacite fieri poterat; neque conc. Tridentinum in hac disciplina quidquam mutavit, nisi quod ob statutam necessitatem integri anni probationis professio tacita fere ex usu evanuit. Quodsi vero postea adhuc acciderit, pro valida habenda erat tam in mulierum quam in virorum regularium coetibus, idque tam sollemnis quam simplex professio. Nisi quod 3) in iis virorum regularium coetibus, pro quibus primitus datae aut ad quos extensae sunt declarationes a s. Congr. super statu Regul. d. 12. Junii 1858. datae, professio sollemnis tacita sublata fuit, quum art. XI. harum declarationum diceretur: „Ad valide emittenda vota sollemnia post simplicia requiritur professio expressa et ideo professio tacita omnino abrogata est“.[2]) Haec nunc de omni religione et

[1]) Cf. cap. De regularibus 25. et cap. Quoniam 40. De simonia (V. 3.).

[2]) Hae declarationes ad instantiam magistri generalis Ordinis Praedicatorum s. Dominici datae, inter quas aliquae inveniuntur, quae

omni professioni valent. 4) Expressa vero professio fit secundum formulam in quocunque religioso coetu praescriptam, atque attendendum est, quid ex particularibus uniuscujusque coetus constitutionibus ad ejus valorem requiratur.[1]) Etsi vero fere universalis mos sit, ut tria cujusvis religionis substantialia vota in formula distincte exhibeantur, id tamen nullatenus requiritur; hinc valet e. g. formula penes Carthusianos usitata: „Promitto conversionem morum meorum secundum regulam.“[2])

6. A legitimo Superiore secundum constitutiones perse vel per alium recipiatur.

Nr. 2. sermo erat de Superiore admittente, nunc de Superiore recipiente professionem, qui tamen ordinarie solet esse unus idemque secundum constitutiones plurimorum religionum. Quo in casu per numerum 6. nihil aliud additur, quam quod Superior admittens, si nolit vel non possit professionem excipere, alium legitime delegare debeat et qui sine tali delegatione ageret, invalide ageret. Neque defectus talis delegationis, cum sit defectus externus, per consensum postea suppleri potest (can. 586. § 1.) sed aut professio coram Superiore vel ejus delegato iteranda aut ad sanctam Sedem pro sanatione recurrendum est. Per se autem nihil impedit, quominus constitutiones religionis pro recipienda professione alium assignent Superiorem quam pro admissione.

92. *Professio religiosa irrita* ob impedimentum externum non convalescit per subsequentes actus, sed opus est, ut a Sede Apostolica sanetur vel denuo cognita nullitate et impedimento sublato, emittatur (can. 586. § 1.). — Si autem irrita fuerit ob consensus defectum mere internum, hoc praestito convalescit, dummodo ex parte religionis consensus non fuerit revocatus (ibidem § 2.). — Si contra

---

prout jacent, ad formam regiminis interni aliorum Ordinum transferri nequeunt, ad multos alios Ordines, extensionem particulariter petentes, extensae sunt. Non tamen invenitur documentum, ex quo pateat, ipsas *omnes* vim universalem habuisse adeoque eos etiam Ordines obligasse, qui extensionem non efflagitarunt.

[1]) Ita v. g. putat Suarez (tract. VII. l. VI. cap. 12. n. 3.) ad valorem sollemnis professionis in Societate Jesu requiri, ut formula ipsius ex scripto legatur, quum in Constit part. V. cap. 3. § 2. l. A. dicatur: „Illud autem essentiale est, ut publice Votum *legatur*, coram iis de Societate et externis qui adfuerint, atque ut tanquam sollemne et emittatur et admittatur.“

[2]) Cf. Piatus Mont. l. c. I. pag. 135.

validitatem professionis religiosae gravia sint argumenta et religiosus renuat ad cautelam sive professionem renovare sive ejusdem sanationem petere, res ad Sedem Apostolicam deferatur (ibidem § 3.).

93. (34) 1) Determinatus *locus pro prima professione* tantum est praescriptus nempe domus novitiatus. Professio vero subsequens sive sollemnis[1] sit, sive simplex perpetua sive mera renovatio professionis temporariae, etiam alibi emitti potest (can. 574. § 1.). — 2) *Tempus professionis* quod attinet, item pro prima professione est finito novitiatus anno, potest autem a Superiore prorogari non tamen ultra 6 menses (can. 571. § 2.)[2]), pro votis perpetuis sive simplicibus sive sollemnibus est triennio post primam professionem, quod tempus etiam prorogari potest non tamen ultra aliud triennium (can. 574. § 2.); si autem aetas ad perpetuam professionem requisita (21. annus completus) longius distat, professio perpetua fit aetate illa impleta. — 3) *Ritus in emittenda professione* quacumque servandus est talis, qualis in constitutionibus praescribitur (can. 576. § 1.). — 4) *De emissa professione* conficiendum est *documentum* subscriptum saltem ab ipso professo et ab eo, coram quo professio emissa est. Documentum illud conservandum est in tabulario religionis. — 5) *Beneficia* paroecialia vacant post annum ab emissa qualibet professione, cetera post triennium (can. 584.). Patet hoc solummodo valere pro eo casu, quod beneficiatus suo beneficio non jam ante ingressum in novitiatum renuntiaverit, qui

---

[1]) (43) Quum juxta constit. Clem. VIII. „Quum ad regularem“ professio sollemnis in novitiatus domo emittenda esset, a qua nimirum juvenes religiosi extrahi non debebant, antequam professionem emisissent, dubium ortum est, ubinam post Const. Pii IX. professio sollemnis esset emittenda in virorum regularium Ordinibus. Porro respondit s. C. super statu Regularium d. 9. Dec. 1859, posse votorum simplicium professos emittere sollemnem professionem in eo conventu vel domo, in qua eo tempore inveniuntur. (Cf. Bizzarri l. c. pag. 857. s.)

[2]) Cf. Conc. Trid. sess. 25. cap. 16.

casus nunc propter necessitatem Episcopum ante ingressum interrogandi non tam facile accidere potest tamen impossibilis non est.

§ 2. De professione temporaria.

94. Can. 574. § 1. postulat, ut in quolibet Ordine tam virorum quam mulierum et in qualibet Congregatione, quae vota perpetua habeat, votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus (excepto solo casu transitus ad aliam religionem) praemittatur professio ad triennium valitura vel ad longius tempus, si aetas ad perpetuam professionem longius distet, nisi constitutiones exigant annuales professiones (can. 574. § 1.). Haec professio temporaria ita est necessaria, ut etiam ad valorem professionis perpetuae requiratur (can. 572. § 2.).

Vota simplicia sed perpetua votis sollemnibus praemittenda primo per institutum Societatis Jesu introducta sunt. Congregationes, in quibus vota dumtaxat simplicia sive perpetua sive temporaria emittuntur, praeformata praesertim sunt a tertiariis variorum Ordinum religiosorum vitam communem profitentibus, quibus ex saeculo 17. aliae Congregationes religiosae virorum et mulierum omnino independentes ab antiquis Ordinibus religiosis accesserunt. Pius IX. vero per litteras encyclicas „Neminem latet" d. 19. Martii 1857. statuit, ut in omnibus Ordinibus virorum novitii peracta legitima probatione emitterent professionem votorum simplicium (perpetuorum), atque si per integrum triennium in illa permanserint, tum demum vota sollemnia nuncuparent.[1]) Haec lex per decretum S. Congr. Ep. et Reg. d. 3. Maii 1902.[2]) ad moniales extensa est. Tandem per Codicis can. 574. id, quod jam antea in aliquibus casibus particularibus[3]) declaratum fuit, in tota Ecclesia introductum est, scil. illa professio in professionem temporariam est immutata simul autem ad omnes religiones a votis perpetuis extensa, ita ut nulla professio perpetua non praemisso triennio professionis temporariae valide emitti possit.[4])

[1]) Cf. etiam Constit. „Ad universalis" d. 7. Febr. 1867. et Wernz, Jus decret. III. 2^2. Nr. 644. p. 321.

[2]) Acta Stae. Sedis XXXV. pag. 31.

[3]) Cf. Aichner, Comp. jur. eccles.[12] pag. 491. nota 13.

[4]) Quoad Societatem Jesu autem Commissio sacrorum Codicis canonum interpretum die 29. Junii 1918. declaravit professioni illi

1) *Admissio* ad primam professionem temporariam fit per Superiorem cum consensu Capituli seu Consilii (can. 575. § 2.); ejus enim votum deliberativum esse statuitur.

2) *Renovatio votorum* ita est facienda, ut elapso tempore, ad quod vota sunt nuncupata, nulla interponatur mora (can. 577. § 1.). Illo tempore enim in religioso jam non esset obligatio ex voto antea emisso ideoque desineret revera esse religiosus, quod certe non est in mente Ecclesiae. Potius licet Superioribus ex justa causa (non dicitur eam debere esse gravem) permittere, ut renovatio per aliquod tempus non tamen ultra mensem anticipetur. Talis renovatio votorum temporariorum necessaria est in iis religionibus, in quibus annuales professiones exiguntur, vel in casu, quo tempus professionis temporariae triennio elapso prorogatur juxta can. 574. § 2., vel etiam in illis religionibus, ubi per longius tempus solummodo vota temporaria emittuntur. Patet eodem modo vota perpetua sine mora temporariis esse adjungenda.

Ab hac renovatione certe multum differt renovatio votorum perpetuorum, quae solum ad confirmandam obligationem et augendam devotionem saepius iteratur.[1]) Talis quidem renovatio ante Codicis editionem potuit habere vim novae nuncupationis,[2]) si prima nuncupatio propter aliquod impedimentum fuerit invalida, quod nunc non amplius fieri potest, nisi cognita nullitate et impedimento sublato professio iteretur (can. 586. § 1.). Econtra renovatio professionis temporariae, de qua nunc sermo est, novam obligationem pro futuro tempore inducit; prima enim jam exspiravit. Si autem prima nuncupatio invalida fuisset, etiam per hanc susbequentem professionem obligatio nonnisi dictis conditionibus impletis oriretur.

---

triennali, quam canon 574. votis perpetuis praemitti jubet, Societatis sodales non obligari. Ratio hujus decisionis est, quod si illa diuturna nullis certis limitibus circumscripta probatio simul cum potestate dimittendi illos, qui simplicem dumtaxat professionem emiserunt (cfr. infra) deesset, constitutionum veluti fundamenta quaedam commutarentur. Hoc vero legislator, cum nova jura conderet, minime in animo habebat et idcirco se Societatem legibus, quae fundamentis illis adversantur, comprehendere nolle significavit.

[1]) Cf. constit. Soc. Jesu P. 5. c. 4. § 6.

[2]) Sic e. g. in Societate Jesu (cfr. decretum 13. congregationis 12.).

95. 3) *Effectus professionis temporariae*[1]) est imprimis a) *obligatio* ad vota observenda. Actus votis contrarii sunt, ut patet, illiciti non autem invalidi (can. 579.). Quoad bona temporalia professi votorum simplicium conservant proprietatem et capacitatem acquirendi, quidquid autem sua industria aut intuitu religionis acquirunt, religioni acquirunt (can. 580. § 1. et 2.). Quoad cessionem administrationis et dispositionem de fructibus cfr. supra Art. III. pag. 144. Insuper professi a votis temporariis tenentur ad regulas et constitutiones observandas sicut alii professi ideoque tenentur etiam ad chorum, ubi talis est obligatio, non tamen ad privatam divini officii recitationem, nisi sint in sacris constituti aut constitutiones id expresse praescribant (can. 578. Nr. 2.). Cf. hac de re infra Cap. VI. De obligationibus religiosorum. — b) *Jura* eorum quod attinet, fruuntur iisdem indulgentiis, privilegiis et spiritualibus gratiis, quibus gaudent professi a votis perpetuis, et si morte praeveniantur, habent jus ad eadem suffragia. Ex jure vero communi nondum habent vocem activam et passivam (cfr. supra Nr. 31. pag. 43.); potest tamen eis etiam illa per constitutiones conferri. Si autem in constitutionibus ad fruendum voce activa et passiva tempus aliquod a professione praescribitur, illud a prima professione est computandum[2]), nisi constitutiones etiam hac de re determinatas dispositiones contineant.

4) Professus a votis temporariis, expleto votorum tempore libere potest religionem deserere; pariter religio ob justas ac rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere (can. 637.) imo religiosus exacto professionis temporariae tempore debet aut emittere professionem perpetuam aut redire ad saeculum (can. 575. § 1.) ideoque non est in ejus potestate forte prolongare tempus profes-

[1]) Ferreres, Inst. can. I. pag. 347.

[2]) Cf. declar. VIII. inter declar. s. C. super statu Reg. d. 12. Junii 1858.; decl. I. dat. 7. Febr. 1862. (Bizzarri l. c. pag. 861.) et can. 578. Nr. 3.

sionis temporariae, nisi hoc fiat a Superiore.[1]) Potest vero a Superiore religioso cum consensu Capituli seu Consilii etiam durante tempore professionis temporariae dimitti, dummodo adsit gravis causa (can. 575. § 1. coll. can. 647.). Per dimmissionem liberatur dimmissus omnino ab obligatione votorum, etiamsi tempus professionis nondum exspiraverit[2]) (can. 648.). Professus vero sine justa causa

---

[1]) (42) In Ordinibus virorum regularium post Const. Pii IX. „Ad universalis" d. 7. Febr. 1862 ad valorem sollemnis professionis requirebatur, ut integrum triennium a momento ad momentum computandum simplicium votorum praecessisset; in quibusdam vero institutis etiam longius tempus ex particulari indulto aut Ordinis constitutionibus requiritur. Potuerunt etiam ex justis causis Superiores sollemnem professionem differre, non tamen ultra aetatem 25 annorum completorum. Hujus rei ratio affertur in causa agitata coram s. Congr. super statu Regularium die 16. Aug. 1866. (Bizzarri l. c. pag. 866) his verbis: „Si quis in novitiatu et infra triennium votorum simplicium vocationis signa non dederit, *licet jam ad maturam aetatem pervenerit*, spes rationabiliter effulgere non potest, ut deinde illa praebeat."

[2]) Quaeri potest, qua ratione fiat liberatio a votorum obligatione in professo dimisso, utrum per modum cessationis an per modum dispensationis. Quaestio specietenus mere theoretica est; at reapse ex diversa solutione diversi sequuntur effectus practici. Si enim votorum obligatio vi dimissionis factae cessat, hoc inde oritur, quod profitens pro eo tempore vel sub ea conditione implicita votis se obligaverit, quod a religione non dimittitur. Unusquisque profitens eo quod ultra jus ecclesiasticum se nolit obligare, hanc intentionem ordinarie habet recteque praesumitur habere. Sed quid si habet intentionem omnino absolutam triplici voto religioso se obligandi? Dicendum esset, vota sic facta per dimissionem non cessare adeoque professum adhuc ad vota ligari, sicut etiam votorum sollemnium professus a votorum obligatione ante Codicem non liberatus erat, etsi saecularizatus esset aut ex Ordine suo expulsus. Quando vero liberatio a votorum obligatione per modum dispensationis fieri dicitur, etiam is, qui absolute vovit, a votorum obligatione liber evadit. Minores igitur practicas difficultates hic alter explicandi modus generat; at ex eo sane deduci nequit ipsum veritati propius accedere quam priorem modum. At notandum adhuc est, contra alterum explicandi modum opponi non posse, quod Superioribus regularibus facultas non competat in votis religiosis dispensandi, ut supra diximus. Etenim Superiores *directe* super vota dispensare nequeunt; cum eo autem non pugnat, quod directe rescindant contractum

dimissus non tantum de laesione caritatis, sicuti novitius absque rationabili causa dimissus, sed etiam de laesione justitiae conqueri potest. Neque dubitari potest, quin ex injusta dimissione, si cum formali peccato fit, sequantur omnes effectus quoad restitutionem etc., qui ex omni justitiae laesione oriuntur. Ad dimissionem autem non requiritur processus aut alius apparatus juridicus sed sufficit simplex cognitio veritatis.

5) Professionem temporariam in illis religionibus, quae in professione perpetua *quartum votum* addunt, complecti debere etiam hoc quartum votum tamquam simplex et temporarium non quidem expresse praescribitur sed nec ullatenus per can. 574. excluditur, imo decreto „Neminem latet" magis conforme videtur[1]). Quoad *titulum ordinationis* professi votorum temporariorum reguntur jure saecularium nec possunt titulo paupertatis neque mensae communis ordinari (can. 982.); in Congregationibus non exemptis litteras dimissorias accipiunt ab Episcopo sicut saeculares (can. 964. Nr. 4.); ii autem, qui sec. can. 574. in religione exempta vota triennalia emiserunt, ad sacros ordines promoveri non possunt; Superiores enim ipsis nonnisi ad tonsuram et ordines minores litteras dimissorias concedere possunt (can. 964. Nr. 3.) absque talibus litteris autem ordinari nequeunt (can. 964. Nr. 2.).

---

cum professo votorum simplicium initum, et indirecte dispensent in votis religiosis. Imo hic secundus modus rem declarandi videtur melius cum Codice concordare, qui vota pro omni casu soluta declarat.

[1]) Hinc e. g. in Ordine s. Joannis de Deo professio simplex complectitur etiam quartum votum hospitalitatis i. e. inserviendi perpetuo infirmis miseris, quod idem votum in sollemni professione tamquam sollemne emittitur; cf. Constitut. Ordinis pag. 19. — In Soc. Jesu professioni simplici trium votorum religionis substantialium adjicitur quartum votum de ingrediendo definitive Societatem acceptandoque „gradum professorum (sollemniter) vel coadjutorum formatorum, prout Praeposito ad majus Dei obsequium fore videbitur"; cf. congreg. V. decret. 5.

6) In casu suppressionis alicujus conventus per saecularem potestatem factae professio temporaria non cessat, sed eadem ratione ut in sollemniter professis omni meliori modo providendum est, ut aut alibi vitam religiosam communem continuare possint, aut s. Sedes pro transitu ad alium Ordinem aut dispensatione in votis adeunda est; quodsi causa subest, Superiores professum votorum temporariorum dimittere etiam possunt.

§ 3. De professione perpetua.

96. *De professione perpetua in genere* dicendum est: 1) ad ejus valorem requiri praeter illa, quae de omni professione jam diximus, insuper, ut praecesserit professio simplex temporaria ad normam can. 574., de qua nunc jam locuti sumus. — 2) Per professionem perpetuam amittitur ipso jure propria dioecesis. — 3) Professio perpetua dividitur in *sollemnem* et *simplicem*, de quibus nunc erit agendum.

A. De professione sollemni.

97. (37) Prae omnibus hic inquirendum est, in quo consistat *formale* discrimen inter professionem sollemnem et professionem simplicem, sive inter vota religiosa sollemnia et vota religiosa simplicia. Dixi: in quo consistat *formale* discrimen; etenim de diversis effectibus voti sollemnis et voti simplicis non habetur controversia, ipsosque in cap. VI. de obligationibus religiosorum singillatim recensebimus. Hic sufficiat animadvertere simplicem professionem, temporaria sit vel perpetua, reddere actus votis contrarios illicitos sed non invalidos, nisi hoc expresse cautum fuerit; professionem sollemnem autem, si sint irritabiles, illos reddere etiam invalidos (can. 579.).

Antequam vero ad quaestionem de formali discrimine transeamus, haec pauca animadverte: 1) Primis Ecclesiae temporibus vota omnia religiosa saltem eo sensu erant simplicia, quatenus illi effectus juridici, qui nunc cum votis sollemnibus coujuncti sunt quibusque simplicia vota religiosa carent, omnino ignorabantur nullisque religiosis

votis erant alligati. Hoc potissimum quoad votum castitatis religiosum constat, quia prioribus Ecclesiae saeculis haud impedimentum dirimens matrimonii constituebat'[1]) Inde a saeculo 4. auctores quoad virgines velatas dubitant.[2]) Tempore vero posteriori, incipiendo saltem a saec. 12. usque ad saec. 16. non cognoscebantur vota religiosa nisi sollemnia. Saec. autem 16. per approbationem constitutionum Societatis Jesu s. Sedes iterum resuscitavit vota religiosa simplicia, quae in dicto Ordine praemittenda sunt professioni sollemni, imo quibus solis etiam coadjutores formati sive spirituales sive temporales in Societate ligantur. 2) Sollemnitas votis non inest de jure naturae nec de jure divino sed de jure ecclesiastico tantum, ut constat ex declaratione Bonifatii VIII.[3]) et can. 1308. § 2.[4]). Hinc non potest sollemnitas oriri ex ipsa voti natura, quum omne id, quod voto ex natura sua inest, ex naturali jure habeatur, sed debet esse aliquid quod voto superadditur ab Ecclesia. Inde autem non sequitur hanc acceptationem ex parte Ecclesiae constituere rationem formalem votorum sollemnium, ut putat Victor de Buck et, ut videtur, etiam Nilles.[5])

(38) Jam de formali ratione sollemnitatis votorum variae sunt sententiae. Prima est s. Thomae, reponentis eam in aliqua spirituali benedictione vel consecratione seu in ritu sacro adhiberi solito in professione religiosa et susceptione subdiaconatus. Notandum scil. est, s. Thomae temporibus aeque ac nunc non haberi vota sollemnia nisi votum castitatis in acceptione Ordinis subdiaconatus emissum, et vota religiosa in sollemni professione edita. Vota simplicia autem non fuerunt nisi privata. Jamvero in recipiendo subdiaconatu multi adhibentur ritus sacri exprimentes subdiaconum dedicari servitio altaris; atque in professione sollemni religiosa item varii adhiberi solent ritus religiosi ac sacri eandem dedicationem exprimentes. Hinc in eam descendit s. Thomas opinionem, quod voti sollemnitas in eo ritu consistat, atque rationes affert, cur in his tantum votis, non vero in aliis sollemnitas externa adhibeatur.[6]) Attamen s. Thomae

---

[1]) Cf. Pontius, De matrimonio l. VI. cap. 13. ss.

[2]) Cf. Palmieri, Tract. de matrimonio christ. p. 238; Wernz, Jus decret. IV. 2^2. p. 191. ss. Nr. 377.

[3]) „Nos attendentes, quod voti sollemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa" etc. cap. „Quod votum" unic. De voto in 6. (III. 15.).

[4]) Can. 1308. § 1. Votum est . . . § 2. *sollemne*, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum; secus *simplex*.

[5]) Zeitschrift für kath. Theologie X. (1886) p. 245. ss.; cf. etiam idem folium periodicum XIII. (1889) p. 270. ss. praesertim p. 293. ss.

[6]) „Unicuique rei sollemnitas adhibetur secundum illius rei conditionem; sicut alia est sollemnitas novae militiae, scilicet in quodam

sententia certo rejicienda est. Hoc ex eo maxime patet, quod illa vota religiosa habentur sollemnia, in quibus talis exterior ritus consecrationem aut benedictionem personae ejusque dedicationem ad servitium divinum exprimens nullus fit. Talia sunt vota sollemnia in Societate Jesu emissa.

(39) Altera sententia sollemnitatem votorum reponit in traditione sui ad Ordinem religiosum et Deum facta et acceptatione hujus traditionis per Ordinem religiosum.[1]) Auctores hanc sententiam tenentes intelligere rem sic videntur, ut vota simplicia in quocunque instituto religioso emissa soli Deo fiant et a nemine acceptentur, e contra sollemnia vota per Superiores regulares acceptentur nomine Dei. At huic sententiae obstat, quod etiam per simplicia vota professus se tradit servitio divino in religiosa familia, et traditio acceptatur a familia religiosa.[2]) Imo contractus intercedens inter profitentem vota simplicia

---

apparatu equorum et armorum et concursu militum; et alia sollemnitas nuptiarum, quae consistit in apparatu sponsi et sponsae et conventu propinquorum. Votum autem est promissio Deo facta; unde sollemnitas voti attenditur secundum aliquid spirituale vel speciale, quod ad Deum pertineat, id est, secundum aliquam spiritualem benedictionem vel consecrationem, quae ex institutione apostolorum adhibetur in professione certae regulae . . . . Et hujus ratio est, quia sollemnitates non consueverunt adhiberi nisi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei. Non enim sollemnitas nuptialis adhibetur nisi in celebratione matrimonii, quando uterque conjugum sui corporis potestatem alteri tradit. Et similiter voti sollemnitas adhibetur, quando aliquis per susceptionem sacri ordinis divino ministerio applicatur; et in professione certae regulae, quando per abrenuntiationem saeculi et propriae voluntatis aliquis statum perfectionis assumit." Summa theol. 2. 2. q. 88. art. 7. Ex hisce verbis nullatenus quidem concludi potest, s. Doctorem sollemnitatem votorum formaliter in ritibus et ceremoniis externis ut talibus collocare; at neque ex altera parte dici potest, eum sub sollemnitate intelligere ipsum effectum rituum et caeremoniarum, qui in dedicatione et mancipatione ad servitium divinum consistit. Omnia potius suadent, ipsum pro sollemnibus votis ea habere, quae emittuntur cum certis ritibus liturgicis perpetuam mancipationem ad servitium divinum significantibus et efficientibus, eadem ratione atque per externos ritus et preces res inanimatae e. g. vestes sacrae etc. ad servitium divinum dedicantur.

[1]) Cf. auctores citatos apud Suarez tract. VII. l. II. exp. 7. n. 2.

[2]) Cf. Greg. XIII. constit. Ascendente Domino (supra pag. 9. not. 1.); Institutum Soc. Jesu congreg. IX. decr. 39. n. 5., ubi verissime ex eo quod Scholastici Soc. Jesu per simplicem professionem incorporari dicuntur Societati, deducitur simplicem professionem admitti a Societate. Continet igitur simplex professio et traditionem et admissionem.

et familiam religiosam non ad unilaterales sed ad bilaterales aut synallagmaticos pertinet. Nam vi professionis simplicis familia religiosa jura acquirit in profitentem, et profitens vicissim acquirit veri nominis jura in familia religiosa. Hinc necessario in professione simplici habetur non tantum acceptatio ejus per Superiores coetus religiosi facta, sed etiam quaedam obligatio coetus religiosi erga profitentem. Proinde formalis ratio sollemnitatis votorum sita esse nequit in traditione sui ad coetum religiosum facta, neque in synallagmatico contractu intercedente inter profitentem et coetum religiosum.

(40) Tertia sententia, quae potissimum Suarezii est, sollemnitatem consistere docet in effectibus, quos jus ecclesiasticum certis votis addidit, adeo ut ea vota dicantur sollemnia, quae hos effectus producunt, ea simplicia, quae eos non producunt.[1]) Sollemnia enim vota gignunt in eo, qui ipsa emittit, inhabilitatem voti materiae respondentem, quam inhabilitatem simplicia vota nullatenus gignunt. Sic sollemne paupertatis votum efficit professum inhabilem ad acquirenda aut possidenda temporalia bona; votum sollemne castitatis eum inhabilem reddit ad contractum matrimonialem ineundum; votum sollemne obedientiae gignit inhabilitatem ad quoscunque firmos contractus personales ineundos. Putant igitur hujus sententiae auctores, sollemnitatem votorum non tantum causare hos effectus sed formaliter etiam in ipsis consistere. Attamen haec quoque sententia suas habet difficultates. Etenim certum est, exsistere vota sollemnia, absque dictis effectibus.[2]) Proinde, quia nulla res exsistere potest extra suam essentialem formam, sequitur, sollemnitatem voti in iis effectibus formaliter non posse consistere. Sic non obstante sollemni voto paupertatis aliqui religiosi capaces manent ad acquirendum et possidendum temporalia bona.

(41) Quarta sententia, quam multi tenent saeculorum praecedentium canonistae, dicit, sollemnitatem non consistere quidem formaliter in dictis effectibus sollemnium votorum, at hos effectus tamen concurrere ad sollemnitatem constituendam. Eam vero formaliter consistere docent in tali votorum nuncupatione talique traditione sui ad religionem, ut vovens et tradens, accedente consensu Ecclesiae, perpetuo inhabilis reddatur, nisi Ecclesia dispenset ad bona temporalia possidenda, matrimonium et quoscunque contractus ineundos, atque in perpetuum ad Ordinem ligetur, vicissim vero Ordo religiosus professum sic acceptet, ut ad dictos actus inhabilis sit, et nonnisi servata legitima forma ac certis de causis a jure constitutis ipsum dimittere possit.[3]) Atque ad hanc sententiam reducitur etiam Sanchezii sen-

[1]) Cf. Suarez l. c. cap. 10. ss.

[2]) Cf. hac de re Nilles, Zeitschr. f. k. Theol. X. (1886) p. 269. ss.

[3]) Cf. Pirhing De voto et voti remissione n. 6.; Schmalzgruber ib. n. 8.; Reiffenstuel Theol. mor. tract. 6. dist. 3. p. 1. n. 8. s.

tentia, qui eadem ratione de votorum sollemnitate philosophandum esse ait atque de aliorum contractuum e. g. testamenti sollemnitate. Testamenta enim sollemnia ea vocari dicit, quae cum formalitatibus a jure petitis fiunt et ut testamenta acceptantur a competente auctoritate; vota proin sollemnia esse, quae ut talia ab Ecclesia acceptentur et cum debitis ritibus ac formalitatibus fiant. „Quodsi iterum roges, quae sint eae ceremoniae ab Ecclesiae petitae, in quibus ea voti sollemnitas sita est, et quibus a simplici differt, respondent iidem auctores, eas esse ut vota emittantur *sub certa regula a Sede Apostolica approbata*, juxta ritum substantialem in eadem regula praescriptum cum *traditione* et *acceptatione perpetuis* et *via ordinaria indissolubilibus.*" Secundum hanc igitur sententiam sollemnitas votorum formaliter consistit in conjunctione votorum cum traditione sui tali, quae ex utraque parte saltem ordinaria via indissolubilis est et simul profitentem inhabilitat ad certis actibus et contractibus firmiter se obligandum. Quare professio sollemnis a simplici professione in eo differt, quod prior a) contractum adjunctum habet, qui ex Ecclesiae voluntate *irrevocabilis idque ex utraque parte* est, dum posterior seu simplex professio facilius retractari potest; quod dein b) sic se tradens Ecclesiae et servitio divino consentiat in id, ut ab Ecclesia inhabilitetur ad supradictos actus efficiendos.

Atque haec est sollemnitas essentialis votorum seu professionis. Ab ipsa distinguatur oportet sollemnitas accidentalis, quae in certis ritibus ac caeremoniis sacris perpetuam dedicationem ad Ordinem et Ecclesiam ac Deum designantibus ac suo modo, scil. ad modum cujusvis alterius sacramentalis, efficientibus consistit. Hinc patet a) quam recte dixerit Bonifatius VIII., sollemnitatem votorum ab Ecclesiae esse inventam. Etenim contractus ille irrevocabilis dictosque effectus producens est ab Ecclesia inventus et votis adjunctus. Patet b) in quo consistat sollemnitas uniuscujusque voti. Ipsa scilicet non formaliter in effectu consistit, qui ex sollemni voto sequitur, sed consistit in conjunctione cum traditione ex utraque parte irrevocabili et ad certos quosdam actus inhabilitante. Sic e. g. sollemnitas voti paupertatis consistit in eo, quod ad paupertatis votum accedit contractus inter voventem et Ecclesiam, quo vovens consentit in inhabilitatem suam ad possidenda et acquirenda bona temporalia simulque in id, ut via ordinaria nec in voto unquam dispensetur nec a contractu unquam solvatur, Ecclesia vero per religiosum Ordinem eum inhabilitet ipsumque irrevocabiliter tanquam religionis membrum sic inhabilitatum recipiat. Idem de aliis sollemnibus votis valet. c) Inde etiam sequitur, quomodo Ecclesia incolumi manente sollemni paupertatis voto dispensare possit, ut professus bona temporalia acquirere et possidere tum valide tum licite possit. Nimirum qui modo supra dicto se tradidit Ecclesiae et Ordini suo, consensit in id, ut ad acquirendum et possidendum inhabilitetur *pro Ecclesiae arbitrio*; atque in contractu sic concepto sollem-

nitas voti paupertatis consistit. Proinde si a summo Pontifice professus habilis redditur ad acquirendum et possidendum, sollemnitas a voto paupertatis non aufertur, quum per dictae habilitatis restitutionem nihil contra contractum fiat. Tandem d) patet, in quo sollemnitas voti castitatis consistat, quod in receptione ordinis subdiaconatus implicite emittitur. Scil. consistit in eo, quod recipiens talem ordinem sic se tradat Ecclesiae, ut simul consentiat in inhabilitationem personae suae ad matrimonium ineundum. Per legislationem novissimam differentia inter vota sollemnia et simplicia quoad firmitatem vinculi inter professum et religionem saltem in religionibus clericalibus exemptis in tantum sublata est, in quantum eadem forma processus in dimissione professorum servari debet, sive vota sollemnia sive simplicia[1]) emiserint (cf. Codicis Caput III. Tituli XVI.), et etiam quatenus eodem modo per indultum saecularizationis vota solvuntur (cf. can. 640. Nr. 2). Attamen quoad facilitatem vel difficultatem in concessione talis indulti in lege quidem nulla differentia statuitur, nescitur autem quommodo Sta. Sedes hac in re processura sit. Quapropter haec firmitatis nota in notione professionis sollemnis aut omnino eliminanda aut saltem modificanda erit.

98. 1) Si quis professionem sollemnem emiserit, hoc in libro baptizatorum a parocho baptismi adnotandum est, eaque adnotatio in documentum accepti baptismatis semper referri debet (can. 470. § 2.). Eum in finem Superior professionem sollemnem excipiens debet profitentis parochum baptismi de eadem certiorem reddere (can. 576. § 2.). Haec obligatio secundum verba canonis incumbit ipsi Superiori non autem ejus delegato, si eam juxta can. 572. Nr. 6. per alium exceperit. Non autem videtur prohibitum, quominus etiam hoc per delegatum fieri possit, dummodo Superiori de facta certioratione constiterit. — 2) Post sollemnem professionem, salvis peculiaribus Apostolicae Sedis indultis, omnia bona, quae quovis modo obveniunt regulari, 1. in Ordine capaci ad possidendum cedunt Ordini vel provinciae vel domui secundum constitutiones; 2. in Ordine incapaci acquiruntur Stae. Sedi in proprietatem (can. 582.). — 3) Ideo professus a votis simplicibus intra 60 dies ante professionem sollemnem (antea nequit

[1]) Excipiuntur vota simplicia in Societate Jesu emissa, ubi eadem valent sicut antea (Declaratio s. Cod. can. interpr. d. 29. Junii 1918.)

valide), salvis peculiaribus indultis a Sta. Sede concessis, debet omnibus bonis, quae actu habet, cui maluerit, sub conditione secuturae professionis renuntiare (can. 581. § 1.), sicut jam antea diximus (cf. can. 569.). Haec renuntiatio utpote conditionata, si professio sollemnis non sequatur, ut patet, effectum non sortitur, quare in foro civili ea, quae requiruntur, ut renuntiatio etiam jure civili effectum consequatur, nonnisi immediate post professionem sunt facienda; in foro enim civili renuntiatio absolute fieri debet, quia jus civile saepe non agnoscit effectus professionis vel non eodem modo ac jus ecclesisticum, proinde ibi melius est conditionem non apponere (cf. can. 581. § 2.). Facta autem hac declaratione professus votorum sollemnium etiam jure civili nihil amplius possidet, quod Ecclesia desiderat, nisi propter leges religiosis nocivas (e. g. quia non agnoscunt jus acquirendi religionis loco religiosi ut e. g. in Gallia et in Belgio et partim etiam in Austria) specialia indulta data sint. — 4) Testamentum condere professus votorum sollemnium non potest, nisi ex speciali indulto Stae. Sedis exceptio quoad capacitatem possidendi bona temporalia statuta sit.

B. De professione simplici perpetua.

99. De professione simplici perpetua praeter ea, quae de professione in genere et de professione perpetua in specie jam diximus, non multa sunt addenda. In oppositione ad professos votorum sollemnium etiam professus a votis simplicibus perpetuis conservat proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi, attamen quidquid industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit (can. 580. §§ 1. et 2.). Ideo ipse non proprio labore sed utique haeriditate vel dono vel etiam ex administratione bonorum suorum nova bona acquirere potest, ipsi autem non licet ea administrare vel alio modo de illis disponere; ideo, ut jam antea (Art. III. Nr. 86. pag. 144. s.)

diximus, ante professionem administrationem cedere et de usu et usufructu disponere, insuper et testamentum condere debet (can. 569.). Si autem antea bona temporalia non habuerit et illa postea obvenerint, non obstante professione etiam postea illam cessionem facere potest et debet. Mutare autem dispositionem jam factam proprio arbitrio non potest, nisi constitutiones hoc sinant; potest autem de supremi Moderatoris licentia (can. 580.). — Professis autem a votis simplicibus in Congregationibus religiosis (quales plerumque sunt professi a votis simplicibus perpetuis)[1]) non licet, nisi ~~sub conditionibus antea jam notatis~~, 1. per actum inter vivos dominium bonorum suorum titulo gratioso abdicare (can. 583. § 1.). — 2. testamentum conditum ad normam canonis 569. § 3. mutare.

100. (45) Quae antea disputata sunt de quaestione, num professi votorum simplicium perpetuorum sint veri regulares, nunc per Codicem sunt omnino clare soluta, scil. illi, qui vota simplicia nuncuparunt in Ordine regulari, sunt regulares, qui vero in aliqua Congregatione religiosa, non sunt regulares (cf. can. 488. Nr. 7.). Hanc sententiam jam antea a Sede Apostolica acceptatam fuisse ex eo patet, quod Gregorius XIII. in Constitutione „Ascendente Domino“ d. 25. Maii 1584.[2]) declaravit illos, qui in Societate Jesu vota simplicia sive coadjutorum formatorum sive scholasticorum emiserint aut in futurum emittent, „vere et proprie regulares fuisse et esse et fore“, econtra s. Congr. Episc. et Reg. ad dubium: An et quommodo conveniat declarare, quod Congregatio presbyterorum ss. Redemptoris fruatur nomine vere regularis, et an saltem in casu ejusmodi nomen gratiae titulo ei sit concedendum, responderit: „Ad primam partem non esse vere regularem; ad secundam partem non expedire“.

De professione religiosorum, qui ad militiam vocati sunt, vide infra Cap. VI. Art. IV. Nr. 130.

[1]) Aliter in Societate Jesu, ut patet ex antea dictis.

[2]) Bull. Rom. ed. Luxemb. tom. II. pag. 508.

Caput V.

Codicis Titulus XII. (cf. Libri III. Tit. VI.).

De ratione studiorum in religionibus clericalibus

(can. 587.—591.)

et

De ordinatione religiosorum

(cf. can. 948.—1011.).

101. Imprimis notandum est, hoc capite non tractandum esse de studiis quibuscunque, quibus sodales alicujus religionis incumbunt, ut e. g. in aliquo gymnasio vel schola linguam graecam vel latinam aliaque docere aut ludimagistros agere possint, sed agi de studiis, quae in religione clericali eo fine instituuntur, ut religiosi professi illis peractis ad ordines usque ad presbyteratum promoveantur. Pro illis studiosis itaque postulatur, ut quaelibet religio habeat studiorum sedes a Capitulo generali vel a Superioribus approbatas (can. 587. § 1.). In tali studiorum domo 1. collocandi sunt nonnisi religiosi, qui sint ad exemplum quoad studium regularis observantiae (can. 554. § 3.) et 2. vigere debet perfecta vita communis. Quoad 2. additur, hoc tamquam conditionem requiri, ut studentes ad ordines promoveri possint (can. 587. § 2).

Toto studiorum curriculo religiosi committendi sunt speciali curae Praefecti seu Magistri spiritus, qui iisdem qualitatibus praeditus esse debet ac Magister novitiorum (cfr. supra Cap. IV. Art. 5. Nr. 82. pag. 137.). Ille eorum animos ad vitam religiosam opportunis monitis, instructionibus atque exhortationibus informare debet (can. 588. §§ 1. et 2.). Superiorum vero est invigilare, ut ea, quae de annualibus exercitiis, de auditione Sacri, de oratione mentali, de confessione hebdomadali et de frequenti vel quotidiana communione sacramentali pro omnibus religiosis ordinata sunt, in studiorum domo perfectissime observentur

(can. 588. § 3. coll. can. 595.). Cf. hac de re infra Cap. VI. de obligationibus religiosorum.

102. Quoad studia ipsa dicit can. 589. § 1.: „Religiosi in inferioribus disciplinis rite instructi, in philosophiae studia saltem per biennium et sacrae theologiae saltem per quadriennium doctrinae D. Thomae inhaerentes ad normam can. 1366. § 2. diligenter incumbant, secundum instructiones Apostolicae Sedis". Citata vero § 2. canonis 1366. sic dicit: „Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia eaque sancte teneant".

Usque ad tempora Leonis XIII. ratio studiorum in diversis religionibus nulla lege generali stabilita erat sed constitutionibus singularum religionum determinanda relinquebatur, si perpauca, quae a concilio Tridentino et a Clemente VIII. statuta fuerunt, excipias. Leo vero XIII. decreto „Auctis admodum" d. 4. Novembris 1893. plura pro studiis religiosorum in religionibus clericalibus praescripsit et articulo VI. ejusdem decreti statuit: „Professi tum votorum sollemnium tum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros ordines non admittantur, nisi praeter alia a jure statuta testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum saltem per triennium praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo."[1])

Huic decreto sub Pontificatu Pii X. S. Congr. de Religiosis die 7. Septembris 1909.[2]) varias declarationes addidit, quibus edicitur 1) annos illos debere esse completos annos scholares in scholis rite ordinatis neque abbreviatos omissis forte vacationibus vel auctis lectionibus. — 2) His tamen suppositis posse alumnos etiam ante vacationes autumnales ideoque ultimo anno incompleto ordinari. — 3) Teneri tamen omnes studentes ideoque etiam sacerdotes ordinatos per quartum annum theologicis studiis in scholis incumbere, et hoc per eandem S. Congregationem d. 31. Maii 1910.[3]) ita declaratum est, ut totum studium theologicum computatis vacationibus trium priorum annorum 45 menses integros complecti debeat. — 4) Quoad studia illa, quae studio theologico praemitti debeant, declaravit decretum prius citatum

[1]) Acta Stae. Sedis, XXV. pag. 312.
[2]) Acta Apost. Sedis, I. (1909.) pag. 701. ss.
[3]) Acta Apost. Sedis, II. (1910.) pag. 449.

praemittenda esse tum philosophica seu lycealia, tum litterarum humaniorum seu gymnasialia studia imo et primaria, quae insuper necessario examine superato claudenda sunt. — 5) Gymnasialia studia peragenda esse ordinarie ante ingressum in novitiatum, posse tamen ex gravi causa ad novitiatum admitti, qui annum quartum gymnasialem rite expleverit, dummodo immediate post novitiatum integrum curriculum omnium studiorum humaniorum in scholis domesticis vel aliis rite ordinatis compleat et finale periculum superet (in aliis casibus recurrendum esse ad Stam. Sedem). — 6) Studia illa, ut habeant valorem legalem, ut licite dari et acceptari possint litterae testimoniales, peragenda esse publice in scholis rite ordinatis. In casibus tamen extraordinariis, qui respiciunt particularem aliquem alumnum tantum, qui diligenter studiis incubuit et in periculo seu examine idoneus inventus fuerit, recurrendum esse ad S. Congregationem pro convalidatione, exhibita jurata fide examinatorum et de tempore transacto in studio privatim peracto et de bene superato periculo; nisi res sit non de omnibus disciplinis unius anni scholaris sed de una tantum vel altera disciplina accessoria gravi de causa a particulari aliquo alumno privatim exculta; tunc enim, praehabita jurata fide examinatorum ut supra, convalidatio dari poterit a Superiore generali accedente voto deliberativo sui Consilii. — 7) Ad valorem illorum studiorum (praeter primaria) requiri, ut in unaquaque schola tradentur etiam disciplinae accessoriae juxta normam in bene ordinatis Seminariis regionis vigentem et saltem in substantialibus servandam. — 8) Superiores in litteris testimonialibus expressis verbis sequentia declarare debere et testari: 1. quoad curriculum theologicum candidatum a tali anno, mense et die ad talem usque annum, mensem et diem et in tali schola studiis theologicis ad sacrum ordinem, ad quem praesentatur, necessariis rite incubuisse et in finali periculo seu examine idoneum inventum fuisse; 2. quoad inferiora studia eidem curriculo praemittenda: a) eundem candidatum rite peractis primariae institutionis studiis humaniorum litterarum studia in tali schola et per tot annos academicos seu scholares ex integro explevisse bene superato finali periculo; b) praefatum candidatum recte expletis humaniorum litterarum studiis philosophicum curriculum ex integro in tali schola et per tot annos academicos seu scholares complevisse et finale periculum auspicato superavisse.

Die 31. Maii 1910. S. Congr. de Religiosis praeter ea, quae jam proposuimus etiam declaravit omnia supra enumerata valere ubique terrarum in omnibus religionibus et insuper in illis societatibus, in quibus nulla emittuntur vota sed simplex tantum promissio perseverantiae.

Nunc autem inquirendum est, num ea omnia etiam post editionem Codicis locum habeant vel per novum jus abrogata sint. „Codex vigentem huc usque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas

immutationes afferat. Itaque . . . 4. In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri jure discrepet, a veteri jure non est recedendum. . . . 6. Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus (scil. praeter poenales), quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineantur, ea vim omnem amisisse dicenda est." Sic can. 6. Canon vero 589. praeceptum biennii philosophici et quadriennii theologici renovat adjungens illa a religiosis in inferioribus disciplinis rite instructis esse peragenda. Si proinde quaestio dirimenda est, quommodo biennium philosophicum et quadriennium theologicum computandum sit, nullum dubium esse potest, quin hoc juxta declarationem S. Congr. de Religiosis supracitatam sit faciendum. Idem valet de inferioribus disciplinis; nam verba „rite instructis" de nulla alia determinatione ecclesiastica intelligi possunt. Attamen can. 976. pro singulis ordinibus sacris recipiendis plura adhuc studia requirit quam ipsum decretum citatum et ratio studiorum pro Seminariis in can. 1364. pro studiis inferioribus, in can. 1365. pro philosophia et theologia materiam magis determinat, quae in scholis tractanda sit.

Itaque 1. prima tonsura illis tantum conferenda est, qui propositum habeant ascendendi ad presbyteratum (can. 973. § 1.) et quidem non ante inceptum cursum theologicum (can. 976. § 1.). — 2. Supposita aetate pro singulis ordinibus majoribus jam impleta (scil. 21. anno completo pro subdiaconatu, 22. anno completo pro diaconatu, 24. anno completo pro presbyteratu, prout in can. 975. praescribitur) conferendus est subdiaconatus nonnisi exeunte 3. cursus theologici anno, diaconatus incepto 4., presbyteratus post medietatem ejusdem 4. anni (ibidem § 2.). — 3. Studia vero theologica peracta esse debent non privatim sed in scholis institutis ad normam can. 1365. — 4. Ibi autem postulatur, ut praeter theologiam dogmaticam et moralem doceatur etiam sacra Scriptura, jus canonicum, liturgia, sacra eloquentia et cantus ecclesiasticus (can. 1365. § 2.). — 5. Curandum est, ut saltem sacrae Scripturae, theologiae dogmaticae, theologiae moralis et historiae ecclesiasticae totidem habeantur distincti magistri (can. 1366. § 3.), qui si laurea doctorali potiti sint in Universitate studiorum vel Facultate a Sancta Sede recognita, aliis praeferendi sunt. Iis aequiparantur religiosi, qui simile testimonium receperunt a suis Superioribus majori-

bus (can. 1366. § 1.). — 6. Quoad studia philosophica et theologica inhaerendum est doctrinae D. Thomae et professores eas disciplinas tractare debent secundum ejusdem doctrinam et principia juxta instructiones Apostolicae Sedis (cann. 589. § 1. et 1366. § 2.). Instructiones vero Apostolicae Sedis praesertim habentur in encyclica „Aeterni Patris" Leonis XIII. et in illis, quae singulis religionibus datae sunt ab eadem Sta. Sede.

Pro studiis vero inferioribus praescribit can. 1364 : „1. Praecipuum locum obtineat religionis disciplina, quae modo singulorum ingenio et aetati accomodato diligentissime explicetur; — 2. Linguas praesertim latinam et patriam alumni accurate addiscant; — 3. Ea in ceteris disciplinis institutio tradatur, quae conveniat communi omnium culturae et statui clericorum in regione, ubi alumni sacrum ministerium exercere debent." Pro nostris regionibus quoad tertium videtur iterum recurrendum ad declarationem S. Congregationis d. 7. Septembris 1909.

Studiorum tempore 1. magistris et alumnis officia, quae a studio eos avocent vel scholam quoquo modo impediant, non sunt imponenda. — 2. datur supremis Moderatoribus facultas generalis, aliis autem Superioribus religiosis in particularibus casibus, eos a nonnullis communitatis actibus etiam a choro praesertim nocturnis horis eximendi, quoties id studiis excolendis necessarium videatur (can. 589.).

103. Ex natura rei § 1. can. 587. dirigitur primario ad religiones, quae regimen hierarchicum habent. Impossibile est enim, ut omnia et singula monasteria sui juris scholis ita sint instructa, ut omnia studia philosophica et theologica in illis ab eorum alumnis peragi possint, cum hoc jam quandoque in minoribus religionum provinciis sit difficile. Hoc idem sequitur ex can. 554. § 3.; nam solummodo Superiores religionum regiminis hierarchici possunt religiosos in diversis domibus collocare, prout ipsis bonum videtur. Econtra in monasteriis sui juris vigere solet stabilitas loci, qua translatio ex una domo in aliam exceptis quibusdam casibus prohibetur. Nihilominus etiam talia monasteria saepe „studia domestica" erexerunt et nunc, praesertim postquam ubique Congregationes monasticae erectae sunt, et hoc modo jam aliquam unionem inter illa monasteria formaverunt,

facilius clerici plurium monasteriorum ad studia peragenda in unum collegi possunt. Hoc modo jam adimpletur, quod statim dicendum est de illis religionibus vel provinciis, quae speciales studiorum domos erigere non possunt.

Dicit enim can. 587. § 3.: „Si religio aut provincia domos rite instructas habere nequeat, aut si quas habet, adire Superiorum judicio difficile sit, religiosi alumni mittantur vel ad recte ordinatam studiorum sedem alius provinciae aut religionis vel ad scholas Seminarii episcopalis vel ad publicum catholicum athenaeum."

Pro tali casu inculcat denuo § 4. ejusdem canonis, quae jam praescripserat concilium Tridentinum[1]): „Religiosis, qui studiorum causa longe a propria domo mittuntur non licet in privatis domibus habitare, sed opus est, ut in aliquam suae religionis domum se recipiant vel, si id fieri non possit, apud religiosum aliquod institutum virorum vel Seminarium aliamve piam domum, cui sacri ordinis viri praesint, quaeque ab ecclesiastica auctoritate approbata sit".

104. (135) Inter studia theologica alumnis religiosis in religionibus clericalibus ordines conferri solent, quapropter hoc loco etiam de ordinatione religiosorum aliqua statim addere licebit. — 1) Imprimis Abbas regularis de regimine (etsi sine territorio nullius), dummodo sit sacerdos et benedictionem abbatialem receperit, suis subditis professis (etiam votorum simplicium non autem novitiis) conferre potest primam tonsuram et ordines minores. Quoad ordines vero majores revocantur omnia privilegia forte concessa, ita ut ordinatio ne valide quidem fieri possit,[2]) nisi ordinans charactere episcopali polleat (can. 964. § 1.). — 2) Omnes

[1]) Conc. Tridentinum sess. XXV. cap. 4. de regularibus: „Illi autem, qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent, alioquin ab Ordinariis (scil. Episcopis, quos solos Conc. Trid, Ordinarios vocat) contra eos procedatur.

[2]) De lite quoad privilegium Abbatibus S. Ord. Cist. concessum conferendi ordinem diaconatus vide apud Wernz, Jus decret. II. 1^2. pag. 59., nota 29. Nr. marg. 27. Privilegium vero conferendi ordinem subdiaconatus, quo ante concilium Tridentinum complures Abbates gau-

alii Superiores religiosi debent suos subditos ordinandos mittere ad Episcopum. Ad hunc finem Superior major *litteras dimmissorias* dare debet, sine quibus nemo eos licite ordinare potest, si agatur de religiosis exemptis (can. 964. § 2.). Abbas nullius etiam saecularibus tales litteras concedere potest, licet non sit Episcopus. Religiosi vero non exempti vel, qui non emittunt vota perpetua vel ii, qui in societate vivunt sine votis, etiamsi sint exempti, quoad ordinationem reguntur eodem jure sicut saeculares. Numquam vero licet Superioribus religiosis professis a votis temporariis concedere dimmissorias ad ordines majores[1]) (can. 964. §§ 3. 4.). — 3) Episcopus, ad quem Superior religiosus litteras dimmissorias dirigere debet, est Episcopus dioecesis, in qua sita est domus religiosa, ad cujus familiam pertinet ordinandus[2]) (can. 695.), nisi Episcopus dioecesanus a) licentiam dederit aut b) sit diversi ritus aut c) sit absens aut d) non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore vel denique e) dioecesis vacet nec eam regat, qui charactere episcopali polleat. Hoc autem Episcopo ordinaturo constare debet ex authentico Curiae episcopalis testimonio (can. 966.). Ordinans contra hoc praescriptum incurrit in suspensionem ab ordinum collatione[3]) per annum Sedi Apostolicae reservatam. Superioribus religiosis non licet de industria differre concessionem dimmissorialium in id tempus, quo Episcopus dioecesanus abfuturus esset, vel nullas esset habiturus ordinationes; item illicitum est ipsis de industria transferre subditum suum in alienam dioecesim pro ordinibus recipiendis ac post ordines receptos

---

debant, jam per hoc concilium sublatum est (sess. XXIII., cap. 10.). Si autem forte postea tale privilegium denuo collatum esset, nunc per can. 964. revocatur.

[1]) Cf. supra Cap. IV. Art. IV. Nr. 95. 5., pag 158.

[2]) Jus vetus quoad ordinationem regularium comprehendit Benidictus XIV. Constitutione „Impositi nobis“ d. 27. Febr. 1747. (Bull. Benedicti XIV. t. II. pag. 82. ss.) Ipse jam idem constituerat.

[3]) Can. 2373. Nr. 4. cf. Const. Bened. XIV. „Impositi nobis“. § „Praeterea volumus“.

ad pristinam domum redire jubere[1]). Privilegium mittendi proprios religiosos ad quemcumque Episcopum communionem cum Apostolica Sede habentem aliquibus religionibus quidem datum est, sed nunc solum valet, si post conc. Trid. datum vel saltem authentice confirmatum est.[2]) Codex talia privilegia non abrogavit.[3]) — 4) In iisdem litteris dimmissoriis Superior religiosus testari debet promovendum professionem religiosam (si agitur de ordinibus sacris, perpetuam) emisisse, esse de familia domus religiosae sibi subditae, et etiam de studiis peractis deque aliis jure requisitis,[4]) quo in casu aliae litterae testimoniales non sunt necessariae (can. 995.). Testimonium vero ultimae ordinationis (aut si agatur de prima tonsura, recepti baptismatis et confirmationis et forte etiam de peractis studiis, si nempe de illis Superior ipse testari non possit) est afferendum. — Si autem ordinandus vota perpetua non emiserit, afferenda sunt praeter 2 (aut 3) testimonia praedicta: 3. Testimonium rectoris Seminarii aut sacerdotis, cui candidatus extra Seminarium commendatus fuerit,[5]) de bonis ejusdem candidati moribus. 4. Testimoniales litterae Ordinarii loci, in quo promovendus tantum temporis moratus est, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit;[6]) 5. Testimonium Superioris majoris religiosi (can.

---

[1]) Can. 967. et jam in decreto Clem. VIII. apud Bened. XIV. Const. cit., §. „Demum a sanctae“ et § „Haec profecto“.

[2]) Bened. XIV. Constit. cit., §. „Quemadmodum vero“. — Hoc privilegio e. g. Societas Jesu gaudet ex Pauli III. Consitutione „Licet debitum“ et Gregorii XIII. Const. „Pium et utile“ d. 22. Sept. 1582. (Bull. Soc. Jesu ed. Florent. pag. 84.).

[3]) Cf. can. cit. 2373. Nr. 4. „salvo legitimo privilegio“.

[4]) Haec requisita sunt: 1. recepta sacra confirmatio, 2. mores ordini recipiendo congruentes, 3. aetas canonica, 4. debita scientia, 5. ordinum inferiorum susceptio, 6. interstitiorum observatio, 7. titulus canonicus, si agatur de ordinibus majoribus. (can. 974. § 1.).

[5]) Hoc ultimum apud religiosos raro admodum accidere potest et magis ad saeculares pertinet.

[6]) i. e. pro militibus trimestre, pro aliis semestre post pubertatem (can. 994.).

993.). — 5) Titulus ordinationis est pro regularibus sollemnis religiosa professio seu titulus, ut dicitur paupertatis, pro religiosis autem votorum simplicium perpetuorum titulus mensae communis, Congregationis aliusve similis ad normam constitutionum. Ceteri religiosi etiam quoad titulum jure saecularium reguntur (can. 982.), i. e. debent habere aut titulum beneficii aut patrimonii aut pensionis (can. 979.) aut dispensationem Apostolicae Sedis a tali titulo (can. 980. § 2.), nisi forte in exteras missiones velint abire et ideo titulo missionis ordinari possint (can. 981.). — 6) Opportuno tempore ante ordinationem promovendi Episcopo suum propositum aperire debent, ut possit provideri, si aliquid desit in documentis aut, si impedimentum adsit, dispensatio procurari.[1]) — 7) Promovendus examen subire debet circa ordinem suscipiendum, promovendi ad sacros ordines etiam de aliis sacrae theologiae tractationibus apud Ordinarium loci, qui proprio jure ordinat aut dat dimmissorias litteras. Ipse autem et ordinatori hoc committere aut, si ipse ordinat, acquiescere potest litteris dimmissoriis Superioris, in quibus etiam de examine superato testatur. Non autem debet acquiescere (cann. 996., 997.). — 8) Nomina promovendorum publicandi sunt in paroeciali cujusque candidati ecclesia; excipiuntur tamen professi religiosi a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus. Publicatio facienda est in ecclesia, quando major habetur populi frequentia, eo fine ut impedimenta forte existentia ante ordinationem revelari possint (cann. 998., 999.). — 9) Ordinationi praemittenda sunt exercitia spiritualia candidatorum et quidem tonsurae et ordinibus minoribus saltem per 3, ordinibus majoribus saltem per 6 integros dies, sed si qui intra semestre ad plures ordines majores promovendi sunt, Ordinarius potest tempus exercitiorum ante receptionem diaconatus reducere sed non infra 3 dies. Dilata ordinatione ultra semestre, exercitia

[1]) Irregularitates et impedimenta vide pag. 123. Nr. 75. 5. quoad potestatem in iis dispensandi pag. 60. Nr. 40.

sunt iteranda. Si ad brevius tempus, Ordinarius de iteratione judicet. Religiosi exercitia peragant in propria domo vel alia de prudenti Superioris arbitrio et Superior major de illis peractis Episcopum certiorem faciat. Haec statuuntur can. 1001. — 10) Superior major potest suis subditis ex quavis canonicâ causa, occulta quoque, etiam extrajudicialiter ascensum ad ordines interdicere salvo jure recursus ad Stam. Sedem vel (a provinciali) ad Moderatorem generalem. — 12) Superior major, si ipse litteras dimmissorias pro suis religiosis dedit, notitiam celebratae ordinationis uniuscujusque subdiaconi transmittere debet ad parochum baptismi, qui id adnotet in suo baptizatorum libro (can. 1011., cf. can. 470. § 2.).

105. Etiam absoluto studiorum curriculo religiosi sacerdotes saltem per quinquennium a doctis gravibusque patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis. Excipiuntur ii, qui vel sacram theologiam vel jus canonicum vel philosophiam scholasticam docent et ii, qui a Superioribus majoribus gravem ob causam eximuntur (can. 590.). — Addit insuper can. 591.: „In qualibet saltem formata domo minimum semel in mense habeatur solutio casus moralis et liturgici, cui si Superior opportunum existimaverit, addi potest sermo de re dogmatica conjunctisve doctrinis, et omnes clerici professi, qui studio sacrae theologiae operam navant aut illud expleverunt et in domo degunt, assistere tenentur, nisi aliud in constitutionibus caveatur". Etiam ab hac lege per constitutiones solent eximi, qui sacram theologiam vel philosophiam scholasticam actu docent. — Tandem ea, quae omnibus clericis praescribit can. 129., de religiosis quoque sacerdotibus valent: „Clerici studia praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant; et in sacris disciplinis solidam illam doctrinam a majoribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam."

Caput VI.

De obligationibus religiosorum.
(can. 592.—612.)

106. (46) Peculiares religiosorum obligationes ex diversis oriuntur fontibus. Nimirum aliquae oriuntur ex votis, quae religiosi emittunt, sive ea sint omnibus communia sive sint quibusdam religionibus particularia. Aliae oriuntur ex statu quem religiosi assumpserunt, qualis est obligatio tendendi ad perfectionem. Aliae iterum ex regulis et constitutionibus ac legitimis consuetudinibus uniuscujusque religionis habentur. Tandem aliae habentur ex legibus, quas Ecclesia religiosis servandas praescripsit. Hac de re in genere dicit can. 593.: Omnes et singuli religiosi, Superiores aecque ac subditi, debent non solum, quae nuncuparunt, vota fideliter integreque servare, sed etiam secundum regulas et consuetudines propriae religionis vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere.

Art. I.

De obligationibus religiosorum vi votorum ortis.
(cf. can. 593.).

§ 1. De voto paupertatis.

107. (47) Effectus voti sollemnis paupertatis hi sunt: 1) Amittit professus dominium tum directum tum utile eorum bonorum temporalium, quae tempore professionis possidet. (Cf. qnae supra de renuntiatione bonorum diximus) 2) Amittit etiam habilitatem seu capacitatem ad nova bona sibi acquirenda sive quoad eorum proprietatem sive quoad usumfructum, imo etiam quoad usum independentem a Superiorum voluntate. Hinc sollemniter profes-

sus nec per donationes inter vivos nec per ultimas voluntates ab aliis sibi acquirere nec per proprium laborem quidquam sibi mereri potest. 3) Per hoc tamen communitas religiosorum possidendi et acquirendi incapax non redditur; potius communitas tanquam juridica persona legitime possidet et acquirit, atque possessa administrat. Excipe tamen ab hoc Ordines mendicantes. 4) Inde fit, ut regula valeat: Quidquid acquirit sollemniter professus acquirit suae domui aut provinciae aut Ordini. Nimirum si regularis sollemniter professus in testamento aliquo instituitur haeres aut legatarius, vel si regulari aliquid donatur per actum inter vivos, nec dispositio testamentaria nec donatio valore destituuntur, sed domus vel provincia vel Ordo regularis in locum singularis membri subintrat secundum diversas constitutiones (cf. can. 582. Nr. 1.) Item subintrat loco singulorum regularium conventus seu communitas in jus ad haereditatem adeundam ab intestato. Necessario autem haec regula quoad mendicantes iterum Ordines exceptiones patitur. Quando igitur novitius aut simplicium votorum professus ante sollemnem professionem renuntiationem suorum bonorum non fecit, ipso facto transierunt bona ad conventum aut Ordinem. Nunc autem Codex renuntiationem can. 581. praescriptam semper factam esse supponit (can. 582.). Si autem nihilominus aliquando facta non esset, probabiliter idem valeret ac antea.

108. (48) De Ordinibus autem mendicantibus nunc statuit can. 582.: „Post sollemnem professionem . . . . omnia bona, quae quovis modo obveniunt regulari: . . . In Ordine incapaci (scil. possidendi) acquiruntur Sanctae Sedi in proprietatem.“ Mendicantes enim sunt illi Ordines religiosi, qui ex constitutionibus suis non possunt in communi ut propria possidere bona immobilia vel mobilia ipsis aequiparata i. e., ex quibus de jure actione civili munito certos stabilesque reditus in sustentationem religiosorum percipiant, sed de „incerta mendicitate“ vivunt.[1])

[1]) Cf. Wernz, Jus decret. III. 2². Nr. 597. pag. 262.

Concilium Tridentinum quidem (sess. XXV. cap. 3. de regularibus) mendicantibus concessit privilegium possidendi bona temporalia in communi, attamen expresse exclusit Fratres Minores de observantia et Capuccinos. Alii Ordines ut e. g. Carmelitae discalceati et Societas Jesu non quidem sunt exclusi sed privilegio Tridentino renuntiarunt cum aliqua restrictione. Illi mendicantes ergo, cum non possint habere stabiliter bona fructifera, neque capaces sunt alicujus successionis universalis, qua omnia jura simul cum obligationibus ad eorum communitatem transferantur. Ideo ante editionem Codicis de illis haec specialia valebant: 1) Sicut singuli regulares sollemniter professi, ita etiam communitates mendicantium incapaces erant haereditariae successionis. Quapropter si regularis sollemniter professus in Ordine aliquo mendicantium aut *haeres* institutus est in testamento aut *successit ab intestato,* communitas non subintravit in ipsius locum sed testamentum quoad hoc punctum valore destitutum atque haereditas aliis haeredibus accrevit. 2) Quodsi vero alicujus Ordinis mendicantis regulari aut ejusdem Ordinis conventui *legatum* per testamentariam dispositionem constitutum est, sive res legata fuisset bonum mobile sive immobile, valuit legatum, et communitas religiosa subintravit in jus singuli membri. Nempe sicut Ordo mendicans et singuli ejus conventus bona mobilia possidebant, quibus pro sustentatione quotidiana ad victum, vestitum et habitationem indigebant, sic etiam bona mobilia acquirere potuerunt. Quum vero reditus annui inter immobilia censeantur a jure,[1]) ideo mendicantes Ordines eorumque conventus horum quoque incapaces fuerunt.[2]) Quodsi bona

[1]) Cf. Clem. Exivi 1. De verborum significatione (V. 11.).

[2]) Solent etenim Ordines mendicantes hoc habere, ut singulae communitates nequeant possidere ex immobilibus bonis nisi domum pro habitatione cum horto attiguo et templo. — Ut tamen regulares Ordinis s. Francisci, sicut privato, ita et communi proprietate prorsus omni essent exuti, eadem scil. ratione qua Christum Dominum omni omnino proprietate sese destituisse affirmabant, Nicolaus III. const. „Exiit" die 14. Aug. 1279 (cap. Exiit 3. De verborum significatione in 6.) omnium bonorum ad Fratres Minores spectantium dominium et proprietatem ad s. Sedem pertinere declaravit: „Ne talium rerum sub incerto videatur esse dominium, quum patri filius suo modo, servus domino et monachus monasterio res sibi oblatas, concessas vel donatas acquirant, omnium *utensilium*, et *librorum ac eorum mobilium*, praesentium et futurorum, quae et quorum usumfructum scilicet Ordinibus vel fratribus ipsis licet habere, proprietatem et dominium (quod et fel. recordat. Innocentius Papa IV. praedecessor noster fecisse dignoscitur) in nos et Romanam Ecclesiam plene et libere pertinere hac praesenti constitutione in perpetuum valitura sancimus." Et similiter in subsequentibus Bullae ver-

mobilia legata ipsorum usibus forte inservire nequiverunt, iis divenditis alia sibi comparare ex pretio inde accepto potuerunt. Idem de bonis immobilibus valebat, quae regulari alicui legata essent; si ejus fuissent qualitatis, ut conventus ea retinere nequivisset, vendenda erant pretiumque inde acceptum eleemosynae loco pro sustentatione adhibendum.[1]).

---

bis de immobilibus bonis constituit. Postea vero Joannes XXII. const. „Ad conditorem" d. 8. Dec. 1322. (Extrav. „Ad conditorem" 3. De verborum significatione tit. 14.), Nicolai III. statutum reformans, bona primo usu consumptibilia aliaque praeter ea, quae in constitutione excipiuntur, ad Romanam Ecclesiam non pertinere statuit; sancivit enim „quod in bonis quae in posterum conferentur vel offerentur aut alias quomodolibet obvenire contigerit fratribus seu Ordini supradictis (exceptis ecclesiis, oratoriis, officinis et habitationibus, ac vasis, libris et vestimentis divinis officiis dedicatis vel dedicandis, quae ad ipsos obvenient in futurum . . .) nullum jus seu dominium aliquod occasione ordinationis praedictae seu cujusvis alterius a quocunque praedecessorum nostrorum super hoc specialiter editae, Romanae Ecclesiae acquiratur, sed quoad hoc habeantur prorsus ordinationes hujusmodi pro non factis."

[1]) Jus, quod in Societate Jesu viget, ad haec fere reducitur capita: 1) Uti supra animadvertimus, tum sollemnium votorum professi, tum coadjutores formati votorum publicorum inhabiles sunt ad quaecunque bona sibi acquirenda vel possidenda; hinc pro se nec haeredes nec legatarii institui possunt. Domus autem sive professorum sive probationis item collegia ad acquirendum et possidendum habilia sunt. Hinc haereditates et legata ipsis etiam relinqui possunt. Attamen domus professorum, quum praeter habitationem cum horto et templo ac hortum suburbanum cum domo conveniente possidere bona immobilia nequeant, haereditate vel legato alia immobilia bona acquirere quidem potuerunt, at ea vendere debuerunt, ut pretium acceptum pro sustentatione adhiberetur. Nunc autem dispositio Sedis Apostolicae videtur expetenda. Collegia vero et domus probationis sicuti haereditates adire et legata non prohibentur, ita etiam bona immobilia sic accepta retinere possunt. 2) Si quis sollemniter professus aut coadjutor formatus instituitur haeres aut legatarius, attendendum est, utrum intuitu collegii aut domus in qua versatur, ea institutio facta sit an intuitu personae ipsius. Si primum, collegium aut domus bona adire relicta potest; si alterum, testamentum quoad id punctum vel legatum antea invalidum nunc Stae. Sedi videtur significandum pro opportuna dispositione. 3) Qui absoluto novitiatus biennio simplicia vota emiserunt, tam haeredes quam legatarii valide constitui possunt, ad licitam vero acceptationem quorumcunque bonorum indigent Superiorum licentia.

Ex dictis patet ea quae Nicolaus III. et Joannes XXII. de solis Fratribus Minoribus statuerant (quoad proprietatem stae. Sedi acquirendam) nunc de omnibus mendicantibus valere. Inde vero etiam aliae mutationes deducendae sunt: 1. Cum Sta. Sedes nullo modo incapax sit, haereditariae successionis, nulla apparet ratio, cur testamentaria dispositio valore suo destituatur, qua sollemniter professus in Ordine mendicantium haeres institutus sit. — 2. Quoad legata bonorum mobilium nihil videtur immutatum; nam talia legata etiam mendicantes acquirere possunt, quare res sec. Nr. 1. canonis 582. tractanda est. — 3. Sta. Sedes certe etiam reditus annuos acquirere potest. Imo si velit summus Pontifex etiam de illis ita potest disponere, ut singulis annis mendicantibus in eleemosynam dentur, quod et mendicantes admittere possunt, dummodo verum jus ad reditus non concedatur. — 4. Bona immobilia, quae religioso Ordinis mendicantium dantur, nunc non amplius vendi debent imo nec licite possunt, cum sint in dominio stae. Sedis, ideo ad illam statim erit recurrendum ejusque dispositio expetenda. — 5. Codex vero nihil expresse dicit, quid juris sit, si non religiosus sed ipsa religio mendicantium aut provincia aut domus haeres instituatur vel alio modo ei bona temporalia obveniant, quorum dominium acquirere non potest. Videtur idem valere, eadem est enim ratio legis. Certe non possunt mendicantes haereditatem sibi oblatam refutare, cum saltem probabile adsit jus stae. Sedis ad eam adeundam, neque sta. Sede inscia ejus nomine haereditatem adire possunt, ideo nihil remanet quam informatio Apostolicae Sedis, ut illa disponere possit, quo in casu etiam ipsa quaestio juris simul solvetur.

109. (49) Effectus voti *simplicis* paupertatis sive temporarii sive perpetui hi tantum sunt; 1) Manent professi habiles tum ad possidendum tum ad acquirendum, adeoque non amittunt proprietatem eorum bonorum, quae tempore nuncupationis votorum obtinent, et valide acquirunt quaecunque alia bona; atque quovis modo de se valido ad bona acquirenda etiam

tales professi bona acquirere possunt. 2) Inde etiam sequitur, ipsos dominium directum habere in fructus quoscunque, quos ipsorum bona ferunt, prout de illis juxta can. 569.(vide supra Nr. 86. p. 145.) disposuerunt.[1]) Tamen 3) amittunt licitum usum omnium suorum bonorum, ita ut ea licite absque Superiorum licentia neque in utilitatem propriam neque in alienam possint convertere. Item 4) amittunt liberam eorum administrationem, ita ut licite neque ullos contractus de iis inire nec ulla alia ratione de ipsis disponere valeant absque Superiorum suorum consensu.

---

[1]) Vis voti simplicis paupertatis, quod a professis votorum simplicium in virorum regularium Ordinibus juxta decretum „Neminem latet“ emittebatur, describitur in art. IX. declarationum s. C. super statu regularium saepius citatarum (Bizzarri l. c. pag. 859.): „Professi votorum simplicium dominium radicale, uti ajunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et redituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint.“ De qua declaratione haec nota: a) Dubitari nequit, quin de omnium religiosorum Ordinum professis votorum simplicium valebat; est enim interpretatio legis praecedentis eaque comprehensiva. Etsi igitur alii declarationum Articuli non referantur nisi ad Ordinem Praedicatorum s. Dominici eosque Ordines ad quos postea declarationes extensae sunt (cf. supra pag. 151. Nr. 91., praesertim nota 2.). hic tamen Articulus omnes Ordines tangit, quos tangit lex per ipsum declarata. Quia vero lex in decreto „Neminem latet“ expressa Societatem Jesu non afficit, utpote in qua vota simplicia ex ejus Constitutionibus sollemni professioni ad longius etiam triennio tempus praemittuntur, Societatem Jesu etiam non afficit ea declarationis pars, quae praecipit, ut administratio bonorum propriorum ante simplicium votorum nuncupationem in alios transferatur. b) Quod professi simplicium votorum cedere debent sicut administrationem et usum, ita etiam „usumfructum“ suorum bonorum, hoc intelligendum est de usufructu, quatenus cum ipso conjunctus est usus et administratio. Ipsos autem professos eatenus usumfructum retinere, quatenus ipsorum fiunt fructus, quos bona sua ferunt, patet ex eo quod dominium radicale bonorum suorum retinent. Proinde fructus, qui ex locatione agrorum, domorum, pecuniarum etc. obtinentur, accrescunt ipsis professis.

Quaestio autem 5) est, utrum dispositiones, quae a simplicium votorum professis circa bona propria fiunt e. g. venditiones, mutuum, testamenta etc., quando sine Superiorum consensu fiunt, *invalidae* sint an *tantum illicitae*, nunc per can. 579. dirempta est, qui illas dispositiones validas quidem sed illicitas declarat.

Varie responderunt auctores. Putarunt aliqui, dispositiones invalidas esse utpote factas ab iis, qui jure independenter de bonis suis disponendi sint destituti. Alii dixerunt, dispositiones de se invalidas non esse, at a Superioribus irritari posse. Putaverunt scil. hi, simplicium votorum professos comparari minoribus, qui in bonorum suorum administratione a tutoribus aut curatoribus sic dependerent, ut sine horum arbitrio firmiter se obligare quoad bona sua temporalia nequirent. Proin sicut minorum contractus seu dispositiones de bonis suis factae a curatoribus irritari possunt, ita professorum dispositiones a Superioribus ipsorum invalidari posse affirmarunt. At nec haec sententia omnibus arrisit. Fuerunt enim qui affirmarent, eas dispositiones a professis factas, etsi graviter essent peccaminosae, nihilominus firmas esse.[1])

6) Abdicatio administrationis bonorum propriorum, quae ante simplicem professionem in religionibus emittendam ex declaratione supracitata et nunc juxta can. 569. facienda est, se extendere quidem potest ad *jus* administrandi, ita ut professus simplicium votorum *vi hujus abdicationis* jus amiserit sese ingerendi in hanc administrationem; at nisi in constituendo administratore expresse dicatur, abdicantem omne suum jus in administratorem transferre, standum pro eo est, quod se eo jure privare noluerit proinde actus administrationis validi maneant.

110. (50) *Objectum voti paupertatis,* cujus aut dominium radicale aut saltem usum religiosus amittit, constituunt bona temporalia; retinet igitur professus jus ad honorem, famam necnon ad bona ipsi interna. Speciatim quaeritur, utrum ad objectum paupertatis pertineant 1) *reliquiae sacrae.*

---

[1]) Primam sententiam affirmarunt Lessius, De just. et jure cap. 4. n. 28. et alii ab ipso citati; alteram Suarez tract. X. l. IV. cap. 6. n. 12.; tertiam Lugo, De justitia et jure disp. III. n. 80., et ante ipsum Sanchez, In praecepta decal. l. 7. cap. 18. n. 28. s., et cap. 8. n. 25.

Auctores qui hanc quaestionem tractant, negative quidem solent respondere, ex rationibus tamen diversis. Alii reliquias dicunt non esse res pretio aestimabiles seu esse res nullius pretii, alii eas pro rebus spiritualibus habent.[1]) Nec una nec alia ratio apodictica videtur. Etenim reliquiae sunt res in se materiales, quibus accedit ratio spiritualis, seu ut theologi loqui solent, sunt res antecedenter temporales et consequenter spirituales. Accedit, quod reliquiae in thecis conservari soleant, quae, licet minimi plerumque valoris, tamen utpote res temporales et res pretio aestimabiles, objectum voti paupertatis per se constituunt. Attendendum igitur est ad usum, qui ob dictorum auctorum doctrinam facile oriri potest et legitimitate non caret. Thecas tamen religiosae paupertati convenire nec nimio valore excellere debere auctores recte affirmant. Idem dicendum est 2) de numismatibus sacris, imaginibus, rosariis aliisque ejusmodi rebus. Ipsae quoque naturam habent rerum antecedenter temporalium et consequenter spiritualium, in quibus quo minor est temporalis valor, tanto facilius consuetudo oriri potest legitima, qua voto paupertatis non subesse censentur.

3) Item *de manuscriptis* quaeritur, de quibus multiplex invenitur penes doctores sententia.[2]) Fuerunt enim qui putarent manuscripta, sive propria sive aliena manu exarata, sub voto paupertatis non cadere, cum sint partus intellectus ideoque aliquid spirituale. Alii vero tantum ea manuscripta, quae propria manu sunt exarata, sub paupertatis voto non cadere affirmarunt atque liberae auctoris eorum dispositioni relinqui. Alii vero tam propria quam aliena manuscripta sub paupertatis voto comprehendi dixerunt, ita ut religiosi sive sollemnibus sive simplicibus votis ligati de ipsis disponere nequeant absque Superiorum aut

---

[1]) Cf. Salmanticenses, De justitia et jure cap. II. n. 194.

[2]) Multas ex diversis sententiis, paucissimis verbis rationem earum addendo, affert s. Alph. Theol. mor. l. 4. (De praeceptis particularibus) n. 14. Cf. Piatus Mont. I. pag. 121.

expresso aut tacito consensu. a) Anno autem 1913. S. Congr. de Religiosis ad quaestionem: „An religiosi tum votorum sollemnium tum votorum simplicium, qui aliquod manuscriptum durantibus votis exaraverunt, ejusdem dominium habeant, ita ut illud donare aut quocumque titulo alienare valeant", respondendo: „Negative", litem hac de re finivit. Eo ipso enim manuscripta etiam propria manu elaborata declarantur objectum voti paupertatis. Etiamsi ergo professi votorum simplicium talia manuscripta ab aliis acquirere possint, cum sint adhuc dominii capaces, tamen certe de illis licite disponere nequeunt sine licentia Superioris, et hoc jure merito; nam quamvis manuscripta per intellectum producantur, nihilominus sunt res temporales per se etiam pretio aestimabiles. Tamen b) introduci potest consuetudo legitima, vi cujus religiosis licet saltem in quibusdam adjunctis manuscripta retinere absque Superiorum expresso consensu eaque ex una in aliam domum secum asportare, uti communiter licet tum vestes tum Breviarium atque alios forte necessarios libros ex una in aliam domum secum transferre. Imo talis praxis quoad quaedam manuscripta, quae alteri vix ullam, ea exaranti vero saepe magnam utilitatem afferunt, unice rationabilis est. c) Ex eadem ratione religiosis, qui ad Episcopatum promoventur, licitum est, propria manuscripta ex monasterio vel conventu suo secum sumere, aliis bonis conventui relictis.[1])

4) Ad quaestionem *de picturis aut sculpturis* aliisve artis operibus, quae religiosus exaravit, sic responderi debet: a) Opera quae sollemnium votorum professus conficit, sive ex rebus monasterii sive ex rebus ab aliis ei ad suae artis exercitium donatis, eo ipso acquiruntur monasterio ex generali principio supra statuto: Quidquid acquirit regularis, acquirit Ordini suo. Simplicium vero votorum professus quoad proprietatem operis exarati ex rei natura sic se habet ut artifex saecularis, at de opere suo

[1]) Cf. const. Benedicti XIII. „Postulat" d. 7. Martii 1725. § 5. (Bull. Rom. ed. Luxemb. XIII. pag. 145.)

nequit disponere sine Superiorum licentia. Ex lege autem ecclesiastica (can. 580. § 2.) opus artefactum, utpote industria religiosi acquisitum etiam in hoc casu religioni acquiritur. b) Si regularis ex materia aliena et pro altero tale opus conficit, huic sane dominium acquiritur; et religiosus contra Superiorum voluntatem opus elaborans non contra paupertatem at contra obedientiam agit.

111. (51) Ad quaestionem de *peculio religiosorum* ab antiquis temporibus jam agitatam haec animadvertenda sunt: 1) Peculium etymologice derivare solent a pecunia, ita ut designet pusillam pecuniam (pecuniola); significat reapse parvam quandam quantitatem bonorum fortunae dispositioni ejus relictum, qui ad disponendum de majoribus bonis vi conditionis suae inhabilis est. Sic loquuntur de peculio filiorum familias, servorum etc. Atque hoc sensu etiam de peculio religiosorum quaestio fit. Sumitur vero vox peculii etiam in sensu latiori, quo significat quamcunque quantitatem bonorum fortunae ad aliquem proprietarium pertinentem. Itaque quaestio de peculio religiosorum ad hoc redit, utrum religiosis non obstante paupertatis voto licitum sit, saltem de parva pecunia aliisve minutis bonis temporalibus disponere. Patet autem, hanc quaestionem tam religiosos sollemniter professos quam eos, qui simplicia vota tantum emiserunt, attinere. Nam per simplex paupertatis votum, ut diximus, amittitur licitus usus et dispositio de bonis temporalibus. Jamvero 2) *certum* est, *independentiam* in peculii erogatione et usu *voto paupertatis religiosae obstare.* Votum enim paupertatis illud, quo non obstante vovens libertatem sibi reservat de quibusdam bonis disponendi, ad completum statum perfectionis acquirendae fundandum sufficiens agnosci nequit. Hinc independens peculium ab omnibus pro paupertati religiosae contrario recognoscitur.

Quaestio autem 3) est, utrum legibus ecclesiasticis etiam contrarietur peculium, in quo erogando et utendo religiosus a sui Superioris arbitrio omnino dependet, ita

ut Superiori, quando ipse vult, rationem de pecuniae sibi concreditae usu reddere teneatur et contra Superioris voluntatem nihil erogare licite possit. In id quidem quamplurimi auctores conveniunt, ante Tridentinum concilium peculium dependens illicitum non fuisse. Nihilominus tamen animadvertendum est, argumentum potissimum quod pro hac sententia ex Cap. Monachi 2. De statu monachorum et canonicorum regularium (III. 35.) affertur, non esse omni exceptione majus.[1]) Illud autem concedendum est, peculium dependens *paupertatis voto* non obstare; nam hoc votum prohibet tantum liberum et independentem usum atque administrationem bonorum temporalium, non vero usum et erogationem a Superiorum nutu dependentem. Hinc etiam diximus, quaestionem esse, utrum peculium dependens *legibus ecclesiasticis* contrarietur necne. Jam 4) Tridentini verba, quae difficultati ansam praebent, haec sunt: „Nemini igitur regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo acquisita, tanquam propria aut etiam nomine conventus possidere, sed ea statim Superiori tradantur conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam." Iis qui tenent his concilii verbis peculium dependens non vetari, favent a) verba „Superiori tradantur conventuique incorporentur", quibus verbis tantum peculium independens intelligi potest, quum bona peculium dependens constituentia conventui incorporata sint atque a Superioribus accepta. Praeterea b) pro hac sententia facit quod nullibi appareat, Tridentinum novam legem condere voluisse, quum potius antiquam

[1]) Verba hujus Capitis huc pertinentia sunt: „Qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei *pro injuncta administratione* permissum, a communione removeatur altaris." Porro animadvertunt plures auctores, his verbis non permitti Abbati, ut cuicunque sed ut iis tantum concedat peculium, quibus administratio communium bonorum injuncta est.

legem denuo inculcet. Juxta antiquam vero legem peculium dependens saltem secundum communiorem sententiam prohibitum non erat. Augent etiam hanc rationem dicendo, quod qui legem novam datam esse affirmet, id probare debeat; quamdiu convincens argumentum non exhibetur, praesumendum esse, antiquae legis correctionem locum non habere. — Qui vero peculium etiam dependens hoc decreto prohibere affirmant, a) afferunt quod concilium prohibet, ne religiosus bona quovis modo acquisita *vel conventus nomine* possideat aut teneat. Licet igitur peculium sit dependens adeoque non proprio sed conventus nomine erogetur et administretur, nihilominus per Tridentinum decretum prohibetur. Praeterea b) pro hac sententia faciunt verba sequentia ejusdem concilii, quibus praecipit, ut bona conventuum a solis officialibus administrentur: „Administratio autem bonorum monasteriorum seu conventuum ad *solos officiales* eorundem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat". Hinc administratio proprii peculii ad singulos spectans, etsi hi a Superioribus dependeant, decreto concilii contrariatur. Item c) huic sententiae favet decretum Clem. VIII. pro reformatione regularium, quo vita communis regularibus praescribitur provocando ad legem Tridentinam. Jam argumentis inter se comparatis putamus, probabiliorem esse sententiam, quae statuit peculium etiam dependens decreto Tridentino adversari.

5) Certum autem est, dependens peculium modo citato decreto Clem. VIII. prohiberi, quum Pontifex expresse statuat, ut bona a quocunque et quocunque modo acquisita Superioribus tradantur conventuique incorporentur „atque cum ceteris bonis, reditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit"[1]; et praeterea in eodem decreto (§ 6) repetitur statutum Tridentinum, ut omnia bona conventus ab officialibus ad id constitutis administrentur;

[1]) Constit. „Nullus omnino" cit. § 2.

item ut vestitus et mensa communis sit (§§ 3. et 4). Praescribitur igitur hoc decreto perfecta vita communis.

6) Superest adhuc quaestio, utrum per consuetudinem peculium dependens licitum reddi possit, necne. Ad quam quaestionem solvendam hae faciunt animadversiones: a) Quia per peculium dependens non laeditur votum adeoque non jus naturale sed jus ecclesiasticum tantum, per se consuetudo habendi peculium, si conditionibus alias ad contrariam legem abolendam requisitis vestita est, legitimitatem acquirere posset. b) Obstat vero illi consuetudini generalis regula a multis auctoribus axiomatis instar allata et progugnata, quod decreta concilii Tridentini nulla contraria consuetudine abrogari possint. Hinc saltem ii, qui peculium dependens a concilio Tridentino prohiberi affirmant, legitimitatem ejus consuetudinis admittere nequeunt. Animadvertendum vero est, dictam regulam generalem a multis auctoribus, omnino fortibus argumentis impugnari. Quapropter ea regula efficaciter contra dictam consuetudinem afferri nequit. c) In Codice prohibitio quidem Clementis VIII. per can. 594.[1]) renovatur fere iisdem verbis, sed neque ipsi canones Codicis tollunt consuetudines centenarias vel immemoriales, si Ordinarii (in nostro casu Superiores majores religionis) pro locorum et personarum adiunctis existiment, eas prudenter submoveri non posse. Excipiuntur quidem illae consuetudines, quae in Codice expresse reprobantur, hoc autem in nostro casu non obtinet (can. 5.). Dicendum est ergo, ubi peculium dependens ex consuetudine immemoriali aut centenaria jam legitime viget, etiam ex novissimo jure tollerari potest; ubi vero talis consuetudo per brevius tempus solummodo existeret, per Codicem abrogata censeri debet. Attamen d) de consuetudine peculii etiam dependentis id affirmari debet quod experientia teste religiosae disciplinae magnum detrimentum affert; hinc peccant graviter non tantum ii Superiores, quorum incuria ea consuetudo introducitur sed

[1]) Cf. de hoc canone infra Art. IV.

etiam ii qui eam, dum possunt, abrogare et eradicare non student.[1]) Atque eadem de causa, quod dicta consuetudo adeo perniciosa est vitae religiosae iisque obligationibus implendis, ad quas religiosi de jure naturali et divino tenentur, legem ecclesiasticam contrariam abrogare nequit, nisi quamplurimis limitibus sit circumscripta. Ad quos limites pertinet α) ut peculium in modicissima tantum quantitate constituatur; β) ut exclusa maneat facultas ipsum expendendi in usus non solum in se illicitos sed etiam in usus viro religioso parum decentes; γ) ut dependentia a Superiore in ejus erogatione non tantum de jure adsit sed etiam de facto exerceatur.

Tandem 7) ex praecentibus jam patet, quale jus vigeat quoad *census vitalitios* qui regularibus forte constituuntur. Nimirum a) regulares sollemniter professi incapaces sunt tum dominii in summa pecuniae singulis annis solvenda tum juris ad eam summam quotannis percipiendam; atque in Ordinibus mendicantibus incapaces juris ad censum vitalitium percipiendum etiam communitates sunt.[2]) Conventus vero seu communitates Ordinum non mendicantium, quum cujuslibet generis bona acquirere possint, subintrant sicut in alia jura ita etiam in jus ad censum vitalitium, qui alicui membro communitatis constituitur.[3])

[1]) Cf. s. Alph. l. IV. n. 15., qui gravia haec verba habet: „Ceterum (ut proferam, quid ego sentio super hac re) licet praefatam secundam sententiam probabilem sentiam, imo probabiliorem, ratione consuetudinis universaliter introductae; attamen in praxi omnes praelati tanquam certum sibi persuadeant, quod si usum peculii in monasteriis de novo introducerent, vix nomen paupertatis ibi supererit; et ex hoc innumera mala communitati quoad observantiam supervenient. Quapropter etiamsi ipsi a *peccato gravi* excusari possunt usum peculii concedendo, respectu voti paupertatis; *non tamen excusantur ob regulae relaxationem*, cui hac concessione procul dubio operam dabunt."

[2]) Cf. supra Nr. 108., p. 178.

[3]) Conformiter ad ea, quae supra (p. 180., Nr. 108. nota 1.) de paupertate in Societate Jesu diximus, hic de vitalitiis notandum, quod a) sollemniter professi aut coadjutores formati nec singuli pro se nec in communi capaces sunt census vitalitii (cf. primam formulam Instituti approbatam a Paulo III., in constit. „Regimini militantis", in qua dici-

b) Religiosi vero non sollemniter professi, sicut proprietatem aliorum bonorum retinent et nova bona sibi acquirere possunt, ita etiam jus ad censum vitalitium percipiendum per simplicem professionem non amittunt idemque jus de novo acquirere possunt, atque etiam eorum, quae consequenter ad jus singulis annis ipsis solvuntur, proprietatem acquirunt, at libere iis uti nequeunt neque eorum habent liberam administrationem. c) Bona, quae alicui religioso, sive sollemniter sive simpliciter professo ratione vitalitii ipsi constituti quotannis solvuntur, salvo paupertatis voto independens peculium ipsius efficere nequeunt; sed salvis ecclesiasticis legibus neque tamquam dependens peculium ipsi tradi possunt.[1])

---

tur; „voveant singuli et universi paupertatem, declarantes quod non solum privati sed neque etiam communiter possint pro Societatis sustentatione aut usu, ad *bona aliqua stabilia* aut ad *proventus* seu *introitus aliquos* jus aliquod civile acquirere"). Tamen b) collegia ac domus probationis sicut alia bona ita etiam census annuos obtinere possunt juxta eandem formulam: „Possint tamen habere in Universitatibus collegium seu collegia habentia reditus, *census* seu possessiones, usibus et necessitatibus studentium applicandas, retenta penes Praepositum et Societatem omnimoda gubernatione seu superintendentia super dicta collegia et praedictos studentes." Quare valet etiam constitutio vitalitii alicui de Societate non intuitu ipsius personae sed intuitu collegii aut domus facti. c) Ii qui post probationis biennium simplicia vota nuncuparunt tamdiu census vitalitii pro se capaces sunt, donec ultima vota emiserunt, usu vero et administratione bonorum perceptorum independente non gaudent.

[1]) Affirmant varii auctores conveniens esse, ut vitalitium alicui religioso constitutum prae ceteris in usus hujus religiosi a Superioribus expendatur. Quod sic intelligendum est: a) Si vitalitium (et idem dic de omnibus bonis, quae religiosis traduntur) sub ea conditione a donantibus constituitur et in eam conditionem Superiores ipsum nomine religiosi acceptantes aut ad ipsum acceptandum religioso facultetem praebentes consentiunt, ut ipsum prae ceteris in usus hujus religiosi expendatur, Superiores ex justitia obligati exsistunt ad hanc conditionem servandam. b) Si vero vitalitium non sub ea conditione constitutum sed absolute aut forte sub spe fore, ut Superiores ipsum prae ceteris hujus religiosi usibus applicent, nulla obligatio exsistit pro Superioribus ipsum hujus religiosi usibus applicandi; sed ea applicatio juxta sanctae prudentiae regulas Superioris arbitrio relinquitur.

112. (52) Ex principiis generalibus supra statutis facile deducitur, quid tenendum sit de *testamentis aliisque ultimis voluntatibus*, quae a religiosis conduntur. Nimirum 1) qui simplici paupertatis voto in Congregatione religiosa ligati sunt, quum valide de bonis suis disponere possint, valide etiam de iis per ultimam voluntatem disponunt, licite vero testamentum secundum can. 569. § 3. erectum sine licentia Stae. Sedis immutare non possunt (can. 583. Nr. 2.). Solummodo in casu urgenti sufficit licentia Superioris majoris aut, si nec ille adiri possit, localis. Nec videtur haec legis dispositio per constitutiones immutari posse. 2) De votorum simplicium professis in Ordinibus regularibus speciatim notandum a) ipsos quocunque tempore novitiatus et triennii ante sollemnem professionem testamentum validum condere posse, licet renuntiationem bonorum validam ultimo tantum bimestri ante sollemnem professionem facere possint. Testamentum enim, utpote quod natura sua sit revocabile, renuntiationis leges non sequitur, neque etiam impedit libertatem novitii ad saeculum redeundi, ad quam libertatem conservandam Tridentinum et nunc can. 568. renuntiationes novitiorum irritavit.[1]) b) Ultima voluntas, etsi valide facta, revocabilis est usque ad sollemnem professionem sub conditionibus in can. 580. § 3. indicatis. c) Intra 60 dies vero ante professionem sollemnem, debet regularis omnibus bonis, quae actu habet, cui maluerit renuntiare ideo testamentum aut statim executioni mandandum est, aut secuta professione ob defectum omnis materiae destituitur. Nec videtur remanere qualiscunque differentia quoad testamenta inter Ordines mendicantes et non mendicantes.[2]) 3) Regulares autem sollemniter professi, utpote omnibus temporalibus

[1]) Cf. Sanchez, In decalogum l. VII. Cap. 5. n. 12. ss.

[2]) De quaestionibus ad renuntiationem bonorum et ultimas religiosorum voluntates spectantibus secundum jus vetus late disputat Sanchez, In decalogum l. VII. Cap. 1. ss; cf. etiam Schmalzgruber, De testamentis etc. n. 184.

bonis actu destituti atque incapaces ad quidquam sibi acquirendum, testamentum aliamve ultimam voluntatem condere non possunt.

113. (53) Ut *licentia a Superioribus accepta* subditum a paupertatis transgressione excuset, his debet esse qualitatibus instructa: 1) Debet esse Superiori voluntaria. Hinc nullum habet valorem licentia metu extorta, aut per fraudem obtenta. Quare religiosus in conscientia tutus non est, qui dum licentiam a Superiore petit, aut ea reticet, quibus expressis licentia non concederetur, aut ea falso addit, quibus non additis item licentia negaretur. Reticendo vero ea quibus expressis, aut exprimendo ea, quibus reticitis licentia quidem tribueretur at difficilius, valet licentia, etsi subditus ab aliqua fraude non sit immunis.[1]) 2) Dein debet talis esse, ut Superior eam possit tribuere. Jam quidnam Superiores circa bona temporalia conventuum possint, supra Cap. III. Art. III. explicavimus.

Hic autem quaeritur, quid tenendum sit de licentia a Superiore data ad bona expendenda in usus superfluos, vanos, imo etiam turpes. Nec Superiorem talem licentiam licite dare, nec subditum ea licite uti posse, etsi eam valide datam esse affirmetur, inter omnes constat atque per se evidens est. Imo non pauci sunt, qui affirment talem licentiam invalidam esse. Superiorem enim administratorem bonorum esse non proprietarium dicunt, cujus potestas ad dandas licentias restricta sit pro usibus honestis paupertatique consentaneis. Alii vero tales licentias, etsi illicitas, tamen validas putant, quum Superiorum potestas ad licentias quoad usum bonorum conventus concedendas restricta sit tantum per leges honestatis non autem per mandatum administrationis.[2]) Atque haec secunda sententia verior videtur. Est enim Superior bonorum administrator constitutus cum libera potestate agendi ea, quae per generales

[1]) Cf. Schmalzgruber, De statu monachorum etc. n. 24.

[2]) Cf. de Lugo, De justitia et jure disp. III. n. 136. ss.

Ecclesiae leges aut speciales Ordinis constitutiones ipsius potestati subtracta non sunt. Jam nullibi, saltem in universalibus Ecclesiae legibus, Superiori potestatem subtractam esse affirmatur, ad usus alios praeter honestos facultates concedendi. Ergo ea licentia valida censenda est, etsi illicita.

3) Licentiam non solum a) expressam sed etiam b) tacitam sufficere, omnes concedunt atque ex generalibus regulis quas de licentiis valere omnes affirmant, facile deducitur; taciti enim et expressi eadem est virtus. Talis tacita licentia adest: α) Quando subditus sciente nec contradicente Superiore, ubi tamen facile contradicere posset, aliquid accipit, retinet, expendit aut eo utitur. Secus vero si Snperior solum non contradicat ex verecundia aut metu querelarum similiumve incommodorum. Dein β) quando acceptio aut usus in alio, a Superiore concesso aut imperato, vel ex natura sua vel saltem ex more religionis continetur aut cum eo connexum aut ei accessorium est. Ex hoc capite religiosis iter agentibus vel extra claustra in studiis versantibus permittitur facere eleemosynas aliquas moderatas, imo et donationes aliquas leves facere consanguineis aut amicis in signum gratitudinis pro beneficio recepto, amicitiae debitae, aut ad animum eorum religioni conciliandum. Item si Superior donet aut ab aliis donatas res aliquas permittat v. g. imagines, rosaria, numismata benedicta etc. sciens subditum non indigere iis omnibus ad proprium usum, spectata talium rerum qualitate, censetur tacite dedisse eidem facultatem aliis ea donandi.[1]) Imo dubitari nequit γ) quin licentia etiam sufficiat praesumpta tunc, quando acceptio aut usus alicujus rei pro eo tempore ita necessarius est, ut non possit bene differri nec Superior adiri; tenetur tamen acceptionem sic factam subditus postea Superiori manifestare, quia licentia praesumpta tantum vim habet pro re accipienda, non autem pro ea retinenda.

---

[1]) Cf. Schmalzgruber, De statu monachorum n. 26. De largitione vero munerum prohibita vide supra Cap. III. Art. III. Nr. 58. pag. 102.

Excipe dein eos casus, pro quibus in aliquo coetu religioso licentia expressa data forte requiritur. Atque haec praesumpta licentia hoc etiam efficit, ut religiosus proprietarius dici nequeat, si ex respectu humano, verecundia aliave de causa licentiam a Superiore non petit, etsi eum facile adire posset, dummodo praesumere possit Superiorem non esse absolute invitum, etsi ipse modus ei displiceat. Displicentia enim modi ipsam substantiam non afficit; et hinc licet receptio vel dispositio sic facta fere semper peccatum veniale includat, excusat tamen a peccato gravi contra votum paupertatis. Tandem δ) ad quaestionem, utrum sufficiat licentia petita et irrationabiliter denegata, respondendum est cum distinctione. Nimirum si licentia debita est ex parte subditi eo quod hic absque peccato id ad quod licentiam petit, omittere nequeat, aut quod jus habeat ad id quod petit, licentia petita etsi denegata sufficit. Si vero licentia debita tantum est ex parte Superioris, eo quod eam non deneget nisi ex inordinata animi commotione, partium studio, imprudentia etc., subditus a transgressione voti non excusatur agendo sine licentia Superioris. An vero subditus in hoc casu agere potest ex licentia praesumpta Superioris mediati? Certo nonnisi ex causa gravi; extra hunc casum enim Superioris mediati licentia rationabiliter praesumi nequit.[1])

114. (55) Paupertatis voti violationes duplicis sunt speciei, prout aut solum votum laedunt aut etiam justitiae laesionem in se continent. 1) Votum scil. solum laedit a) religiosus sive sollemni sive simplici voto ligatus, qui absque Superioris licentia ab externis bona acceptat, iis utitur, aut de ipsis libere seu secundum proprium arbitrium disponit. Qui vero bona ab aliis ei tradita quasi inanimatum instrumentum in alios transfert quin scil. vel ipse iis utatur vel secundum suum arbitrium de iis disponat, votum quidem non laedit, potest tamen contra regulam

[1]) Cf. P. Piatus Mont. l. pag. 239. ss.

suam peccare. b) Item ille, qui utpote simplicibus votis tantum ligatus propria habet, hisce quocunque modo utitur, ea alienat, ea administrat sine Superiorum facultate. 2) Votum simul et justitiam laedit a) ille qui aliorum, adeoque etiam conventus seu Ordinis sui bona quomodocunque attrectat ea sibi appropriando, tanquam sua retinendo, destruendo, absque Superioris legitimo consensu. Imo si stricte res consideratur, is qui conventus sui bona attrectat peccatum triplicis speciei committit: injustitiae invadendo bona aliena, violationis voti paupertatis actum voto prohibitum faciendo, sacrilegii injuste attrectando res sacras seu Deo dicatas. De hoc ultimo post Codicis editionem dubitare licet (cf. supra pag. 103. Nr. 3.). b) Ille qui absque Superiorum licentia re aliena utitur sine ejus destructione, non quidem proprietarius fit at furtum usus committit.

Ad quaestionem, quandonam paupertatis votum graviter laedatur, haec respondenda videntur: 1) Si cum voti laesione simul justitiae laesio est conjuncta, a) dubitari nequit, quin appropriatio illicita bonorum *extraneorum* tum quat. justitiam tum quat. votum laedit, in materia, quae gravis censetur quoad justitiam, grave peccatum constituat. b) Si appropriatio fit circa *bona conventus* seu Ordinis, putant varii AA., tantam materiam requiri ad peccatum grave constituendum, quanta in filiisfamilias quoad bona parentum. Sic enim dicunt se habere regulares quoad bona proprii conventus, sicut filiifamilias quoad bona parentum. Alii vero rem intimius, ut putant, considerantes, Superiores religiosos magis invitos idque rationabiliter quoad furta suorum subditorum esse dicunt quam parentes quoad filiorum furta, et sic tantam materiam in religiosis ad grave peccatum contra justitiam constituendum non requiri dicunt, quanta in filiisfamilias. Consentiunt vero, attrectationes rerum parvarum eadem ratione demum coalescere, ut gravem materiam constituant, qua furta minuta quorumcunque aliorum. c) Si regularis sine proprietatis actu re aliena, cujuscunque illa sit, ipso invito utitur

sine ejus destructione, multo major certe materia ad grave peccatum constituendum requiritur, quam in casu appropriationis. — 2) Quaenam sit materia gravis in laesione voti, AA. controvertunt. Sunt a) qui dicunt ad laesionem voti gravem requiri et sufficere eandem materiam, quae ad laesionem gravem justitiae requiritur.[1]) b) Alii eam materiam sufficere dicunt, quae si e. g. tanquam eleemosyna voto promittatur, gravem materiam constituit. Ea minor esse censetur quam in materia justitiae. Attendendae etiam sunt singulorum Ordinum constitutiones earumque interpretationes.[2])

115. (56) Poenas, quas religiosi paupertatem violantes incurrerunt, Codex non renovavit, relinquuntur ergo arbitrio Superioris vel constitutionibus singularum religionum.

Antea statuta fuit poena privationis sepulturae[3]), privationis vocis activae et passivae[4]) per biennium; insuper antiquitus religiosus proprietarius e conventu regulari expellendus erat ex cap. 6. De statu monachorum; ea poena postea in alias Superiorum arbitrio infligendas mutata est.[5])

§ 2. De voto castitatis.

116. (57) Votum castitatis obligat religiosum sive sollemniter sive simpliciter professum ad abstinendum non tantum ab omni externo actu venereo, sed etiam ab omni interno actu, sive is ad externum tendat ut desiderium, propositum, gaudium pravum, sive mere internus maneat ut delectatio morosa. Obligat vero votum ad abstinendum ab actu venereo sive illicito sive licito (in matrimonio), adeoque etiam saltem illicitum reddit matrimonii contractum. Atque hoc sensu per castitatis votum religiosus cor-

---

[1]) In hunc sensum intelligendum videtur, quod habetur in Instit. Soc. Jesu, Monita general. § 10.

[2]) Cf. Piatus Mont. I. pag. 250.

[3]) Cf. Cap. 2., 4., 6. De statu monachorum etc. (III. 35.).

[4]) Conc. Trid. sess. XXV. cap. 2. De regul.

[5]) Cf. cap. 24. De regularibus etc. (III. 31.).

pus suum Deo offerre dicitur, sicut per paupertatis votum bona temporalia sive quoad usum et administrationem tantum, sive totaliter quoad usum scil. et quoad proprietatem Deo offert.

117. (58) De distinctione inter votum castitatis sollemne et simplex haec notamus: 1) Effectus voti sollemnis in religione emissi ex jure ecclesiastico duplex est: a) Reddit invalidum matrimonium in futuro contrahendum (cann. 579., 1073)[1]), dum votum simplex castitatis, etsi in Ordine religioso emissum matrimonium (excepto speciali privilegio, cf. can. 1073.) tantum reddit illicitum.[2]) b) Matrimonium ratum antea contractum, si per consummationem non est omnino indissolubile redditum, sollemnis professio religiosa quoad vinculum solvit (can. 1119.). A fortiori solvit sponsalia valida in saeculo forte inita. Hanc autem efficaciam nullum aliud castitatis votum habet, adeoque nec simplex castitatis votum in Societate Jesu post biennium novitiatus emissum, neque etiam sollemne castitatis votum in recipiendo subdiaconatus ordine in ecclesia latina, aut in diaconatus ordine in ecclesia graeca emissum. 2) Effectus dissolutionis matrimonii rati non consummati sollemni castitatis voto attributus est ab Ecclesia. Constat enim Summum Pontificem potestatem dissolvendi vinculum matrimonii rati nec consummati a Christo Domino accepisse, sicut accepit potestatem dispensandi in votis et juramentis promissoriis, quorum obligatio item ex jure naturae oritur, sicut ex jure naturae obligatio oritur matrimonii rati non consummati. Sicut autem Romanus pontifex in casu particulari matrimonium ratum non consummatum solvere potest quoad vinculum, ita etiam lege generali statuere potest et statuit, ut ratum nec consummatum matrimonium quoad

[1]) Hunc effectum etiam a voto castitatis sollemni in subdiaconatus ordine emisso produci, notissimum est (cf. can. 1072.).

[2]) Votum castitatis in religione emissum ad impedimentum matrimonii dirimens omnium primum evexisse Innoc. II. opinatur Suarez tract. VII. l. IX. cap. 21. Decretum Innoc. II. habetur cap. Ut. lex 11. c. 27. q. 1. (ann. 1139.).

vinculum solvatur per sollemnem professionem in religioso Ordine factam. Quo vero tempore professio castitatis sollemnis hac vi gaudere inceperit, non accurate constat.[1]) 3) Item efficacia ad matrimonium futurum dirimendum professioni castitatis sollemni ab Ecclesia est attributa vi illius potestatis, qua cujusvis generis impedimenta dirimentia statuere valet. Hinc patet rectissime Bonifacium VIII. etiam de hisce effectibus, quatenus ad sollemnitatem votorum constituendam concurrunt, affirmasse, sollemnitatem votorum ab Ecclesia esse inventam (cf. supra p. 160. not. 3. et 4.). Quando vero haec efficacia religioso castitatis voto ab Ecclesia sit tributa, item accurate determinari nequit. 4) Speciem autem moralem non mutat transgressio voti castitatis, sive simplex illud sit sive sollemne.

118. (59) De peccatis etenim contra castitatem ab eo, qui votum in Ordine aut instituto religioso emisit, haec sunt animadvertenda: 1) Quaelibet castitatis laesio duplicem specifice distinctam malitiam continet, laesionem scil. virtutis religionis et laesionem castitatis. Et quidem prior malitia sacrilegium in proprio sensu efficit, quatenus is, qui votum castitatis in coetu religioso emisit, se ipsum quoad corpus et animam Deo dedicavit in ordine ad abstinendum ab omni actu venereo, sicque persona sub hoc respectu sacra reddita est, quae per quemcunque venereum actum violatur. Hinc non satis ample voti castitatis transgressionem considerat, qui per interna inpudicitiae peccata votum quidem castitatis violari at sacrilegium in proprio sensu non committi putaret ea opinione praeconcepta ductus, quod per religiosum castitatis votum solummodo corpus non autem anima Deo dicetur et res sacra evadat. 2) Quia castitatis virtus et castitatis votum aequalem habent amplitudinem, ideo quaecunque virtutis castitatis laesio simul etiam voto contraria est, atque eodem gradu, quo castitatem, etiam votum laedit. Hinc quia peccata

[1]) Cf. Suarez l. c. cap. 24.

omnia cum plena deliberatione contra castitatem commissa rationem mortalis peccati habent, ideo etiam graves sunt voti laesiones; peccata vero cum semiplena tantum deliberatione aut semipleno consensu patrata, sicuti quatenus castitatem laedunt, venialia peccata sunt, ita etiam quatenus voti laesionem continent, venialis peccati labem non exedunt. Similiter qui actibus non quidem in se sed in causa voluntariis castitatem violat, sicut suis actibus aut graviter aut leviter contra hanc virtutem agit, ita etiam aut graviter aut leviter contra votum peccat. 3) Sunt qui ita loquuntur, ac si transgressio sollemnis voti a transgressione simplicis voti specifice differret. At hujus opinionis nulla affertur ratio. Major fortasse, ejusdem tamen speciei, culpa ex eo in voti sollemnis violatione detegi potest, quod qui sollemni voto sese obstrinxit, firmiori, ejusdem tamen essentiae seu rationis, vinculo sese Deo obligavit; laesio vero obligationis in eadem specie strictius incumbentis culpam continet aliquatenus graviorem.

In singulis tam Ordinibus quam Congregationibus aut institutis multa ex regulis et constitutionibus praescripta solent esse ad hanc castitatis virtutem in singulis religiosis integram servandam atque in tuto collocandam. Huc pertinent variae corporis castigationes, dein variae cautelae pro conversatione cum personis alterius sexus adhibendae, prohibitus egressus etc. Ex generalibus Ecclesiae legibus huc pertinet lex clausurae, de qua infra erit agendum.

119. (60) Castitatis violatio, quae internis actibus fit, a jure non punitur, quippe quod externa crimina tantum quae judicialem inquisitionem et condemnationem admittunt, puniat. At neque externis laesionibus poena ecclesiastica constituta est nisi contractui matrimonii, qui obstante religioso castitatis voto fit. Scil. 1. qui *post sollemne* castitatis *votum* emissum *matrimonium attentant,* excommunicationem ipso facto incurrunt, cujus absolutio est Sedi Apostolicae simpliciter reservata (can. 2388. § 1.). Idem valet de illis, qui cum ipsis matrimonium attentant. Haec excommunicatio a) incurritur etiam a regularibus ejectis

ob incorrigibilitatem (cf. can. 669.), a fortiori igitur ab apostatis; hi enim voti sollemnis vinculo adhuc ligantur. b) Ad eam incurrendam sufficit *attentatio* matrimonii, quae fit sive matrimonialem consensum serio eliciendo secundum formam Tridentinam; sive matrimonium quod dicitur civile ineundo, etiamsi Tridentina forma ad matrimonii valorem necessaria sit;[1]) sive matrimonialem consensum eliciendo cum persona, cui aliud dirimens impedimentum matrimonii e. g. consanguinitas aut affinitas obstat.[2]) c) Ad eam vero incurrendam requiritur *praesumptio.* Hinc eam non incurrunt ii, qui ipsam excommunicationem ignorant, etsi eorum ignorantia facillime fuerit vincibilis et graviter culpabilis. Imo a poena incurrenda eximit quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis (can. 2229. § 2.) ingnorantia vero affectata i. e. studiose quaesita non excusat. d) Urgente mortis periculo, locorum Ordinarii possunt proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes remoto scandalo ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimatione prolis etiam super impedimento voti sollemnis (non autem ordinis presbyteratus) pro utroque foro dispensare (can. 1043.). In casu, quo ne loci quidem Ordinarius adiri possit, eadem dispensandi facultate pollet tum parochus tum sacerdos, qui sec. can. 1098. (scil. quando neque Ordininarius neque parochus neque sacerdos ab alterutro delegatus sine gravi incommodo haberi potest) matrimonio assistit. Idem valet quoad confessarium sed pro foro interno tantum et in actu sacramentalis confessionis (can. 1044.). Quamvis autem can. 1045. eandem facultatem dispensandi (ab omnibus impedimentis juris ecclesiastici

---

[1]) Ita jam antea declaravit s. Off. d. 22. Dec. 1880; cf. Archiv f. Kirchenrecht Bd. 46. S. 26. et nunc clare hoc exprimit cit. can. 2388.

[2]) Ita dicendum cum Lehmkuhl Theol. mor. II. n. 969, contra Ballerini II. n. 956. not. b) et comment. Reatinum in Const. „Apostolicae Sedis" ad III. n. 149; et deducitur ex declaratione s. Off. modo citata sec. jus vetus; nunc autem ex eo, quod sufficiat matrimonii attentatio.

exceptis duobus) concedat Ordinariis et pro casibus occultis, si Ordinarius adiri non possit vel nonnisi cum periculo violationis secreti, etiam aliis personis supranominatis, quando impedimentum detegitur, cum omnia ad nuptias sunt praeparata, nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo differri possit, usque dum a Sta. Sede dispensatio obtineatur, tamen pro impedimento voti sollemnis haec dispensatio difficulter concedi poterit. Non enim facile accidere potest, quod hoc impedimentum solum in tali momento detegatur, cum regulari matrimonium attentanti ignotum esse non possit. Solummodo ex parte aliorum et praesertim alterius contrahentis talis detectio possibilis est, si professus ei impedimentum occultaverit. Si tali personae innocenti ex dilatatione matrimonii probabile grave malum immineat, dispensatio concedi potest, quod idem valet, si agatur de matrimonio convalidando. — 2. Professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis sub iisdem conditionibus incurrunt excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam, quamvis eorum matrimonium sit validum. — 3. Item qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt . . . ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta, sunt irregulares ex delicto (can. 985. Nr. 3. cf. supra Cap. IV. Art. III. pag. 125. II.). Neque dubium esse potest hanc irregularitatem locum habere etiam in casu matrimonii valide contracti; can. enim 985. expresse commemorat professos votorum simplicium etiam temporariorum nec supponi potest illos sollummodo irregulares esse in casu, quo matrimonium propter aliquod impedimentum invalidum contrahere velint.

§ 3. De voto obedientiae.

120. (61) Hujus voti prae prioribus duobus *praestantia* non tantum ex latitudine ejus objecti oritur, — multo enim latius ejus materia extenditur, quam paupertatis et

castitatis voti objectum — sed potissimum ex ejus facultatis praestantia, a qua ejus exsecutio pendet. Quibus enim paupertatis voto renuntiatur, bona sunt temporalia hominique externa; quibus castitatis voto, sunt bona quidem interna at corporales voluptates; obedientiae autem voto religiosus arbitrio proprio seu libertati in agendo et volendo renuntiat. Libertas vero multo altius et sublimius bonum est, quam temporalia bona aut voluptates sensuales. „Magna quidem paupertas, sed major integritas, bonum est obedientia maximum, si custodiatur illaesa; nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo, quos velut effraenes et liberos ditioni alterius, humilis jugo propriae voluntatis adstringit.“ Extrav. Quorundam 1. Joann. XXII. De verborum significatione.

In sequentibus expositionibus supponimus sententiam de triplici potestate praecipiendi, qua Superiores religiosos relate ad suos subditos gaudere diximus Cap. III. Art. I. Nr. 36. pag. 52.—54. scil. domestica, dominativa et jurisdictionali, quarum sola dominativa vi voti ortum habet.

Hinc patet 1) unde fiat, ut Superioribus etiam tunc obedientia sit praestanda, quando non vi voti obedientiae aliquid praecipiunt. Etenim etiam abstrahendo ab obedientiae voto potestatem jubendi habent, et sicut in aliis quibuscunque societatibus e. g. domestica, civili, Superiores subditos suos in conscientia obligare possunt hique obedire tenentur, ita etiam in societatibus religiosis. Patet 2) cur iis quoque Superioribus, qui non possunt imperare „in virtute sanctae obedientiae“, qua formula appellari solet ad obedientiam ex voto promissam, in regularibus coetibus obedientia sit exhibenda.[1]) Fieri scilicet solet ut tantum determinati Superiores vi voti obedientiae obligare valeant, alii vero, etsi veri nominis sint Superiores, possint quidem praecipere atque obedientia sit eis praestanda, non autem vi voti. 3) Item evidens est, graviter laedi posse obedien-

[1]) Cf. e. g. Instit. S. J. Constitutiones p. IV. cap. 10. § 8.; Congreg. VII. decr. 45.

tiam Superiori debitam, etsi Superior non appellet ad necessitatem obediendi ex voto seu non praecipiat in vim voti obedientiae. Sicuti subditi cujuscunque alterius societatis, qui voto obedientiae ligati non sunt, graviter obedientiam Superioribus ejus societatis debitam laedere possunt, sic etiam subditi in coetu religioso. Hoc igitur in casu non laeditur obedientiae votum sed obedientiae virtus; nec ullus est, qui neget graviter obedientiae virtutem laedi posse ab eo, qui nullo voto est ligatus. Unde certum quoque est, eum qui obedientiae voto est obstrictus, graviter laedere posse obedientiam, etsi nullatenus laedat votum.

121. (63) De obedientiae a religiosis praestandae *objecto* haec animadvertimus: 1) Sicut in quovis alio coetu seu societate, ita etiam in coetu religioso praesidum potestas praecipiendi et subditorum obligatio obediendi mensuram suam seu limites suos accipit a fine societatis adaequate spectato. Quae ad hunc finem obtinendum aut necessaria sunt absolute aut saltem quadamtenus, ea Superiores jubere possunt subditique jussi tenentur exsequi, nisi tamen, ut quandoque accidit, certa media illi societati sint subtracta. Quae vero ultra finem societatis adaequate spectatum sunt, ea quoque extra ambitum potestatis praesidum proindeque etiam extra ambitum obedientiae ex obligatione praestandae sunt sita. Jamvero 2) unusquisque coetus religiosus pro fine quidem habet perfectionem christianam suorum membrorum, finis, vero uniuscujusque adaequate spectatus non est perfectio christiana quibuscunque mediis obtinenda sed potius certis et determinatis mediis, adeo ut in hac mediorum ad christinianam perfectionem facientium diversitate coetuum religiosorum diversitas consistat. Inde patet, generatim loquendo Superiorum regularium potestatem, quatenus ea ex illa auctoritate exsurgit, quam socialem diximus, atque ex illa, quae ex obedientiae voto habetur, limitatam esse intra ambitum eorum mediorum, quibus singuli coetus utuntur ad perfectionem christianam obtinendam. Atque quum haec

media in regulis unicuique coetui propriis contineri soleant, apte dicitur, Superiorum potestatem intra limites regulae uniuscujusque coetus restringi. Ubi tamen attende, hic regulas sumi sensu latiori, prout scil. comprehendunt etiam constitutiones aliaque sive decreta sive capitula, quae simul sumpta codicem legislativum coetus regularis constituunt. Attamen 3) non tantum ea, quae explicite in regulis continentur, Superiorum auctoritate injungi subditis possunt, sed ea quoque, quae implicite continentur i. e. ea, sine quibus regulae commode servari nequeunt. Dixi: *commode* servari nequeunt. Sunt enim auctores, qui in regulis aliisque de necessitate servandis implicite ea contineri dicunt, quae ad regulae observationem conferunt. Hi dum expresse Superiorum potestatem restrictam esse affirmant, implicite eam ad omnia, quae aliquo modo ad perfectionem obtinendam facere possunt, iterum extendunt. Negari enim nequit, omnes et quoscunque actus, de quibusvis heroicis, ad meliorem regularum observantiam conferre. Qui enim multum se exercet in actibus etiam heroicis virtutum, facilius sane leviores regulas observare poterit. Itaque dicendum potius est, ea implicite in regulis contineri, sine quibus regula commode servari nequit, seu quorum observatio communiter necessaria est tanquam medium ad observandam regulam. Ita e. g. communiter docent AA., eos qui vitam profitentur monachalem seu spectantem ex instituto propriam salutem tantum, non teneri obedire Praelato jubenti, ut externis peste infectis Sacramenta ministrent, quia opus istud, licet eximiae sit perfectionis, ab Instituto eorum est alienum. Tenetur autem obedire, si a Praelato ei injungitur cura religiosi domestici.[1]) Quae vero simpliciter regulas superant, ea sic extra ambitum potestatis Superiorum sunt, ut ad ipsa in conscientia subditos obligare nequeant, hi vero perfectiorem sane subjectionem exerceant, quando in ipsis quo-

[1]) Cf. e. g. Lessium, De justitia et jure cap. 41., n. 76., § Quinto.

que Superiorum voluntati seu desiderio se subjiciunt.[1]) 4) Sunt varii coetus regulares, quorum constitutiones aut regulae exigere videntur obedientiam in omnibus, quae non sunt illicita, quorum membra proinde ad obedientiam in omnibus, quae peccatum non continent, videntur obligati, etsi quae injunguntur, regulam multum superent. Ut talis illimitata obedientia vere sit de obligatione, sane non sufficit, quod in regulis dicatur, obedientiae *perfectionem* requirere subjectionem in omnibus, quae licita sunt, sed necessarium est quod dicatur, Superiores omnia, in quibus peccatum non cernitur, *injungere* posse aut subditos in iis omnibus se subjicere *teneri*. Obedientiae enim perfectio multa requirit, ad quae, quum de sola perfectione sint, in conscientia obligatio non exsistit.[2]) 5) Superiorem ea in-

[1]) Superiores ea injungere posse, quae de jure naturae aut de quocunque positivo jure sive divino sive humano *obligatoria* sunt, mentione non indiget. Subditos enim dirigunt ad christianam perfectionem; ad eam autem assequendam prae ceteris necessaria est adimpletio obligationum conscientiae, undecunque ipsae nascantur, dummodo verae sint obligationes. Hinc fit, ut Superiores illi regulares e. g. laici, feminae religiosae, qui jurisdictione ecclesiastica instructi non sunt, subditos suos propria sua auctoritate ad exsecutionem legum etiam ecclesiasticarum adigere possint. — Hinc noli putare ea, quam nos quoque defendimus, sententia, quamque Sanchez, In Decal. l. VI. cap. 2. n. 15. verissimam appellat, Superiorum potestatem praecipiendi multum restringi; manet enim amplissima, quum Superiores subditos ad ea omnia urgere possint, quae sunt de *necessitate cujusvis virtutis*, licet ea necessitas sit tantum sub levi, undecunque illa necessitas incumbat sive ex naturali sive ex positiva lege; ex iis vero quae supererogatoria sunt et in sensu proprio de perfectione esse dicuntur, ea tantum imponere possunt, quae aut directe aut indirecte in regulis continentur.

[2]) Sic major etiam auctorum numerus in Societate Jesu, etsi s. Ignatius in suis constitutionibus virtutem obedientiae quam maxime inculcet, affirmat obedientiam ex *obligatione* praestandam esse non in quibuscunque de se licitis, sed in iis tantum, quae inhaerendo regulis jubentur, de perfectione vero obedientiae esse se subjicere in omnibus, quae non continent manifestum peccatum. Cf. Instit. S. J., Constitutiones p. III. cap. 1. § 23., p. VI., cap. 1., § 1.; Suarez tr. X. l. IV. cap. 12. n. 10.: „In hac re dicendum censeo, materiam quidem hujus voti in Societate esse amplissimam; nihilominus tamen *in rigore prae-*

jungere non posse nec subditum obedire posse, si forte injungerentur aut consulerentur, quae peccatum vel veniale in se continent, adeo ex primis ethicae christianae principiis est manifestum, ut expositione non indigeat. Illud unum addere juvat, quantopere ea potestas illicita jubendi etiam principio fundamentali de obedientia religiosa supra statuto adversetur. Potestas enim Superiorum intra limites eorum mediorum, quae ad perfectionem assequendam conferunt, continetur. Quomodo vero neglectus obligationis seu peccatum ad perfectionem assequendam facere potest? Hinc Superiores a) ea praecipere nequeunt, quorum executio in casu concreto peccatum continet, sive lex naturae sive lex aliqua positiva violetur. Tamen b) Superiores quandoque contra legem potitivam aliquid praecipere possnnt, tunc scil. si aut lex positiva in particulari casu cesset, aut Superior praecipiens potestate dispensandi in ea lege gaudeat sufficiensque dispensandi causa subsit. 6) Ad quaestionem, utrum subditus ad obedientiam teneatur, quando Superior ea injungit, de quibus dubitatur, utrum ea injungere possit, respondetur, in hisce casibus subditum ad obedientiam teneri, dummodo probabile sit Superiorem ea injungere posse.[1]) Praesumendum enim est Superiorem ea cognoscere quae jubere possit nec limites sibi praestitutos excedere; ex generali vero principio standum est in dubio pro eo, pro quo stat praesumptio. Atque hoc prin-

---

cepti aliquam admittere regulam et limitationem, quamvis *ex consilio* sola illa spectanda sit, ut quod praecipitur non sit malum.“ Sententiae contrariae autem est Lessius l. II. cap. 31. n. 77., cui tamen contradicit Sanchez, In decalogum l. c. n. 16. — Eadem controversia habetur de regula s. Francisci, juxta quam Superiori in omni re licita de necessitate virtutis ac voti obediendum esse affirmat recentissime Piatus Mont. I. pag. 268, contradicentibus tamen aliis ejusdem Ordinis auctoribus e. g. Corduba apud Sanchez l. c.

[1]) Haec quoad dubia praecepta legesve a quibuscunque Superioribus sive ecclesiasticis sive saecularibus data communis est sententia. et ratio ex bono communi petitur; cf. s. Alph. Theol. mor. l. I; n. 98. s.

cipium applicatur, tum quando dubitatur, utrum licitum sit exsequi, quod Superior praecepit, tum quando dubitatur de ejus competentia. 7) Quaerunt etiam, utrum obediendum sit Superiori impossibilia aut ridicula jubenti, prout quandoque accidisse historia tradit. Quod impossibilia et maxime talia attinet, quae sine vitae discrimine exsecutioni mandari nequeunt, prout ea quandoque imperata esse legitur, praesumendum est eorum conatum potius quam exsecutionem injunctam fuisse. Quae enim sine vitae discrimine exsecutioni mandari nequeunt, ea Superior injungere sane non potest. Ea vero exsequi, quae rationabili fine evidenter carent, ad perfectionem obedientiae certe pertinet, etsi eorum exsecutionem ad virtutis necessitatem pertinere haud sine fundamento negari possit. 8) Superiorum jubendi potestatem ad actus mixtos extendi seu illos, qui ex externo et interno actu componuntur, difficultate caret. Sed neque dubitandum videtur, quin actus mere quidem internos at ad eam animi dispositionem acquirendam necessarios, quae ad regularum observationem necessaria est, praecipere possint. Hi enim interni actus ad perfectionem christianam adeoque ad finem, pro quo regularis coetus institutus est, acquirendum, moraliter necessarii dici possunt. Porro 9) animadvertendum est, ea quae hucusque de obedientiae objecto diximus, intelligenda esse quoad obedientiam regularem i. e. eam, quae Superioribus attenta ipsorum dominativa et sociali auctoritate praestetur oportet. Quapropter etiam laicis praesidibus debetur, atque etiam a feminis religiosis suis Superiorissis. Ratione vero ecclesiasticae jurisdictionis alia quandoque, quae in regula nec explicite nec implicite continentur, religiosis injungi posse, extra quaestionem est (cf. infra Nr. 129.). Attamen 10) quae Superiores tamquam media perfectiones praecipere nequeunt, ea injungere possunt per modum poenae in casu transgressionis regulae aut cujusvis alterius obligationis; atque hoc sensu multa praecipere possunt, quae sunt supra regulam. Quo in

casu attendendum vero est, ut poena sit proportionata transgressioni, ob quam infligitur.[1])

122. (64) Aliquos esse, qui vi auctoritatis ejus, quam socialem diximus, aut etiam vi spiritualis jurisdictionis religiosis praecipere possunt, non autem vi voti, jam animadvertimus. Hinc quaeritur, quinam vi voti praecepta dandi potestatem habeant, seu quibusnam religiosi in vim voti sui obedire teneantur. Ad quod respondendum est ante omnia 1) votum fieri de obedientia non Deo immediate, sed immediate homini praestanda. Atque ex hoc magna hujus voti et difficultas et perfectio elucet. Hinc religiosus ratione voti non tenetur obedire legi divinae sive naturali sive positivae, nisi per hominem, cui in vim voti obediendum est, in particulari casu praescriptum hujus legis injungatur. 2) Ad eos, qui in vim voti religiosi obedientiae praecipere possunt, imprimis pertinere Superiores religiosos i. e. ejusdem Ordinis seu instituti religiosos, quibus ceterorum in regulari disciplina directio in tota religione aut in singulis provinciis singulisve conventibus incumbit, certum est. Item feminae religiosae voto obedientiam promittunt ei, quae toti domui aut Congregationi praeest. 3) Summum Pontificem, qui Supremus omnium Ordinum et institutorum est Praelatus, omnesque in vita etiam regulari dirigere potest et debet, in vim voti praecipere posse, communis jam fuit sententia,[2]) nunc autem est authentice declaratum. Eandem vero potestatem competere s. Congregationi, quae Romanum pontificem in dirigendis religiosis adjuvat, potius negant. Congregationi scil. de Religiosis certe potestas est dirigendi religiosos non tantum quoad observationem mandatorum communium, sed etiam quoad

[1]) Illas tamen austeritates et poenas, quas Superior in casu transgressionis obligationis aut regulae imponit, apte Sanchez l. c. n. 9. indirecte seu implicite in regulis contineri dicit.

[2]) Cf. Suarez tract. VII. l. X. cap. 11., n. 9. ss.; Sanchez l. VI., cap. 1., n. 8.; Pellizarius, tract. IV. cap. 4., n. 104. ss. Contradicit autem Ballerini-Palmieri, Opus theol. mor. tom. IV. n. 180. Nunc autem vide can. 499.

vitam religiosam. Putant autem Auctores Romanum pontificem ipsis non communicasse potestatem dominativam, vi cujus ipse sicut Praelati ejusdem religionis praecepta dare possit. 4) Episcopum religiosis exemptis in vim voti praecipere non posse, satis patet; nullatenus enim eos in regulari vita potest dirigere. Utrum autem in non-exemptos et maxime feminas regulares potestatem dominativam habeat, alii affirmant, negant alii. Certum autem id debet esse, posse Episcopum religiosos quoscunque, sive viros sive mulieres, qui ab ipsius jurisdictione exempti non sunt, in vita quoque religiosa dirigere. Nec approbatio regularum a s. Sede facta Episcopo eam potestatem aufert, sed id tantum efficit, ut religiosos secundum hasce approbatas regulas dirigere teneatur, nec sua auctoritate eas mutare possit. Eadem igitur ratione, qua fideles alios sibi subjectos in vita christiana secundum leges communes ecclesiasticas dirigit, tenetur religiosos sibi subjectos in via perfectionis regere juxta eorum regulas approbatas. Hinc obligatio religiosis non-exemptis incumbens Episcopo etiam de regulari vita legitime praecipienti se subjiciendi in dubium non vocatur; sed id tantum, utrum etiam in vim voti obedientiae praecipere possit.

123. (65) Ad dignoscendum, utrum Superioris praeceptum sub gravi an sub levi obliget, insuper utrum sic obliget, ut ejus transgressio violationem voti includat, haec animadvertimus: 1) Alia est quaestio, an Superior vere praecipiat idque forte etiam sub gravi, et alia, an praecipiat, nixus dominativa potestate, ratione cujus subditi ex voto obedire tenentur. Etenim ut saepius dictum est, Superiores saepe duplici, imo quandoque triplici auctoritate instructi sunt, nec raro accidit ut virtute uniuscujusque unam eandemque actionem subditis suis possint praecipere. 2) Facile praesumendum non est, Superiorem potestate sua in conscientia obligandi velle uti; neque necessario ex eo, quod praecipit, et in conscientia obligat, deducitur voluntas in vim voti obedientiae obligandi. Quando sive

unum sive alterum non constat, subditus licite stare potest pro eo, quod tam una quam altera intentio defuerit. Multum vero attendendum est ad singulorum institutorum aut Ordinum constitutiones. 3) Abstractione a particularibus constitutionibus facta ad materiam nostram generales regulae de ecclesiasticis legibus et praeceptis sunt applicandae. Scilicet: a) Supposita Superioris voluntate in conscientia obligandi praeceptum de materia gravi censendum est graviter, de materia levi leviter obligare, adeo ut judicium de gravitate aut levitate tum obligationis tum culpae in casu transgressionis a materia praecepta dependeat. b) Materiae vero gravitas aut levitas tum ex ejus natura tum ex poena qua transgressio punitur, dijudicari potest. c) Superioris voluntas in conscientia obligandi ex certa verborum formula deducitur; sic verba: praecipio, jubeo, volo, obligationem injungo et alia similia, intentionem in conscientia obligandi sufficienter indicant. Idem valet, si Superior verbo praeceptivo addit, se „in virtute sanctae obedientiae" praecipere, aut forte etiam, ut in ecclesiasticis legibus saepe legitur: „sub interminatione judicii divini"; quae verba non tantum obligationem in conscientia sed etiam gravem obligationem indicare solent. 4) Quando autem Superioris voluntas vere praecipiendi adeoque in conscientia obligandi constat, facilius praesumi potest intentio in vim quoque voti obligandi. Hinc illae locutiones, quae verum praeceptum indicant, tanquam tales exhiberi solent, ex quibus praeceptum in vim voti datum dignoscatur, supposito quod a talibus Superioribus adhibentur, qui in vim voti obligare possunt. 5) Quamplurimum attendendum est ad constitutiones ac consuetudines singulorum coetuum religiosorum.[1])

[1]) Quo magis elucescat necessitas attendendi ad singulorum Ordinum constitutiones, afferam ea, quae in Ordine Capucinorum s. Francisci (cf. Piatus Mont. I. pag. 274) et in Societate Jesu valent. Itaque in Ordine Capucinorum, a) si Superiores „tantum dicunt: Fac hoc vel illud, sub veniali solummodo censentur obligare velle, nisi aliunde de contraria praecipientis intentione certo constaret." Ita expresse dictus

124. (66) De discrimine inter sollemne et simplex obedientiae religiosae votum haec fac animadvertas: 1) Sicut omne aliud, ita etiam obedientiae votum essentialiter in promissione Deo facta consistit; neque in hoc ullum exsistit discrimen inter simplex et sollemne obedientiae votum, quia per utrumque promissio Deo fit de obedientia homini praestanda. In utroque persona, cui promissio fit et versus quam obligatio obediendi contrahitur, Deus est; persona autem, cui subjectio seu obedientia ratione promissionis Deo factae praestanda est, est homo, ita tamen ut homo ratione sui hanc obedientiam non possit exigere. Hinc neque homo, cui vovens se subjicere tenetur, de ullo jure aut debito sibi violato conqueri potest, si nihil nisi votum obedientiae spectatur. Per violationem voti obedientiae non laeditur debitum hominis sed debitum Dei. Si vero cum voto simul conjunctus est quidam socialis contractus, qui traditio et acceptatio dici solet, stricte vero rem considerando aliqua saltem mutua obligatione continetur, is qui in societate Superior est, ratione etiam sui subjectionem exigere potest adeo ut, si ea subjectio laeditur, Superioris debitum laedatur. Hinc quia cum votis non tantum sollemnibus sed etiam simplicibus religiosis dicta traditio acceptata conjuncta est, ideo sollemnis a simplici obedientiae voto discrimen non in eo consistere potest quod prius traditionem acceptatam adjunctam habet, alterum non habet. Discrimen igitur secundum ea, quae supra diximus, consistit in eo, quod traditio alia multo perfectior fit in sollemni quam in simplici obedientiae voto.[1])

auctor. Hinc b) deduco, si Superiores verbis adhortativis aut precatoriis tantum utuntur, de absentia veri praecepti constare. c) „Praelatorum praecepta ad mortale obligant, quando dantur his verbis: Praecipio; Per sanctam obedientiam injungo.“

In Societate Jesu a) sive adhortativis aut precatoriis sive praeceptivis ut e. g. volo, jubeo etc. utitur Superior in rebus quibuscunque, etiam in gravibus, nullam obligationem, saltem non ad peccatum mortale, ejus voluntas inducit; nisi b) „in nomine Domini nostri Jesu Christi vel in virtute sanctae obedientiae juberet“. Constit p. VI. cap. V.

[1]) Cf. Suarez tract. VII. l. X. cap. 2.

2) Effectus voti sollemnis obedientiae in eo consistit, quod voventem inhabilem reddit ad firmiter se obligandum quacunque personali obligatione; quod sic intellige: a) Obligationes a professo susceptae non quidem invalidae sunt at *infirmae;* scil. b) eas Superior potest irritare, si vult, etiam sine causa; si vero eas non irritat, subditus eas exsequi tenetur. Idque c) de omnibus obligationibus valet, quas professus contrahit, sive erga Deum sive erga homines. Imo putare quis potest tales actus nunc etiam invalidos esse, cum juxta can. 579. professio sollemnis reddat actus votis contrarios, si sint irritabiles, etiam invalidos. Attamen dicendum est, promissionem alicujus actionis ex jure divino et humano licitae non esse contra votum, nisi sit expresse a Superiore prohibita vel intentio promittentis sit sese firmiter obligandi etiam contra voluntatem Superioris forte postea contradicentis. Ideo nova lex hac in re nihil immutavit. d) Ea incapacitas ad firmiter sese obligandum voto obedientiae addita est de jure ecclesiastico. Nulla equidem privata persona eam habilitatem ipsa sibi adimere per se potest; auctoritas vero publica Ecclesiae sicut inhabilitatem ad contractus de bonis temporalibus et ad matrimonialem contractum, ita eandem inhabilitatem ad quascunque personales obligationes suscipiendas inducere potest.[1]) 3) Effectus autem simplicis voti religiosi non

---

[1]) Cf. Suarez tract. VII. l. II. cap. 13. n. 8: „Licet religiosus possit valide naturaliter obligari, non tamen firmiter neque irrevocabiliter, quia potest a Praelato ejus obligatio irritari; sicut de votis religiosorum docuit divus Thomas et nos cum illo . . . . Quam doctrinam merito extendit Navarrus ad promissionem et obligationem naturalem religiosi factam homini, et sane merito. Nam si tanta est potestas Praelati religionis in voluntates subditorum, ut etiam obligationem Dei factam pro suo arbitrio possit auferre, profecto eandem vel majorem habet ad irritandum omnem etiam obligationem, quam quovis modo religiosus sua voluntate contraxit". Haec Suarez, respondens ad quaestionem, in quo consistat sollemnitas voti obedientiae. Hoc ultimum autem argumentum Navarri non videtur omnino firmum; nam omnis obligatio homini facta includit obligationem ex voluntate Dei provenientem, quae imperat, ut contractus impleantur,

est dicta inhabilitas. Multas quidem obligationes, quas simplicium votorum professus suscipit, Superior irritare potest, at ea irritatio nisi in votis non est directa, nec ad omnes obligationes susceptas se extendit sed ad eas tantum, quae Superioris et religiosi coetus juri per traditionem accepto praejudicant.

125. (67) De obedientiae violationibus praemittendae sunt hae generales animadversiones: 1) Distinguatur oportet inter ea, quibus obedientiae votum et ea, quibus obedientiae virtus laeditur. Nullatenus enim ea omnia, quae sub obedientiae virtute comprehenduntur, etiam objectum sunt voti obedientiae. In hoc igitur obedientia a castitate differt, quippe quum hujus tum virtus tum votum eandem habeant latitudinem. Convenit vero in hoc obedientia cum paupertate, quum non ea omnia, quae paupertatis virtutem laedunt, etiam votum paupertatis laedant. Praeterea in virtute obedientiae adhibenda est distinctio inter ea, quae sunt de necessitate seu obligatione virtutis, et ea, quae sunt de ejus perfectione. Horum scilicet violatio detrahit de pulchritudine virtutis ejusque splendore, quin per se peccatum constituat; illorum vero violatio, quum contrarietur obligationi, peccatum aut grave aut leve constituit. 2) Peccatum, quo obedientiae religiosae votum violatur, certe duplicem continet in se malitiam, unam irreligiositatis, quatenus laedit promissionem Deo factam de obedientia praestanda, alteram inobedientiae, quatenus laedit illud debitum peculiare, quo, abstractione a voto facta, religiosus subjicitur Superiori suo.[1]) At voti laesio

---

et saepe Deus difficilius remittit talem obligationem, quam promissionem ipsi factam, ideo saepe conceditur facultas dispensandi in votis sub ea conditione „dummodo non laedatur jus tertii", et nunc Superior etiam vota professorum a votis simplicibus directe irritare potest (can. 1312. § 1. coll. can. 501. § 1.; cf. hac de re supra pag. 63.) non promissionem homini factam.

[1]) De quo haec adhuc fac animadvertas: 1) Votum obedientiae, quod extra quemcunque coetum religiosum emittitur, e. g. id quod devotus aliquis homo emittit de obediendo in omnibus, quae ad suam

etiam aliam malitiam adhuc includere potest. In solius quidem virtutis obedientiae laesione debiti divini laesio non continetur, sed tantum laesio ejus, quod homini debetur; at praeter hujus debiti violationem peccatum inobedientiae aliud adhuc debitum laedere potest.

In specie enimvero haec sunt notanda: 1) Ut obedientiae votum laedatur, non sufficit laesio praecepti a Superiore dati, sed requiritur laesio praecepti a Superiore in vim voti seu ex potestate sua dominativa dati. Quum enim Superior potestatem praecipiendi ex variis fontibus habeat, subditus inobedientia sua eam tantum obligationem laedit, quam Superior ei imposuit; proinde si Superior non imponit obligationem vi voti obediendi, ea obligatio non laeditur nec peculiaris malitia irreligiositatis contrahitur. Quandonam vero Superioris praeceptum in vim voti datum sit censendum, supra innuimus. Laesio vero voti obedientiae in casu praecepti ex dominativa potestate dati aut gravis est aut levis. Ut gravis sit, praeter plenam actus deliberationem requiritur materiae gravitas. Itaque qui sciens, agi de materia gravi et praeceptum vi dominativae potestatis a Superiore imponi, volens simpliciter

---

conscientiam pertinent, confessario suo, adjunctam etiam habere *potest* promissionem homini factam de obedientia ipsi praestanda; haec autem promissio est elementum voto extrinsecum. Si ea promissio homini facta addita est promissioni Deo factae, obedientiae violatio item duplex debitum laedit, unum divinum, alterum humanum, sicque duplicem in se continet malitiam; cf Suarez ib. l. X. cap. 2 2) Traditio, quam vota in religione emissa adjunctam habent, fit equidem Deo at non immediate, sed mediante Ecclesia, ita ut religiosus per contractum, quem socialem diximus, ligetur ad coetum religiosum ex hominibus constantem. Quia vero coetus religiosus est corporatio ecclesiastica speciali modo Deo dedicata atque cum omnibus iis, quae est et quae habet, Deo consecrata, patet per traditionem coetui religioso factam fieri traditionem ad Deum. Unde etiam patet, quare religiosi omnes sint personae sacrae, ita ut violenta seu injuriosa in eos manuum injectio sacrilegium constituat, dum eadem manuum injectio in personas saeculares voto castitatis, obedientiae aliisque forte etiam votis ligatas sacrilegium non constituat. Hae enim Deo mediante Ecclesia traditae non sunt, priores vero sunt.

praeceptum omittit, graviter peccat; leviter autem, si sciens, et volens praeceptum de levi materia datum omittit; item leviter peccat qui sciens, de quo agatur, substantiam quidem gravis negotii exsequitur at non in sua totalitate seu integritate praeceptum servat, sed ipsum in levi materia aut circumstantia, ad praeceptum de cetero pertinente, negligit. 2) Quando vero Superior praecipit quidem seu obligationem aliquid faciendi aut omittendi imponit, quin ex potestate dominativa eam imponere intendat, praecepti transgressio laedit aut obedientiae virtutem, aut eam virtutem, ad cujus ambitum actus praeceptus pertinet, aut utramque simul. Unusquisque enim honestus actus ad certam honestatis speciem adeoque ad certae alicujus virtutis ambitum pertinet. Habet vero Superior religiosus, eadem ratione atque Superior ecclesiasticus potestatem actus virtutis praescribendi ex motivo huic virtuti proprio. Hinc si Superior aliquem actum ex motivo ipsi proprio tantum imponit, transgressio malitiam ei virtuti contrariam tantum continet. Si praecipit ex obedientiae motivo tantum, haec virtus tantum violatur in casu transgressionis. Si praecipit ex utroque motivo, utraque laeditur virtus. Ex his vero deducitur, triplicem malitiam inesse inobedientiae, quando Superior tum vi voti, tum ex obedientiae motivo et simul ex motivo ejus virtutis ad cujus speciem actus praeceptus ex sua natura pertinet, praecipere vult. Hinc patet, Superiorem posse obligare subditum suum multipliciter; utrum vero eum velit obligare, et utrum multiplicem ei obligationem velit imponere, id a sancta ipsius discretione dependet. 3) Quaerunt vero Auctores, utrum per laesionem obedientiae Superiori debitae etiam justitia laedatur; per eam enim jus Superioris laedi videtur. Respondendum est negative, eo quod traditio acceptata, vi cujus professus membrum fit coetus religiosi, etsi veri contractus rationem habet, tamen vi contractus obligationem obediendi ex justitia non imponit. Eo quod quis membrum fit alicujus coetus, contrahit debitum obedientiae et subjectionis, et Superiores acquirunt potestatem

ab ipso obedientiam exigendi; haud tamen debitum obedientiae in debitum justitiae transit.[1]) Idem etenim in hoc sociali contractu accidit, quod in aliis quoque obtinet. Sic famulus domesticus, qui per famulitium contractum in societatem domesticam transit, obedientiae quidem obligationem in iis, quae ad ordinem domesticum pertinent, vi contractus suscipit; si vero expressum etiam heri sui praeceptum de ordine domestico datum negligit, non justitiam commutativam laedit, sed tantum obedientiam. Idem dic de cive qui societati politicae adjungitur, atque de eo, qui per adoptionem subjicitur patri adoptanti, etc. 4) De necessitate virtutis obedientiae est exsecutio ejus, quod injungitur, ita ut is obligationem veram non laedat, qui id exsequitur, quod ei injunctum est; dummodo id etiam ea ratione exsequatur, quae injuncta est. Perfectio vero obedientiae varia praeterea exigit, quae partim ad exsecutionem externam actus injuncti, partim ad internam dispositionem animi referuntur, cum qua externa exsecutio fit. Sic virtutis substantiam quidem non laedit, qui praeceptum integrum exsequitur, attamen tarde; item qui opus praescriptum ponit, attamen melius ipsum potuisset ponere, si cum majori alacritate ad ipsum se accinxisset. Ad internam obedientiae perfectionem pertinet, ut externa exsecutio fiat sine interna animi reluctantia et a fortiori sine interna murmuratione, seu ut tam voluntas quam intellectus subditi voluntati et intellectui Superioris, quantum id fieri potest, conformentur.[2])

---

[1]) Ita omnino dicendum videtur contra ea, quae dicit Suarez tr. VII. l. X. cap. 6., qui aliquam verae injustitiae rationem in peccato inobedientiae contineri putat; atque eadem ratione, qua Suarez etiam alii loquuntur.

[2]) Addenda hic aliqua sunt de stabilitate atque de promissione circa ipsam facta. Itaque stabilitas generatim significat quandam constantiam in semel coeptis; in Ordinibus autem religiosis designare solet perseverantiam in eo coetu religioso, in quem quis receptus est. Sic membra Congregationis ss. Redemptoris emittunt „votum et juramentum perseverantiae", additum votis tribus simplicibus paupertatis, castitatis

Si in tractatu de voto obedientiae supponimus alteram sententiam de potestate Superiorum duplici et non triplici (exposita supra pag. 54. Nr. 36.) et de voto obediendi omni auctoritati legitime in ordine ad perfectionem christianam imperanti, nonnulla etiam quoad obligationem voti obedientiae aliter explicari debent. 1) Imprimis patet in illa sententia omne praeceptum, dummodo sit verum praeceptum (in oppositione ad consilium, desiderium, monitum) eo ipso cadere etiam sub voto, quapropter violatio virtutis obedientiae, quae non sit simul violatio voti, est impossibilis. Per hoc autem non negatur, posse exerceri actum virtutis obedientiae, etiam ubi nulla est obligatio ideoque neque obligatio voti. — 2) Per professionem non quidem oritur potestas stricto sensu nova in Superiore, sed illa, quam jam habuit sive sit jurisdictionis sive sit domestica sive utraque simul, extenditur ad opera perfectionis, quae voto promissa sunt vel per susceptionem status religiosi obligatoria fieri possunt, sine votis autem praecipi nequivissent. Insuper potestas domestica non esset vere dominativa, nisi antecessisset traditio sui religioni facta, qua professus non amplius potest pro lubitu religioni valedicere et sic potestati se subtrahere. Post traditionem vero homo non amplius manet sui juris sed est religionis ideoque concedendum est hanc potestatem magnum inde augmentum sumpsisse, imo haec traditio videtur in se includere veram promissionem obedientiae,[1]) etiamsi expresse talis promissio religioni non fiat, qua

---

et obedientiae. Obligationem ex eo „voto et juramento" exsurgentem Marc, Institutiones morales n. 217. obligationem stabilitatis vocat. De indole hujus voti aut juramenti perseverantiae aptissime ratiocinatur s. Alph. Theol. mor. l. III. n. 255., ubi in ipso contractum ultro citroque obligatorium inter profitentem et Congregationem professionem acceptantem contineri ait. Quando haec stabilitatis promissio in tali coetu religioso fit, qui ex una tantum domo constat — quas Codex domos sui juris nominat — in promissione permanendi in instituto regulari simul continetur promissio permanendi in ea domo seu monasterio, quae stabilitas loci quandoque vocatur. Atque in hoc sensu intelligenda venit promissio stabilitatis, quae ex regula s. Benedicti cap. 58. a professente fieri debet: „Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua et conversione morum suorum et obedientia coram Deo et sanctis ejus." Obligatio autem stabilitatis quae in quibusdam coetibus religiosis suscipitur expressis verbis, in aliis implicite suscipitur per traditionem sui ad coetum religiosum, quam cuivis professioni inesse supra diximus.

[1]) Hoc idem sentit Ballerini-Palmieri, Opus theologicum morale, vol. IV. p. 99. Nr. 165. et videtur esse sententia sti. Thomae, 2. 2. qu. 88. a. 5. ad 3. (quem locum citat Ballerini-Palmieri): Votum soli Deo fit, sed promissio etiam postet fieri homini. Et ipsa promissio boni,

contingit, ut Deo per votum solummodo promittatur id, quod homini debetur. — 3) Manet tamen obligatio gravis vel levis ex virtute obedientiae et ex voto, prout materia praecepti est gravis vel levis aut prout in ipsa materia gravi Superior vult obligare sub gravi vel sub levi. — 4) Potestatem praecipiendi, ut etiam obligatio ex voto oriatur, habent omnes illi Superiores, qui possunt sive ex legibus Ecclesiae sive ex legibus religionis sive ex delegatione alterius vere obedientiam exigere sive hoc possint vi potestatis jurisdictionis sive vi potestatis dominativae. — 5) Ideo ut summus Pontifex possit exigere obedientiam ex voto, non requiritur, ut habeat potestatem dominativam, sed sufficit ut possit obligare per legem aut per praeceptum ecclesiasticum, quod procedit ex potestate jurisdictionis. Non tamen ideo omnes leges ecclesiasticae obligant etiam ratione voti, nisi sint speciales leges pro religiosis, ut e. g. sunt regulae et etiam illae solum, quando obligant sub peccato; votum enim emittitur obediendi in iis, quae ad perfectionem spectant.

Art. II.

De obligatione tendendi ad perfectionem.

126. (68) De religiosorum obligatione ad perfectionem tendendi haec pauca notasse sufficiat: 1) Status religiosus, ut dictum est, peculiaris est status ab Ecclesia ad id institutus multisque privilegiis auctus, ut membra ipsius ad christianam perfectionem tendant. Hinc qui hunc statum suscipiunt, eo ipso se obligant ad id, ut perfectionem christianam consequi conentur. Nec dubitare licet, quin haec obligatio gravis sit. 2) Attamen ipsa non est obligatio specialis seu particularis sed generalis, quae adimpletur per adimpletionem aliarum obligationum; eadem scilicet ferme ratione atque obligatio generalis est dilectio sui ipsius et procuratio salutis animae propriae. Sicut enim unusquisque satisfacit obligationi salvandi animam suam, si singularia praecepta omnia observat, salus vero animae

---

quae fit homini, potest cadere sub voto, inquantum est quoddam opus virtuosum. Et per hunc modum intelligendum est votum, quo quis vovet aliquid sanctis vel Praelatis. ut ipsa promissio facta sanctis vel Praelatis cadat sub voto materialiter inquantum scilicet homo vovet Deo se impleturum, quod sanctis vel Praelatis promittit."

cuivis ratio est et esse debet singula praecepta servandi, ita etiam religiosus satisfacit obligationi tendendi ad perfectionem, si particulares proprii status obligationes adimplet; obligatio vero tendendi ad perfectionem aliqua etiam ipsi ratio est, ex qua particulares status sui obligationes adimplere tenetur.[1]) Hinc patet 3) quandonam religiosus hanc obligationem graviter et quando leviter laedat. Graviter eam laedit a) actu formali contemnendo perfectionem christianam aut intendendo eam non attingere. Qui enim contemnit perfectionem ipsam, virtualiter contemnit media necessaria ad eam obtinendam adeoque obligationes etiam graves ipsi incumbentes. Insuper contemptus perfectionis continet in se contemptum obligationis gravis tendendi ad eam, sicque peccatum grave constituit. Dein b) graviter eam laedit per intentionem non observandi vota sua aliasque obligationes graves non adimplendi, eadem ratione atque caritatem sibi ipsi debitam is laedit, qui intentionem concipit praecepta graviter obligantia non implendi, sine quorum observatione salutem animae obtinere nequit. c) Voluntate negligendi regulas aliaque aut nullatenus aut sub veniali tantum obligantia, idque ex contemptu seu cum animo non subjacendi illis; tandem d) etiam voluntate servandi ea tantum, quae sub gravi obligant, cetera vero negligendi; haec enim voluntas religiosum exponit gravi periculo etiam ea non observandi, ad quae servanda sub gravi tenetur.[2])

Art. III.

De obligatione observandi regulas.

127. (69) Sub regulis tanquam termino complexivo hic intelligimus tam regulas proprie dictas, inter quas maxime quatuor eminere supra diximus, quam constitutiones, item

---

[1]) Cf. Sanchez, In decalogum l. VI. cap. V.

[2]) Cf. s. Alphons. Theol. mor. l. IV. (De praeceptis particularibus) n. 10.

decreta Capitulorum seu congregationum, adeoque ea omnia, quae ultra vota, obedientiae praecepta, legesque ecclesiasticas religiosis datas, tanquam normae vitae religiosae ipsis praestituta sunt. Quia vero in diversis coetibus religiosis diversimode obligant, de horum observatione haec sufficiant principia: 1) Si in aliqua regula dicitur, se obligare quantum possit, dubitari nequit, quin sic obliget in conscientia ut ipsius laesio in materia gravi peccatum constituat grave, in materia levi peccatum leve. Item si regula dicit, se obligare in conscientia, pro eo standum est, quod in materia gravi gravem etiam obligationem inducat, nisi addatur regulam, etsi in conscientia obliget, in omnibus levem tantum obligationem imponere.[1]) 2) Si regula declarat se non obligare sub peccato, ipsius observatio in conscientia quidem non obligat; nihilominus autem a) erraret is, qui regulas pro meris consiliis haberet; sunt enim leges poenales, quarum violatio a Superioribus puniri sic potest, ut jus ipsis sit obligationem in conscientia imponendi ad poenam pro qualitate transgressionis subeundam. Dein b) regulae quidem transgressio ex motivo honesto facta, ideo quia regula in conscientia non obligat, peccatum non est. Attamen culpa aliqua non caret, si transgressio motivo honesto caret, e. g. si ex negligentia, animi torpore etc. fit. Imo dicendum est, ad transgressionem regulae honestum motivum non adeo frequenter haberi. c) Ille qui frequenter et quasi ex consuetudine regulas violet (non unam aut alteram sed quamplurimas), religiosam disciplinam graviter peturbat sicque grave detrimentum bono communi infert, graviter peccat idque tunc potissimum, si ea de causa in periculo expulsionis se constituit. Tandem d) graviter peccat religiosus laedendo regulam ex contemptu formali. Ubi tamen nota, sub formali contemptu eum intelligi, quo contemnitur ipsa

---

[1]) De iis, quae in regula s. Francisci obligant in conscientia, cf. cap. Exiit 3. De verborum significatione (V. 12.; Nicolaus III.) et maxime cap. Exivi 1. eod. in Clem. (V. 11.; Clem. V.).

auctoritas jubens, non vero eum, quo contemnitur praecepti seu regulae materia utpote minoris momenti, nullius utilitatis etc., nec quo contemnitur persona humana praecipiens. Ex eo igitur, quod auctoritas eadem est, sive parva praecipiat sive magna, illud fit, ut contemptus formalis praecepti de minima re peccatum grave constituat.[1])

128. (70) Quaestio fit de religiosis, qui sub disciplina relaxata professionem emiserunt, utrum scil. aliqua obligatio ipsis incumbat, primaevam regulam observandi an vero regulae, prout in usu est, sese conformare possint. Ad quod respondendum est 1) posse primaevum rigorem duplici modo mitigari, per dispensationem apostolicam et per consuetudinem. Si priori modo facta est mitigatio, quaestio difficultate sane caret. Si modo posteriori facta est, plura sunt animadvertenda. Itaque 2) generatim pro certo haberi debet, leges, quae in coetibus religiosis vigent, consuetudine contraria mutari adeoque abrogari et derogari posse, sicut alia ex parte consuetudine novae obligationes novique rigores introduci possunt. Regulae religiosorum leges sunt ecclesiasticae particulares, adeoque, quod de legibus ecclesiasticis in genere valet, recte de ipsis quoque affirmatur. Requiruntur vero ad regularum abrogationem eaedem conditiones, quae ad abrogandas aut mitigandas ecclesiasticas leges in genere requiruntur. Hinc 3) quum inter hasce conditiones inveniatur etiam rationabilitas consuetudinis legem immutantis, ea autem consuetudo rationabilis dici nequeat, quae aut directe aut

---

[1]) Hac occasione illud quoque animadvertere juvat, neglectum alicujus regulae, quando a Superiore inculcatur, ex contemptu ortum peccatum grave esse posse, licet non subsit contemptus formalis auctoritatis jubentis, sed contemptus personae jubentis. Manifestum enim est, Superiori per contemptum personae ipsius gravem posse fieri injuriam tam interne quam externe; hinc regulae a Superiore inculcatae transgressio, quae ex *graviter culpabili contemptu personae* Superioris procedit, certe ratione talis motivi grave peccatum constituit. Inde patet, quod transgressio regulae aut praecepti ex contemptu leviter culpabili personae Superioris procedens leve peccatum sit.

indirecte legi naturali aut divinae obstat i. e. quae ansam praebet peccandi, inde fit, ut non tantum eae regulae, quae obligationes votorum religiosorum accuratius determinant sed eae quoque, quae quasi antemurale votorum aliarumque obligationum, sive hae obligationes de jure naturae sive de jure positivo divino aut humano sint, dummodo jus humanum vere in conscientia obliget, constituunt, consuetudine abrogari nequeant. Praeterea id quoque notandum est, quum obligatio tendendi ad perfectionem christianam omnibus religiosis incumbat idque sub gravi, eas consuetudines eamque vivendi rationem, quae hunc conatum multum impediant, rationabilitate carere adeoque consuetudine introduci non posse. Regulae vero talia praescribentes, sine quibus tam vota quam aliae obligationes quaecunque, sive religiosis tantum sive fidelibus omnibus incumbentes, commode servari possunt, consuetudine tam abrogari quam mitigari possunt.[1]) 4) De singulo vero aliquo religioso, qui sub relaxata disciplina professionem emisit, idem valet, quod de quocunque Christiano et subdito alicujus dioecesis valet, in qua consuetudo aliqua etsi illegitima contra legem ecclesiasticam exsistit. Sicut talis subditus consuetudini etsi illegitimae se conformare potest, quum nimium onus ei imponeretur, si ipse solus legem observare teneretur aliis eam negligentibus, sic et religiosus regulam, consuetudine etsi illegitima abrogatam aut mitigatam, secundum primaevum suum rigorem observare non tenetur.[2]) Id tamen cum his limitationibus

---

[1]) Tanquam exemplum earum regularum, quae consuetudine abrogari possunt, scriptores eas afferre solent, quibus variae afflictationes corporis praescribuntur ut jejunia, disciplina; item rigores quidam in servanda paupertate, in victu, vestitu, habitatione etc. „Hinc etiam Panormitanus in cap. *Quum ad monasterium*, De statu monachorum n. 18. cum Cardinali et aliis dicit, in monasteriis, in quibus est immemorialis consuetudo comedendi carnes, licitum esse eas comedere, etiamsi alias videatur per regulam prohibitum.“ Suarez l. c. l. X. cap. 8. n. 18.

[2]) „Est optima ratio, quia regula debet esse communis; quamdiu autem non est facta reformatio, nemo (singulus) potest introducere re-

intellige: a) Quod diximus, de iis consuetudinibus valet, quae nihil continent quod in se peccaminosum est; b) etsi consuetudo nihil peccaminosi in se contineat, nequit eam adhuc observare religiosus, si observatio primaevae regulae propter peculiarem ipsius indolem necessaria ei sit ad peccata vitanda; tandem c) quantum adjuncta id permittunt, operam dare debet, ut consuetudo *illegitima* abrogetur et primaeva regula in usum denuo introducatur.

129. (71) Praeterea quaeritur, utrum religiosi, qui sub disciplina mitigata professionem emiserunt, ad primaevum rigorem redire teneantur, quando hic reditus aut a summo Pontifice aut a Superioribus religionis praescribitur. Dicendum autem est: 1) Ratio de hac obligatione dubitandi ex eo oritur, quod religiosorum obligatio ad peculiaria status sui officia immediate ex mutuo consensu inter religiosum profitentem et religionem professionem ipsius acceptantem exsurgit. Profitens vero intentionem in obligationibus suscipiendis coarctare sane censetur ad eas regulas et ad eum vivendi modum, qui et quatenus in usu est. Hinc reditus ad primaevum rigorem sic ab ejus intentione exclusus est, ut in quocunque alio religioso exclusa est intentio ultra regulam proprii coetus religiosi se obligandi. 2) Hac intentione non obstante religiosi se subjicere tenentur ei reformationi, qua consuetudines sive ob defectum rationabilitatis sive ob quemcunque alium defectum illegitime introductae abolentur. Item 3) eas novas leges acceptare tenentur, quae disciplinam adhuc vigentem tuentur seu, quae saltem quadamtenus necessariae sunt ad id, ne disciplina etiam magis collabatur. Atque has leges novas dare possunt, ut ex antea dictis patet (cf. Nr. 120.) non tantum supremae auctoritates ecclesiasticae, sed auctoritates quoque in ipsa religione exsistentes, quae leges

---

gulam communem contra praescriptam et non pravam consuetudinem; ergo nemo potest durante illo statu obligari ad obediendum secundum primitivam regulam.“ Suarez l. c.

aut praecepta dandi potestate sunt instructae. 4) Extra hosce autem casus nec vi voti obedientiae nec ea auctoritate, quam Superioribus ex indole sociali religiosorum coetuum competere diximus, religiosi obligari posse videntur ad primaevae regulae rigori sese subjiciendos. Ratio hujus, ut modo jam innuimus, in generali principio est sita, secundum quod „contractus a consensu legem accipiunt", seu contractus ultra contrahentium intentionem non obligant. Ex eo igitur, quod professus ingressus est coetum religiosum his regulis mitigatis hacque mitigata vivendi norma instructum, sese subjecit auctoritati juxta hanc regulam coetum dirigenti atque obedientiam vovit versus Superiores, quorum potestas jubendi intra certos terminos ita restricta sit, ut quae supra hanc regulam huncque vivendi et ad perfectionem tendendi modum sunt, in conscientia imponere nequeant (cf. supra Nr. 120.). Attamen 5) quae Superiores religiosi nec dominativa nec ea quam socialem diximus auctoritate injungere valent, ea saltem saepissime summae ecclesiasticae auctoritates, Romanus scil. Pontifex et sacra Congregatio summo Pontifici adjutorium in religiosis dirigendis praestans, imo ipsi Superiores religiosi vi jurisdictionis ecclesiasticae, qua forte potiuntur, injungendi jus habent. Dixi tamen: saepissime. Etenim summi Pontificis etiam jurisdictio, saltem ordinarie, non se extendit ad actus heroicos; proindeque licet actus difficiliores sane injungere possit, non tamen ea vel religiosis injungere valet, quae aut in se considerata aut ob temporis pro quo injunguntur diuturnitatem veram heroicitatem exigunt. Quae vero talia non sunt, ea summus Pontifex sive uni sive multis, quando Ecclesiae bonum id vere exigit, imperare sane valet. Summi enim Pontificis potestas non coarctatur ad ea, quae aliquo contractu sunt constituta; ipse potest ea membris Ecclesiae injungere, quae ad commune ejus bonum necessaria sunt. Hinc sicut monachis, qui ratione professionis suae ad solitariam vitam tenentur, injungere potest iter in regiones longinquas ad laborandum in conversione infidelium, quando

id Ecclesiae bonum vere exigit,[1]) ita etiam religiosis, qui sub mitigata aut relaxata regula professionem emiserunt, observationem strictioris regulae imperare potest. Imo si Ecclesiae bonum vere id exigat, in casu extraordinario summus Pontifex etiam actus vere heroicos injungere potest.

Art. IV.

De religiosorum obligationibus ex Ecclesiae legibus ortis.

(Codex cann. 592. et 594.—612.)

§ 1. De obligationibus communibus clericorum a religiosis servandis.

(cann. 592. et 124.—142.)

130. Quia can. 592. statuit: „Obligationibus communibus clericorum, de quibus in can. 124.—142., etiam religiosi omnes tenentur, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet", etiam de illis obligationibus agendum est, breviter tamen, cum sedes propria hujus materiae habeatur in tractatu de vita et honestate clericorum. Aliqua hac de re jam diximus (cf. Nr. 79. pag. 132., Nr. 105. pag. 176.), alia sequentibus §§. proponenda sunt, ut e. g. in tractatu de clausura quoad cohabitationem cum mulieribus (can. 133.) in tractatu de choro quoad recitationem divini officii (can. 135.) etc. Hic ergo solum de illis obligationibus sermo erit, quae alibi non commemorantur, quamvis etiam ad religiosos pertineant. Sunt praesertim illae leges, quibus clericis certa oblectamenta certaque negotia saecularia interdicuntur. Imprimis prohibentur per can. 138., 140. et 141. ea, quae statum clericalem et religiosum dedecent et quidem 1. *artes indecoras exercere,* quales sunt mimae, histrionis etc. (can. 138.)[2]). —

---

[1]) Cf. Sanchez, In decalogum l. VI. cap. II. n. 48.

[2]) Cf. Cap. Clericis 15. De vita et honest. cleric. (III. 1.), Cap. Clerici, unicum (III. 1. in 6.), Conc. Trident. sess. XXII. cap. 1. de ref.; Wernz, Jus decret. II. I². pag. 324. Nr. 214., Ferreres, Inst. can.,

2. *aleatoriis ludis vacare pecunia exposita* (can. 138.)[1]). Haec certe in sensu composito sunt sumenda scil. pecunia exposita non esse indulgendum ludis, qui potius fortuna quam arte reguntur. Si autem solum honestae recreationis causa nulla re alicujus valoris exposita fiunt, hoc certe non omnino prohibetur sed, ut patet, faciendum est cum debita moderatione. Praesertim interdicuntur ludi etiam per leges civiles non admissi (Hazardspiele), ubi periculum est de facili perdendi magnam summam simul cum periculo excitandi passiones immoderate lucrandi, quo etiam gravia peccata committi possunt. — 3. *Venationi ne indulgeant* (can. 138.),[2]) i. e. non nimis addicti sint; scil. sicut antea etiam nunc non omnis venatio etiam tranquilla (auf den Anstand gehen) vel forte etiam cum cane stricte prohibetur, sed non licet inclinationem ita fovere, ut tandem occasio venandi nonnisi cum magna difficultate interna omitti possit. Stricte autem interdicuntur venationes clamorosae (Treibjagden, Hetzjagden); nam „numquam eam exerceant", dicit can. 138. — 4) *Tabernas et loca similia ingredi* sine justa causa ab Ordinario probata vel sine necessitate non licet.[3]) Necessitas habetur e. g. in itinere, justa causa, si coetus catholicorum ibi conveniant, quibus clerici vel religiosi assistere debeant vel alia similia accidant. Patet jus probandi causam quoad religiosos maxime ad eorum Superiores pertinere, potest tamen certe etiam Episcopus leges communes magis determinare et tali lege etiam religiosos

---

I. pag. 105., Pöschl, Kurzgef. Lehrb. d. kath. Kirchenr. I. pag. 108., Brandys, Kirchl. Rechtsbuch für die religiösen Laiengenossenschaften (Paderborn, Schöningh 1918.), pag. 50. Nr. 65. ss.

[1]) Cf. Cap. Quum decorem 12. et Clericis 15. De vita et hon. cler. (III. 1.); Scherer, Handb. d. Kirchenr. I. pag. 374. praesertim nota 14.

[2]) Cf. Wernz, Jus decret. II. 1. pag. 325. Nr. 214. V.

[3]) Cf. Cap. supracitatum: Clericis 15. (III. 1.), Wernz, Jus decret. II. I². pag. 324. Nr. 214. II., Scherer, Handb. d. Kirchenr. I., pag. 375. nota 17.

obligare. — 5. *Arma ne gestent,*[1]) nisi quando justa timendi causa subsit (can. 138.), quod certe imprimis obtinet in terris missionum, ubi ferae bestiae missionario itineranti periculo esse possint; attamen neque justa defensio contra criminosos homines clericis et religiosis omnino interdicitur. — 6. *Spectaculis, choreis et pompis,*[2]) quae eos dedecent vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris ne intersint (can. 140.). Ex verbis canonis patet relinqui a lege magis prudentiae singulorum et praesertim Superiorum, quid hac in re dedeceat vel scandalo esse possit. — 7. *Saecularem militiam ne capessant voluntarii,* nisi cum sui Ordinarii licentia, ut citius liberi evadant, id faciant; neve intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus opem quoquo modo ferant.

131. Quoad illos, qui non voluntarie sed lege civili constricti militiae saeculari nomen dare debent, jam rescriptum ex audientia Pii IX die 21. Aprilis 1871. a secretario s. Congr. Ep. et Reg. habita s. Ordini Cist. concesserat, ut novitii postea militiam ingressuri finito novitiatu professionem simplicem ad 6 tantum menses valituram emitterent, quod rescriptum postea die 2. Septembris 1896. magis declaratum, tandem die 29. Decembris 1909. etiam ad Ordinem sti. Joannis de Deo extensum est.[3]) Die autem 1. Januarii 1911. universale decretum s. Congr. de Rel. jussu Pii X. editum[4]) et die 1. Februarii 1912. ab eadem s. Congregatione[5]) accuratius determinatum est, quo sequentes regulae pro religiosis militibus statuuntur: In Ordinibus regularibus ad professionem sollemnem vel ad sacros ordines nemo admitti potest, qui servitium militare non peregerit, nisi constet eum ab hoc exemtum esse. Sollemnis professio ex errore de exemptione emissa est invalida. Pro missionariis Sta. Sedes opportunas dispensationes concedet. — In Congregationibus vero religiosis pariter vota perpetua ante servitium militare emitti non possunt, vota autem temporaria durante servitio

---

[1]) Cf. Cap. Clerici 2., De vita et hon. cleric. (III. 1.), Cap. Dioecesanis 1. ejusdem tituli in Clem.; Scherer, Handb. d. Kirchenr. I. pag. 384.

[2]) Cf. Wernz, Jus decret. II. I², pag. 395. Nr. 214. IV.

[3]) Acta Apost. Sedis II. (1910.) pag. 60.

[4]) Decretum s. Congr. de Religiosis „Inter reliquas", Acta Apost. Sedis III. (1911.) pag. 37.

[5]) Acta Apost. Sedis IV. (1912.) pag. 246.

militari nequeunt (ne valide quidem) renovari.[1]) Si tamen ante hoc decretum vota perpetua jam emissa fuerint, illa per servitium militare non cessant. Post reditum autem vota temporaria ante professionem perpetuam ad annum renoventur. — Tempore servitii militaris religiosi pericula vocationis evitare debent ideoque a conventiculis suspectis, theatris, choreis etc. abstinere; econtra frequentent sacramenta, coetus catholicos ad animi recreationem et instructionem adeant. — Domum suae religionis frequentent, si talis in loco suae stationis exsistit. Ubi vero talis domus non habetur, sacerdotem ab Episcopo designatum[2]) adeant, vel si nullus sit designatus, ipsi sibi sacerdotem eligant, cujus consiliis et consuetudine utantur, ut ipse de eis testimonium ferre possit. Cum proprio Superiore vel religioso ab eo designato commercium epistolarum instituant, eique sacerdotem supradictum notificent et de sua persona omnique domicilii mutatione certiorem reddant. — Superiores generales et provinciales etiam locales, prout usus in sua religione habet, per se vel per delegatum (in religione clericali sacerdotem) mediantibus sacerdotibus supradictis de suis alumnis inquirere tenentur. — A servitio militari definitive dimmissi recto se ad domum suam religiosam conferant, ibique, si de eorum bona conversatione constet, praemissis aliquot diebus stae. recollectionis ad renovandam professionem temporariam admittantur, in qua usque ad tempus praescriptum (non computato tempore servitii militaris) sed ad minimum per annum permaneant, antequam vota perpetua sive sollemnia sive simplicia emittant. Professio perpetua ante anni decursum est invalida, nisi ad breve tantum tempus (infra annum) in servitio militari fuissent, quo in casu sufficit tantum temporis, quantum in illo servitio fuerunt. Durante illo anno in Ordinibus regularibus inter juniores degant vel saltem in domo, ubi perfecta observantia viget, et sub directione religiosi, qui in religionibus clericalibus sit sacerdos. — Si rationes dubitandi de sua perseverantia dederunt, a Superiore generali cum suo Consilio dimmitti possunt, quo eorum vota ipso facto cessant. Si vero ipsi a votorum vinculo solvi desiderent, Superiores religionum clericalium ea relaxare possunt tamquam delegati Sedis Apostolicae, in religionibus vero laicalibus per litteras, quibus egredientibus reditus in saeculum permittitur, eo ipso solvuntur. Imo hanc dispensationem petere possunt etiam initio servitii militaris. — Haec valent mutatis mutandis etiam de scocietatibus in communi viventibus sine votis.

---

[1]) Aliquae tamen Congregationes ab hac lege privilegium exemptionis obtinuerunt ut e. g. Congregatio s. Joannes B. de la Salle.

[2]) Brandys, Kirchl. Rechtsb., pag. 47. dicit simpliciter: „Curatum suum militarem adeant", quod certe verum est, ubi ille considerari potest ut sacerdos ipsis ab Episcopo (castrensi) designatus.

Dubium esse potest, num haec lex in Codice nullo modo commemorata etiam nunc valeat, sed videtur dicendum eodem modo sicut de juramento antimodernistico, scil. legem valere, quamdiu et ubi per leges civiles servitium militare etiam a clericis et religiosis praestandum praescribitur.

Omnino specialia praescripta de religiosis ex ultimo bello redeuntibus continet decretum s. Congregationis Consistorialis d. 25. Oct. 1918., quod incipit: „Redeuntibus e militari servitio",[1]) quoad dispensationem ab irregularitatibus, quoad modum recipiendi redeuntes etc. Cum autem haec sint omnino transitoria et jam inter brevissimum tempus adimplenda, non videtur conveniens illa omnia in librum deferre.

132. Quoad negotia saecularia non licet a) *medicinam vel chirurgiam exercere*,[2]) sine indulto apostolico (can. 139. § 1.), quod quandoque missionariis datur et religiosis, qui ex instituto suo curam infirmorum exercent et ad hunc finem auxilio medicorum propriae religionis indigent. — b) *tabelliones seu publicos notarios agere*,[3]) nisi in fore ecclesiastico. — c) *officia* publica assumere, quae exercitium *laicalis jurisdictionis vel administrationis* secum ferunt, ut sunt officium ministri status, gubernatoris[4]) etc. (item can. 139. § 1.) sine licentia Apostolicae Sedis. — Licentia autem Ordinarii (quoad religiosos ergo Superioris majoris) requiritur, ut clericus vel religiosus possit d) in se suscipere *gestiones bonorum ad laicos pertinentium* aut *officia saecularia cum onere reddendae rationis* (can. 139. § 3.) et — e) *munus deputati* (ad leges ferendas) sollicitare vel accipere. Ubi autem intercessit pontificia prohibitio,[5]) requiritur licentia Stae. Sedis et in utroque casu insuper licentia Ordinarii loci, in quo electio facienda est (can. 139. § 4.). — f) Item ad omnem *fidejussionem* etiam de bonis propriis requiritur licentia Ordinarii, quod in religiosis jam per se patet propter votum paupertatis (can. 137.). — g) *Pro-*

---

[1]) Acta Apost. Sedis X. (1918.) pag. 481. ss.

[2]) Cf. Hollweck. D. kirchl. Strafgesetze § 238. nota 4.

[3]) Cf. Cap. Ne clerici 8. Ne clerici vel monachi etc. (III. 50.); Scherer, Handb. d. Kirchenr. I. pag 379.

[4]) Cf. Cap. Sed nec procuratoris 4. Ne clerici etc. (III. 50.).

[5]) E. g. „Non expedit" in Italia nuper revocatum.

curatoris aut advocati munus exercere solum licet in curia ecclesiastica, in tribunali civili autem, quando agitur de causa propria aut propriae ecclesiae. Attamen etiam ad hoc requiritur licentia Superioris. — Similiter h) *in laicali judicio criminali* gravem personalem poenam prosequente clericis et religiosis partem habere non licet, ita ut ne testimonium quidem sine necessitate ferant. Hoc ultimum tamen certe intelligitur de crimine probando non autem de accusato innocente liberando. Ratio enim legis est perfectio lenitatis,[1]) quae in clericis desideratur (can. 139. § 3.). — Tandem i) prohibentur clerici per se vel per alios *negotiationem aut mercaturam exercere* sive in propriam sive in alienam utilitatem (can. 142).

Prohibetur imprimis mercatura proprie dicta seu quaestuosa i. e. emtio bonorum temporalium cum intentione ea postea non transformata carius vendendi sed etiam negotiatio industrialis i. e. emptio rerum eo fine, ut trasformentur et ita postea cum lucro vendantur, si transformatio fit per operarios ad eum finem conductos, non autem, si ipse clericus propria industria aliquid facit e. g. imaginem pingit et postea vendit. Quaestio autem est, quid liceat in emptione obligationnm, ut inde foenus percipiatur. Certe licet emere et etiam possidere obligationes status vel etiam societatum industrialium, attamen quoad actiones societatum commercialium putat P. Brandys[2]) non licere eas emere et inde singulis annis lucrum (Dividenden) percipere, attamen P. Ferreres[3]) hac de re scribit: „At controvertitur, num eis (scil. clericis) actiones etiam emere liceat. Affirmans opinio probabilior est, tam si de industrialibus agitur quam si de commercialibus etc.; itemque tam de societate jam statuta quam de statuenda, dummodo clericus gerendis societatis negotiis nullo modo intersit, adeoqne nec per se nec per alium ejus nomine agentem coetui generali sociorum, in quo negotia definiuntur, assistat. Ratio hujus sententiae est, quia tunc dici nequit clericum per se negotiari, ut evidens est, nec per alium sensu prohibitionis, nec enim in negotiationem efficaciter influit. . . . Nec hucusque a Sta. Sede responsum ullum emanavit, quod universaliter hanc doctrinam reprobet. Quamobrem prohibitio est in se

---

[1]) Cf. de irregularitate ex defectu perfectae lenitatis e. g. Scherer, Handb. d. Kirchenr., I. pag. 340. et etiam Cap. Sententiam sanguinis 9. Ne clerici (III. 50.), Cap. Episcopus 3. Ne clerici (III. 24. in 6.).

[2]) Brandys, Kirchl. Rechtsb. pag. 53.

[3]) Ferreres, Inst. can. I. pag. 106. Nr. 305.

dubia, dubio quidem juris, ideoque ex can. 15. non obligat". — Certe autem non licet sive actiones sive obligationes emere eo fine, ut carius vendantur (Börsengeschäfte) saltem non habitualiter, ut per se patet.

Mercaturam exercentes congruis poenis ab Ordinario puniendi sunt (can. 2380.).

133. Vita communis, quae per can. 134. omnibus clericis commendatur sed non praescribitur, a religiosis omnino postulatur, dicit enim can. 594.: „§ 1. In quavis religione vita communis accurate ab omnibus servetur etiam in iis, quae ad victum ad vestitum et ad supellectilem pertinent. — § 2. Quidquid a religiosis etiam a Superioribus acquiritur, ad normam can. 580. § 2. (scil. industria vel intuitu religionis) et can. 582. Nr. 1. (scil. quod a sollemniter professis religioni acquiritur) bonis domus, provinciae vel religionis admisceatur et pecunia quaelibet omnesque tituli in capsa communi deponantur. — § 3. Religiosorum supellex paupertati conveniat, quam professi sunt." Quommodo per hanc legem prohibeatur peculium religiosorum, nisi per consuetudinem centenariam vel immemorialem introductum sit, jam in § de paupertate religiosa[1]) diximus. Religiosi autem legem vitae communis constitutionibus praescriptam in re notabili violantes graviter monendi sunt et, si non emendantur, puniendi etiam privatione vocis activae et passivae et, si Superiores sunt, etiam officii (can. 2389.).

§ 2. De obligatione clausurae.

134. (72) De hac obligatione imprimis statuit can. 597.: „§ 1. In domibus regularium sive virorum sive mulierum canonice constitutis, etiam non formatis, servetur clausura papalis. — § 2. Lege clausurae papalis afficitur tota domus, quam communitas regularis inhabitat, cum hortis et viridariis accessu religiosorum reservatis, excluso praeter publicum templum cum continente sacrario, etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod, quantum fieri potest,

[1]) Vide supra pag. 189. Nr. 111. 6.)

prope januam domus constitui debet. — § 3. Partes clausurae legi obnoxiae patenter indicentur; Superioris vero majoris vel Capituli generalis secundum constitutiones, aut, si agatur de monasterio monialium, Episcopi erit, clausurae finem accurate praescribere aut legitimis de causis mutare."

I. Quod *ad virorum regularium clausuram* attinet, jam antiquioribus temporibus prohibitus erat mulieribus ingressus in domos virorum regularium, poena tamen neque ingredientibus neque admittentibus erat statuta.[1]) Posteriori tempore aliqui regulares Ordines obtinebant privilegium, vi cujus non tantum mulieribus ingressus in eorum conventus interdictus fuit, sed poena quoque ingredientibus statuta. Ex alia vero parte summi Pontifices multa privilegia feminis praesertim altioris conditionis concedebant pro ingressu in virorum regularium conventus. Lege autem universali ecclesiastica clausura praescripta est per sanctum Pium V. constit. „Regularium personarum" d. 24. Oct. 1566. Obscuritatem, quam hujus constitutionis verba prae se ferunt, idem sanctus Pontifex alia constit. „Decet Romanum pontificem" d. 16. Julii 1570 sustulit eam sic declarando: „Auctoritate Apostolica tenore praesentium dicimus et declaramus, fuisse et esse mentem et intentionem nostram, quod dictae literae non solum comprehenderent et comprehendant mulieres habere praetendentes facultatem et indulta ingrediendi monasteria sed etiam *omnes* et *quascunque mulieres alias* tam in genere quam in specie." (§ 2).[2]) Atque mulieres sine facultate debita ingredientes clausuram excommunicatione s. Pontifici reservata, regulares vero eas admittentes privatione officiorum, inhabilitate ad ipsa atque suspensione a divinis punivit. Posterioribus autem summorum Pontificum constitutionibus contra regulares, qui mulieres admittunt, poena excommunicationis est statuta.[3]) quae confirmationem accepit in constit. Pii IX. „Apostolicae Sedis moderamini", qua excommunicationem s. Pontifici simpliciter reservatam incurrere dicuntur „mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliive eas admittentes."

Nunc autem statuit can. 598. § 1.: „Intra regularium virorum clausuram ne admittantur mulieres cujusvis aetatis, generis aut conditionis sub quovis praetextu." et can. 2342. dicit: „Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata: . . . 2. Mulieres violantes

[1]) Cf. cap. Pervenit 20. c. 18. q. 2. (s. Gregorius M. ann. 594.).

[2]) Cf. hasce constitut. in Bull. Rom. ed. Luxemb. tom. II. p. 212. ss.

[3]) Ita statuit Greg. XIII. constit. „Ubi gratiae" d. 13. Junii 1575.

regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicunque ii sint, eas cujuscunque aetatis introducentes vel admittentes; et praeterea religiosi introducentes vel admittentes priventur officio, si quod habeant, et voce activa et passiva "

Jamvero 1) extra controversiam est, hanc legem, sicuti conventus omnium regularium tangit, ita solos conventus eorum tangere, qui in stricto sensu regulares sunt. Hinc non afficit domos seu conventus Congregationum aut institutorum votorum etiam perpetuorum, quae non sint vota sollemnia. 2) Ex can. 597. § 2. patet, quaenam conventuum aut domorum spatia clausurae subsint, ea scilicet spatia, quae ordinariae religiosorum commorationi inserviunt adeo ut quamdiu intra ea spatia commorantur, extra domum versari non dicantur. Hinc clausurae subest non tantum aedificium ad habitationem destinatum, sed etiam hortus, officinae, aliaeque attiguae domus, ad quae liber religiosis patet accessus; imo etiam silva attigua, si religiosis in ea libere commorari licet.[1]) 3) Eximuntur ab hac lege a) uxores eorum, qui supremum actu tenent populorum principatum cum comitatu[2]) (can. 598 § 2.). b) Item immunes sunt illae feminae, quae speciale privilegium ad hunc ingressum a s. Sede aut immediate aut mediate obtinuerunt. Ubi vero nota: privilegia hujusmodi antea a quocunque et quibuscunque concessa, revocata et irritata fuisse a Benedicto XIV. constit. „Regularis disciplinae" d. 3. Jan. 1742,[3]) exceptis tantum quibusdam. Itaque qui nunc tali privilegio se affirmat gaudere, ostendat oportet ipsum post hujus constitutionis editionem concessum esse, nisi sit inter ea, quae ipse summus Pontifex a sua revocatione excepta esse statuit.[4]) 4) Ab excommuuicatione immunes sunt, etsi sub lege in-

---

[1]) Cf. Ferraris Bibliotheca prompta v. Conventus art. III. n. 8.

[2]) Cf. Sanchez, In decalogum l. VI. c. 17. n. 5. Praxis hanc licentiam ad uxores filiasque omnium principum suprema auctoritate et jurisdictione in eo territorio gaudentium extendit; cf. Ferraris l. c. n. 21. Imo praxis eam licentiam ad quascunque feminas de propria principis ejus territorii familia extendere videtur. Haec tamen interpretatio consuetudinis non amplius potest admitti, nisi illae personae sint in comitatu uxoris supremi principis. Obstant verba clara can. 598.

[3]) Bullarium Bened. XIV. t. I. n. 39.

[4]) Privilegia, quae a Bened. XIV. revocata non sunt, ad haec reducuntur: a) Privilegia concessa „ad favorem nobilium feminarum" pertinentium ad familiam fundatorum aut insignium benefactorum certi monasterii, dummodo fundatores aut benefactores id privilegium a s. Sede obtinuerint; b) item privilegia concessa feminis quae sunt „consanguineae et affines eorum, qui sunt domini in temporalibus locorum,

gressum prohibente comprehendantur puellae pubertatem nondum adeptae adeoque quae 12. aetatis annum nondum compleverunt (can. 2230.). 5) Excommunicationem incurrunt tam ingredientes mulieres quam qui eas admittunt sive domestici sive extranei. Nec requiritur, ut hi sint regulares; sed poenam incurrunt etiam novitii admittentes aliique, „quicunque ii sint“ (can. 2342.); aliae vero poenae solis religiosis infligendae sunt. 6) Uti ex constit. cit. s. Pii V. „Decet Romanum pontificem“ patet, ex quibusdam specialibus causis e. g. ex causa processionis, sepulturae, quae intra domus septa fit, aut extraordinarii concursus populi, ita ut commode per portam ecclesiae egredi non possint, mulieribus ingressus licuit. Ea concessio immediate facta Congregationi Benedictinae montis Virginis, per privilegiorum communicationem ad alios quoque regularium coetus transiit, nunc autem sublata communicatione privilegiorum et attentis verbis can. 598. § 1. „sub quovis praetextu“ pro aliis Ordinibus per se non amplius valet. Si tamen transitus fieret e. g. solum per unum ambulacrum ab alio domo separabile, Superior major posset ex hac causa spatium clausurae mutare (can. 597. § 3.). 7) Tandem quod ad consuetudines attinet, quae contra regularium clausuram forte ortae sint, animadvertatur oportet, constit. Pii IX. „Apostolicae Sedis“ gestare clausulam efficacissimam, quae omnem consuetudinem inductam vel inducendam abusum esse declarat, quaeque proinde effecit, ut leges in constitutione contentae contraria consuetudine etiam immemoriali saltem quoad suam substantiam aboleri non possint, etsi tanti roboris haec quoque clausula non fuerit, ut quoad quasdam accidentales et secundarias determinationes leges in constitutione expressae mitigari nequivissent. Ideo neque nunc quaestio de consuetudine contraria institui debet nisi forte pro tempore futuro. 8) Quoad convictus alumnorum autem vel hospitalia etc. statuit can. 599.: „§ 1. Si domus regularium virorum adnexum habeat convictum pro alumnis internis vel alia opera religionis propria, separata saltem aedis pars, si fieri possit, religiosorum habitationi reservetur, clausurae legi subjecta. — § 2. Etiam in loca extra clausuram alumnis externis aut internis vel operibus religionis propriis reservata, personae alterius sexus, nisi aequa de causa et de Superioris licentia ne admittantur.“

---

in quibus monasteria sita reperiuntur.“ Ut tamen haec quoque privilegia non sint revocata, oportet, quod sint data in forma Brevis aut Bullae; si in alia forma data sunt, ipsa quoque revocantur. Praeterea hisce quoque privilegiatis domos regularium ingredi non licet nisi „ad Ecclesias accedendi, sacrosanctum Missae sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia et opera exercendi studio ingrediantur“, atque ut absque regularium „incommodo et offensione recto tramite ad ecclesiam pergatur.“ Constit. Regularis disciplinae § 8.

135. (73) II. Dum lex de virorum regularium clausura simplex tantum objectum habet, nempe ingressum mulierum in domos regularium prohibet, lex *de mulierum regularium clausura* duplex in se continet elementum; prohibet nempe ingressum aliarum personarum in locum clausurae subjectum et prohibet simul egressum monialium e domo sua. Sic enim dicit can. 600.: „Intra monialium clausuram nemo cujusvis generis, conditionis, sexus, aetatis admittatur sine Sanctae Sedis licentia.“ (Excipiuntur quaedam personae) et can. 601. addit: § 1. Nemini monialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quovis praetextu, sine speciali Sanctae Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali.“

Jam de hac lege haec animadvertimus: Multae quidem sunt cognitae leges *particulares* antiquae, quibus monialium inculcatur clausura quoad utramque suam partem[1]), *universali* autem lege monialibus demum imposita est a Bonifatio VIII. ann. 1298;[2]) utrumque vero modo dictum elementum Bonifatii constitutio jam comprehendit. Constituit nempe „universas et singulas moniales, praesentes atque futuras, cujuscunque religionis sint vel Ordinis in quibuslibet mundi partibus exsistentes, sub perpetua in suis monasteriis debere de cetero permanere clausura, ita quod nulli earum, religionem tacite vel expresse professae, sit vel esse valeat quacunque ratione vel causa (nisi forte tanto et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari), monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas; nullique aliquatenus inhonestae personae nec etiam honestae, (nisi rationabilis et manifesta causa exsistat, ac de illius ad quem pertinuerit, speciali licentia) ingressus vel acces-

[1]) Cf. conc. Carthag. habitum circ. ann. 345. can. 3. (Hefele, Conciliengeschichte I². 633.); conc. Agath. ann 506. can. 28. (Hefele l. c. II². 655.; can. 22. C. 18. q. 2.); conc. Epaonens ann. 517. can. 88. (Hefele l. c. pag. 686.); conc. Matiscon. ann. 581. can. 2. (Hefele l. c. III². 36.); conc. Rothomag, can. 10. (Hefele l. c. 97.); inter statuta, quae s. Bonifatio adscribuntur, coll. 2. can. 14. (Hefele l. c. 584); conc. Forojul. ann. 796. can. 12. (Hefele l. c. 720.); conc. Aquisgran. ann. 802. can. 20. (Hefele l c. 742.); conc. habitum sub Carolo M. 803. can. 5. (Hefele l. c. 746.); conc. Arelat. ann. 813. can 7. (Hefele 757.); conc. Mogunt. ann. 813. can. 13. (Hefele 761.) etc.

[2]) Cap. Periculoso unic. De statu Regularium in 6. (III. 16.).

sus pateat ad easdem, ut sic a publicis et mundanis conspectibus separatae omnino Deo servire valeant liberius et, lasciviendi opportunitate sublata, eidem corda sua et corpora in omni sanctimonia diligentius custodire.“ At transgressoribus neque unius neque alterius partis hujus prohibitionis poenam statuit. Bonifatii VIII. constitutionem confirmavit concilium Tridentinum addendo poenam, eamque excommunicationis, quam ipso facto incurrunt ii, qui absque licentia monasterii septa ingrediuntur.[1]) Demum eandem excommunicationem, cujus absolutio sit Romano pontifici reservata, inflixit Pius V. constit. „Decori et honestati“ d. 8. Febr. 1570. § 2.[2]) feminis religiosis absque debita licentia e loco clausurae egredientibus. Utrumque legis clausurae elementum complectitur constit. Pii IX. „Apostolicae Sedis“ quae statuit, excommunicationem s. Pontifici reservatam ipso facto incurrere, „violantes clausuram monialium cujuscunque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a. s. Pio V. in constit. „Decori“ praescriptam.“

Nunc autem can. 2342. poenam illam renovat his verbis: Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata: 1. Clausuram monialium violantes, cujuscunque generis aut conditionis sint in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo pariterque eos introducentes vel admittentes; quod si clerici sint, praeterea suspendantur per tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum; . . . 3. Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can. 601.

136. (74) Jamvero 1) quod ante omnia egressum monialium ex loco clausurae attinet, quo elemento potissimum monialium a virorum regularium clausura distinguitur, a) tanquam legitimas causas egrediendi exhibet can. 601. periculum mortis vel alius gravissimi mali, s. Pius V. vero, constit. „Decori“ § 2. causas „magni incendii, infirmitatis, leprae aut epidemiae.“ Consentiunt tamen auctores, ipsas a Pio V. non ad excludendas quascunque alias sed tanquam exempla ad taxandas alias causas allatas esse; hinc variae aliae enumerantur tan-

[1]) „Ingredi autem intra monasterii septa nemini liceat, cujuscunque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda“. Sess. 25. (De regularibus et monialibus) cap. 5.

[2]) Bullar. Rom. ed. Luxemb. tom. II. pag. 197. s.

quam sufficientes ad egressum permittendum[1]), quarum tamen aliquae ut e. g. translatio in aliud monasterium nunc non videntur sufficere absque indulto generali aut speciali Apostolicae Sedis; b) Egressum etiam ex legitima causa faciendum permittere tantum potest Episcopus aut Ordinarius loci quoad monasteria non exempta aut exempta et summo Pontifii immediate subjecta. Imo interventus Episcopi etiam requiritur quoad monasteria exempta ac quibuscunque viris regularibus subjecta, etsi ab horum Suqerioribus licentia obtenta jam sit, saltem quatenus causa egressus ab Episcopo cognita et probata esse debet. Exigit praeterea constit. Pii V. „Decori" § 2., ut licentia in scriptis data sit. Attamen in casu urgentis necessitatis ea licentia opus non esse, nempe quando peti amplius nequit, mentione non indiget, et nunc expresse dicit can. 601. § 2.: „Hoc periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci Ordinario." c) Moniales igitur absque facultate legitima egredientes excommunicationem ipso facto incurrunt. Eam probabiliter non incurrunt, etsi certe mortaliter peccent, si in casu legitimi egressus commorationem suam extra conventum absque legitima causa aut ultra tempus ipsis praefixum protrahunt. Ut tamen in hoc casu mortale peccatum committant, ad notabile tempus commoratio illegitima protrahatur oportet, quale notabile tempus nondum est unus aut duo dies.[2]) Praeterea d) tum moniales absque licentia egressae tum maxime Superiores, qui licentiam illegitime dederunt, tam Superiores regulares quam Episcopi, privabantur dignitatibus, officiis et administrationibus, quae obtinebant, atque inhabiles fiebant ad ea in posterum obtinenda ex const. s. Pii V. „Decori" § 3., quae poena in Codice non est renovata, sed arbitrio Episcopi et Superioris regularis quoad eorum subditos relinquitur (can. 603.).

---

[1]) Cf. e. g. Schmalzgruber, De statu monachórum n. 103., qui affert tanquam legitimas causas: translationem monialis in aliud monasterium sive ut in eo varia servitia praestet sive correctionis causa, sive quod strictioris observantiae sit alius conventus, aut quod totus conventus in commodiorem locum transferatur; dein incursionem hostilem; morbum licet non contagiosum, quo monialis ita laborat ut, nisi ad tempus deserat monasterium, medici judicent eam morituram. Ad petendas eleemosynas exire nequeunt nisi conversae, quae si professae fuerint, sint aetatis annorum quadraginta ex constit. Pii V. „Circa pastoralis" § 5.

[2]) Ita s. Alph. Theol. mor. I. VII (De censuris) n. 229., ubi etiam quaerit de moniali, quae non toto corpore de clausurae loco egreditur, aut etsi toto corpore egressa statim intra eum revertitur. Minimam autem hujus legis transgressionem jam peccatum mortale efficere, id saltem non constat.

137. (75) Quod deinde 2) ingressum aliarum personarum in locum clausurae subjectum attinet, prae omnibus a) animadvertendum est, prohiberi non tantum ingressum personarum alterius sexus, ut de virorum regularium clausura diximus, sed omnium omnino, uti jam in lege Bonifatii VIII. continetur et expressius etiam in subsequentibus legibus dicitur; adeoque etiam mulieres absque debita facultate ingredientes monialium clausuram excommunicationem incurrunt. Dein b) prohibetur ingressus personis cujusvis aetatis, adeo ut impuberes quoque sive pueri sive puellae clausuram monialium violantes sub hac lege comprehendantur, qui antea excommunicationem etiam incurrerunt, si mortaliter per talem ingressum peccaverunt. Ex quo id sequitur, quod impuberes ab excommunicatione quidem sint immunes, immunes vero ab excommunicatione non sint religiosae feminae, quae illos vel etiam infantes intra clausuram admittunt. Spatium c) clausurae subjectum eodem modo determinandum est atque in virorum regularium clausura; scil. id spatium ad clausuram pertinet, in quo religiosae mulieres versari possunt; atque adeo ubi ipsae commorari possunt, illuc quibuscunque aliis accessus interdictus est. Spatium hoc ab Episcopo est determinandum (can. 597. § 3.). d) Excipiuntur vero a lege clausurae, quatenus ingressum in monialium conventum prohibet α) Visitatores, quibus inspectionis dumtaxat causa ingressus cum uno saltem clerico vel religioso maturae aetatis patet. Illi sunt praesertim Episcopus et Superior regularis. β) Confessarius vel, qui eius vices gerit, ad ministranda sacramenta infirmis aut ad assistendum morientibus. γ) Qui actu supremum populorum principatum tenent eorumque uxores cum comitatu et s. Rom. Eccl. Cardinales. δ) Medici, chirurgi aliique, quorum opera sint necessaria. Antistitae est eos debitis cautelis adhibitis admittere impetrata prius saltem habituali approbatione Ordinarii loci. Si vero necessitas urgeat, haec praesumi potest (can. 600. Nr. 1.—4.). — e) Clausura monialium, etsi regularibus subjectarum, sub vigilantia est Ordinarii loci, qui potest delinquentes, regularibus viris non exceptis, poenis quoque ac censuris corrigere et coercere. Etiam Superiori regulari custodia clausurae monialium sibi subjectarum commissa est, qui moniales aut alios suos subditos (non autem extraneos), si quid hac in re deliquerint, poenis quoque punire potest (can. 603. §§ 1. et 2.). — Ideo etiam licentia ingrediendi ab Episcopo petenda est. f) Excommunicationem incurrunt tum ingredientes tum introducentes et admittentes. De ingredientibus vero idem dicendum est, quod supra de egredientibus (pag. 238. not. 2.), nempe saltem non constare, hanc legem sic obligare ut minima etiam ejus transgressio grave peccatum constituat. Hinc qui pedem intromittit in spatium clausurae subjectum aut etiam totus ingreditur at eodem momento iterum egreditur, excommunicationem incurrere saltem non certo dici potest Introducentes tum moniales tum extranei esse possunt; sic

saeculares auctoritates, qui fores effringendas curant, ut cum ipsis eorum subditi ingrediantur, subditos vere introducere dicuntur. Admissio vero est monialium ipsarum; atque hae excommunicationem incurrunt, si tum positive concurrunt ad ingressum extraneorum tum eos non repellunt, dum ex officio eos repellere debent. Imo in sola detentione v. g. confabulationibus cum ipsis, admissio continetur tunc, quando detinentur ii illegitime ingressi, qui alias essent egressuri.[1])

Modum spatii clausurae ab aliis locis separandi quod attinet, 3) clausura monasterii monialium ita circumsepta esse debet, ut, quoad fieri potest, nullus sit in eam vel ab ea prospectus externarum personarum (can. 602.).

(76) Jamvero 4) haec clausurae lex *moniales* i. e. mulieres tantum *regulares* obligat, adeoque ab ipsa immunes sunt omnes illae mulierum Congregationes et instituta, in quibus simplicia tantum vota emittuntur;[2]) imo immunes etiam ii erant conventus, quorum incolae ex specialibus causis vota tantum simplicia nuncupant, etsi in ejusdem instituti conventibus aliis sollemnia vota emittantur sicque hi sint regulares conventus in sensu stricto, dum priores non sint. Quare quum in Gallia et Belgio ob publica adjuncta civilia nunc Sancta Sedes non permittat religiosis feminis sollemnia vota nuncupare, ideo conventus monialium Galliae et Belgii, etsi vivant secundum regulam Ordinis regularis stricte dicti, clausurae legi non suberant[3]), et etiamsi illae religiosae in Codice nomine monialium veniant (can. 488. Nr. 7.), tamen lex clausurae per can. 597. § 1. domibus regularium imponitur, quales etiam juxta Codicem (cf. can. 488. Nr. 7. coll. 2.) illi conventus non sunt.

138. Praeter illam clausuram *papalem*, quae non solum lege pontificia statuta sed etiam accurate circumscripta poenisque munita est, distinguere solent auctores clausuram *episcopalem*, quae aut ab Episcopo introducta est, aut saltem, si lege communi praescribitur, ab eo determinari et poenis muniri potest, clausuram *statutariam*, quae solis regulis nititur et quandoque etiam *speciali voto* firmata

---

[1]) Cf. Lehmkuhl, Theol. mor. ed. IX. tom. II. n. 955.

[2]) Exemplum specialis privilegii, quo etiam simplicium votorum monialibus clausura papalis est concessa, cf. apud Bizzarri, Collectanea etc. pag. 88.

[3]) Cf. Bizzarri l. c. pag. 86. et 411. Quid quoad clausuram monialium in statibus unitis Americae septentrionalis valeat, cf. apud Bizzarri l. c. pag. 723.—736.

esse potest.[1]) Nunc 1) lege generali omnibus religiosis aliqua saltem clausura praescribitur cum hac tamen differentia, ut, ubi non habetur clausura papalis i. e. in Congregationibus, praeter personas diversi sexus jam in cann. 598. et 600. a lege clausurae exemptis Superioribus liceat „ex justis et rationabilibus causis“ etiam alias personas admittere (can. 604. § 1.). Eaedem Congregationes etiam observare debent, quae supra Nr. 133. 8. de convictibus aliisque domibus annexis dicta sunt quoad separationem religiosorum et ingressum personarum diversi sexus in illas domos (can. 604. § 2.). Episcopi est etiam in talem clausuram invigilare et corrigere, si vitiosum quid irrepserit. In casibus autem particularibus ex gravi causa potest illam etiam censuris munire non autem, si agitur de religione clericali exempta (can. 604. § 3.).

(77) 2) Quae antea statuta fuerunt quoad accessum ad moniales sine sufficiente causa (scil. non in clausuram sed ad crates tantum) e. g. a Bonifacio VIII. et praesertim severae prohibitiones Sixti V.[2]) ab Urbano VIII. partim mitigatae partim confirmatae cum poenis annexis nunc sublata sunt manente solummodo monitione canonis 605.: „Omnes quibus est clausurae custodia, sedulo invigilent, ne alienis invisentibus inutili collocutione disciplina perturbetur et spiritus religiosus detrimentum patiatur“, qua prudentiae Episcoporum et Superiorum religiosorum relinquitur, quid hac in re concedendum quid prohibendum sit. Canon vero 605. non de monialibus tantum sed de omnibus religiosis tum viris tum feminis agit, quacunque clausurae forma utantur.

3) Tandem per can. 606. prohibentur Superiores religiosi, quominus (excepto casu collectionis eleemosynarum) subditis permittant, ut extra domum propriae religionis degant, nisi gravis et justa causa intercedat et quidem ad

---

[1]) Cf. Wernz, Jus decret. III. 2[2]. pag. 357. Nr. 658. III.

[2]) Decretum s. Congr. Ep. et Reg. d. 7. Maji 1590.; Ferraris, Bibliotheca prompta v. Moniales art. IV. n. 7. ss.

breve tempus juxta diversas constitutiones. Hoc certe multum pendet a fine religionis, in religionibus enim, quae ut finem habent curam animarum vel missiones, saepius erit necessarium, ut religiosi praesertim sacerdotes extra domum degant quam in religionibus, quae talem curam non exercent vel nonnisi in propria ecclesia. Pro absentia autem ultra 6 menses requiritur venia Apostolicae Sedis, excipitur tamen casus, quo religiosi alumni secundum praescriptum can. 587. § 3. ad studia mittuntur. Nihilominus tamen accidere potest, ut religiosi etiam per longum tempus extra propriam domum vivere cogantur, si e. g. ut parochi vel beneficiati alibi residere debeant, quo in casu etiam ab ipsis observanda sunt, quae can. 133. omnibus clericis praescribit: „§ 1. Caveant clerici ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineant aut quoquo modo frequentent. — § 2. Eisdem licet cum illis tantum mulieribus cohabitare, in quibus naturale foedus nihil mali permittit suspicari, quales sunt mater, soror, amita et huismodi, aut a quibus spectata morum honestas cum provectiore aetate conjuncta omnem suspicionem amovet. — § 3. Judicium, an retinere vel frequentare mulieres etiam illas, in quas communiter suspicio non cadit, in peculiari aliquo casu scandalo esse possit aut incontinentiae afferre periculum ad Ordinarium loci pertinet, cujus est clericos ab hac retentione vel frequentatione prohibere. — § 4. Contumaces praesumuntur concubinarii." Quid Episcopus sub hoc respectu etiam quoad religiosos exemptos possit, cf. infra de privilegiis religiosorum. — Speciatim vero quoad religiosas mulieres tum Ordinarius loci tum Antistita invigilare debent, ne singulae i. e. sine socia extra domum pergant excepto casu necessitatis (can. 607). Talis casus quoad sorores, quarum officium e. g. est aegrotis in domibus privatis ministrare vel ludimagistras in scholis externis agere facile accidere potest.

139. Ad vigilantiam Superiorum quoad relationes religiosorum ad externas personas etiam spectat, ut ipsi in-

spicere possint in commercium epistolarum, quod singuli religiosi habeant, ideo apud omnes religiones vel praescribitur vel saltem in usu est, ut litterae Superioribus tradantur, antequam e domo exeant et similiter advenientes epistolae prius in manus Superiorum veniant, religiosi vero illas ab ipsis recipiant. Hanc legem vel consuetudinem Codex non quidem statuit sed supponit, exceptiones vero clare circumsribit scil. omnes religiosi libere ab illa inspectione mittere possunt epistolas 1. ad Stam. Sedem, 2. ad ejus in natione Legatum, 3. ad Cardinalem Protectorem, 4. ad proprios Superiores majores, 5. ad Superiorem domus forte absentem, 6. ad Ordinarium loci, cui subjecti sunt, 7. moniales, quae sub jurisdictione regularium sunt, etiam ad Superiores majores Ordinis (can. 611.).

Patet Legatum intelligendum esse solummodo illum, qui in propria regione legatione fungitur, non quemcunque Sedis Apostolicae Legatum. Certe autem religiosus, qui e. g. in itinere extra propriam regionem versatur, nihilominus ad illum epistolam mittere potest. Similiter quod Ordinarium loci attinet, dubitari potest, num hoc valeat etiam quoad religiosos exemptos, qui ei sensu stricto subjecti non sunt. Videtur dicendum hoc saltem non valere quoad professos a votis perpetuis, cum ipsi per professionem propriam dioecesim amittant (can. 585.). Certe autem valet quoad moniales et quoad Congregationes non exemptas.

Hic addi potest etiam prohibitio cann. 766. et 796. qua religiosis interdicitur, quominus munus patrini in sacramentis baptismi et confirmationis in se suscipiant excepto casu necessitatis cum licentia Superioris.

§ 3. De recitatione divini officii aliisque pietatis exercitiis.

(cann. 595. et 610. coll. 124., 125., 126. et 135.)

140. Quoad officium divinum recitandum dicit can. 610.: „ § 1. In religionibus sive virorum sive mulierum, quibus est chori obligatio, in singulis domibus, ubi quatuor saltem sint religiosi choro obligati et actu legitime non impediti et etiam pauciores, si ita ferant constitutiones, debet ad normam constitutionum quotidie divinum officium communiter persolvi. — § 2. Missa quoque officio diei respondens secundum rubricas quotidie celebrari debet in reli-

gionibus virorum et etiam, quoad fieri possit, in religionibus mulierum. — § 3. In eisdem religionibus sive virorum sive mulierum sollemniter professi, qui a choro abfuerunt, debent exceptis conversis horas canonicas privatim recitare."

Recitatio divini officii duplex distingui debet, alia choralis alia privata; proin duplex etiam distinguitur obligatio ad illam. Jam sicuti obligatio, qua ad officium dicendum tum clerici in sacris ordinibus constituti tum clerici beneficiati (etsi ordinem sacrum non receperint) tenentur, ex antiqua Ecclesiae consuetudine orta est, quae postea scriptis legibus exprimebatur atque confirmabatur, ita etiam recitatio tum choralis tum privata ex parte regularium vi consuetudinis obligatoria reddita est et tum demum scripta universali lege confirmata. Quum vero omnino alia sit obligatio chori habendi et alia obligatio recitationis privatae, de utraque speciatim est agendum.

Itaque *obligatio ad chorum* habendum 1) incumbit iis regularibus Ordinibus, qui ad chorum sunt destinati. Tales sunt omnes Ordines antiquiores fundati ante saec. 16. tam monachales quam canonicorum regularium atque mendicantium exceptis vero equestribus Ordinibus; adeo ut occasione fundationis Societatis Jesu difficulter sibi persuaserint multi religiosi, exsistere posse Ordinem religiosum sine obligatione ad chorum. Nunc vero distinguendum est inter Ordines chorales et Ordines ad chorum non destinatos. Porro inter priores etiam moniales sunt, quae ad Ordinem spectant, qui chorum habet, quales sunt moniales Ordinis s. Benedicti, Cisterciensis, canonissae regulares, s. Clarae, s. Dominici etc. Ex lege vero ecclesiastica universali non tenentur ad chorum ii Ordines, qui ad chorum non sunt destinati, sive virorum sive mulierum regularium, dein Congregationes aut instituta religiosa, etsi aliqua ex hisce vi suarum constitutionum ad chorum teneantur, et quamvis can. 610. non de destinatione sed de obligatione ad chorum loquatur, tamen hoc eodem modo ac antea videtur intelligendum, cum in dubio a vetere jure non sit recedendum (can. 6. Nr. 4.). Jamvero 2) obligatio ad chorum incumbit toti communitati religiosae atque ipsi tantum; obligatio autem gravis est.[1]) Hinc vi ipsius primario Superiores tenentur ad curam adhibendam, ut per communitatem huic officio satisfiat, singula vero communitatis membra secundario seu radicaliter tantum tenentur. Obligatio autem commnnitati incumbens gravis esse censetur; hinc Superiores graviter peccarent, si ex ipsorum incuria pars notabilis officii divini omitteretur.[2]) 3) Singuli vero regu-

[1]) Cf. Clem. 1. De celebratione Missarum (III. 14.; Clem. V.)

[2]) „Forte fieri posset quaestio, an quae est pars notabilis respectu officii divini per se sumpti, sit pariter notabilis respectu sollemnis recitationis in choro, ut e. g. omissio unius parvae horae, quae habetur

lares immediatam ad choro interessendum obligationem non gravem imo probabiliter ne levem quidem habent; sic enim consuetudo hanc obligationem introduxit, ut ipsa non singulis sed communitati incumberet. Optime igitur communitas formaliter, singuli de communitate radicaliter obligati dicuntur. Nihilominus vero etiam singuli choro non intervenientes graviter peccant a) si sua illegitima absentia causa exsistunt, cur ob psallentium defectum notabilis pars divini officii in choro dici nequeat; b) si sua negligentia scandalo aliis sint, ita ut hi quoque a choro abessent cum notabili detrimento religiosae disciplinae; c) si non obstante gravi praecepto a Superiore sibi specialiter imposito e choro absunt. Superiores autem non tantum possunt sed quandoque etiam debent specialibus praeceptis negligentes ad chorum compellere. Ratione autem obligationis communitati incumbentis non solum sollemniter sed etiam simplicium votorum professi choro interesse debent.[1]) 4) Obligatio chori pro communitate cessat, si sufficiens numerus psallentium non habetur; ex communiori autem sententia tam majores quam minores communitates non excusantur, si quatuor choro interesse possunt, quod nunc lege sancitum est (can. 610. § 1.). Porro quum ad communitatem pertineant tum simplicium votorum professi tum etiam novitii, obligationi communitatis satisfit quidem per hosce solos. Atque quum simplicium votorum professi vere membra religionis sint, ipsi quoque modis supra dictis mortaliter peccare possunt eo, quod choro non intersunt; novitii vero, quum ad chorum obligationem non habeant, legis ecclesiasticae violatae rei censeri nequeunt.[2]) 5) Quia obligatio recitandi officium divinum tota est ex lege ecclesiastica, ab Ecclesia etiam pendet mensura obligationis. Jam notandum a) qui peragunt ea, quae choro necessaria sunt e. g. pulsando organum, campanas, transferendo libros etc. non tenentur supplere, quae non dixerunt aut etiam ab aliis dicta non perceperunt; b) Qui sero venit ad chorum, cum aliis pergere potest supplendo postea partem omissam; imo si pars omissa non est notabilis, nec supplere eam postea tenetur.[3]) c) In iis Ordinibus religiosis, qui ante s. Pium V. consuetudine obligati exsistebant ad recitandum officium parvum B. V. Mariae, psalmos

---

materia gravis, sit omissio notabilis in choro. Res non videtur certa, si praesertim non ex consueto fiat; non enim magna in hac omissione in choro apparet turpitudo quoad cultum externum, qui ab Ecclesia intenditur per chorum." Ballerini-Palminri tom. IV. pag. 253.

[1]) Cf. resp. s. Congr. super statu regularium 6. Aug. 1858. (Bizzarri l. c. pag. 857.).

[2]) Cf. de variis particularibus quaestionibus s. Alph. Theol. mor. L. IV. (De praec. particul.) n. 143.

[3]) Cf. Ballerini-Palmieri l. c. pag. 254

graduales et poenitentiales, atque officium defunctorum, haec consuetudo servanda est, imo contraria consuetudo post Bullam Pii V. inducta declarata est a s. Rit. Congregatione „abusus impraescriptibilis".[1]) d) In decretis generalibus pro reformatione regularium editis a Clem. VIII. et confirmatis ab Urbano VIII. inculcatur Superioribus,[2]) quod cum lectoribus et praedicatoribus „iis tantum diebus, quibus eos legere aut praedicare contigerit, dispensare possint. Idem quoque praestare valeant cum aegrotis et studiorum causa legitime impeditis"[3]) (cf. can. 589. § 2.).

141. (79) *Recitatio privata* eadem ratione, ut choralis, consuetudine introducta est, proindeque ab ipsa mensuram quoque tum quoad subjectum tum quoad objectum tum quoad gravitatem accepit; nunc autem lege generali statutum est, teneri omnes sollemniter professos praeter conversos (can. 610. § 3.).

Jamvero 1) recitatio privata introducta est aliquatenus dependenter a recitatione chorali, sicut etiam privata a clericis et beneficiatis facienda recitatio a recitatione chorali originem duxit. Inde fit, ut non omnes regulares in stricto sensu etiam sollemniter professi ad recitationem privatam teneantur, sed tantum regulares pertinentes ad Ordines, qui ab obligatione chori habendi chorales vocantur; „in religionibus, quibus est chori obligatio", dicit can. 610. In Ordinibus choralibus autem etiam ii soli tenentur, qui ad chorum sunt destinati, proinde excipiuntur conversi seu fratres laici. Utrum autem conversi ad alios preces teneantur, id a constitutionibus ac consuetudine singulorum Ordinum pendet.[4]) Praeterea quum consuetudo antiqua tantum votorum sollemnium professos obliget, hinc a s. Congr. super statu Regularium ab obligatione recitationis privatae immunes declarati sunt simplicium

---

[1]) Gardellini, Decreta authentica n. 2043.

[2]) Decretum Clem. VIII. „Nullus omnino" ed. 25. Julii 1599. (Bull. Rom. ed. Luxemb. III. pag. 89.; IV. pag. 65.).

[3]) Aliqui sunt mulierum Ordines regulares, e. g. societas s. Ursulae, in quibus non est obligatio ad officium divinum recitandum in choro, solet vero dici officium parvum B. V. M. Porro ad hoc parvum officium non exsistit obligatio ex lege communi ecclesiastica, sed tota est ex regulis aut constitutionibus; proinde major non est quam obligatio constitutionum generatim. Et quod de recitatione chorali valet, idem a fortiori de privata recitatione in his Ordinibus valere manifestum est.

[4]) Cf. e. g. quae de obligatione gravi conversorum in Ord. Cap. habet Piatus M. l. c. pag. 312.

votorum professi, licet hi tanquam membra communitatis oneribus participent et sic a chori obligatione immunes non sint.[1]) Idem dicit can. 610. § 3. In Ordinibus vero choralibus etiam moniales sollemniter professae ad privatam recitationem tenentur (ibidem). Quaerunt 2) utrum apostatae aut fugitivi, ejecti, saecularizati ad privatam recitationem teneantur. Ad quod respondendum est, de apostatis et fugitivis dubium esse non posse, quia ad communitatem religiosam, quam actu deseruerunt, adhuc de jure omnino pertinent; proinde sicut ab obligatione votorum ratione apostasiae aut fugae non liberantur, sic neque ratio habetur, quare ab obligatione divini officii recitandi immunes dici possint. Quoad ejectos non consentiunt auctores;[2]) s. Alphonso non est improbabilis sententia, quae ejectos deobligat, et Lessius pro ea ad consuetudinem appellat; insuper non sunt amplius de familia religiosa, etsi a votis suis non sint liberati, quare fundamentum obligationis cessare videtur. Idem de saecularizatis tenendum: etenim quoad hos quoque vinculum cum religione, in qua sunt professi, solutum est (cf. can. 640. Nr. 2.). 3) In privata recitatione regulares ad id officium dicendum tenentur, quod dici debet in choro tamen quae praeter officium diei occurrentis extraordinarie in choro dicuntur e. g. officium parvum B. V. M., psalmi graduales et poenitentiales etc., in privata recitatione dici non debent, nisi consuetudo particularis aut constitutiones id praescribant. 4) De quantitate obligationis aliqui quidem auctores dubitarunt, utrum privata recitatio sub gravi incumbat an sub levi tantum; communis autem sententia eaque tenenda est obligationem gravem esse, sicut gravis est clericorum in sacris constitutorum ac beneficiatorum obligatio, quum consuetudo eam in Ordinibus choralibus communiter sic introduxerit.[3]) 5) Varia privilegia quondam concessa sunt quibusdam religiosis Ordinibus, quae recte ad alios etiam vi privilegiorum communicationis transiisse dicuntur,[4]) nunc autem non amplius transeunt. De quorundam vero ex ipsis

---

[1]) Cf. Bizzarri l. c. pag. 637.

[2]) Cf. s. Alph. Theol. mor. l. IV. n. 142. dub. 1. Ad quod tamen nota, Sanchez nullatenus affirmare in ejecto esse exstinctum statum religiosum atque eum non amplius teneri ad vota; Sanchez id de eo solo regulari affirmat, qui a suis votis totaliter dispensatus est, ita u matrimonium quoque inire possit.

[3]) Cf. s. Alph. ib., ubi animadvertit, quod si in aliqua religione consuetudinem talem non esse constaret, in illa obligatio non exsisteret; praeterea „quod praelati etiam inferiores possint ex causa, puta studiorum, et simili, dispensare, sicut in aliis observantiis, cum suis subditis, ut non recitent officium."

[4]) Ipsa enumerat, de singulis judicium tum multorum aliorum tum suum proferendo, Piatus Mont. I. 318. ss.

recto sensu, de aliorum revocatione facta gravissime dubitatur. Sic a) privilegium a Leone X. Fratribus Minoribus circa recitationem mentalem divini officii concessum alii sic explicant, quod in privata recitatione integrum officium mentaliter dici possit, alii vero sic, quod ea tantum, quae in chorali recitatione secreto dici debent, mentaliter dici valeant. Insuper aliqui dicunt privilegium, quemcunque habeat sensum, revocatum esse; aliqui ipsum adhuc subsistere putant. Attamen, quantum videtur, ex usu omnino evanuit sicque ipsum licite nunc adhiberi posse non putem. Sed neque magni momenti est, quum Superiores cum iis, qui minima etiam vocali recitatione, — et minimus sane vocis usus, qui in eo consistit, quod inter dentes et labia verba formantur, in privata recitatione sufficit — sunt impediti, simpliciter in Breviario dicendo dispensare possint. b) Manet autem in vigore facultas Superioribus regularibus concessa dispensandi cum suis subditis in officio divino recitando sive ob causam infirmitatis sive ob causam aliarum occupationum incompatibilium pro divina gloria et animarum salute.[1]) 6) Patet omnes religiosos in ordinibus majoribus constitutos ex praescripto canonis 135. independenter a qualibet professione teneri ad horas canonicas integre recitandas.

142. Praeter officium divinum in „Ordinibus choralibus“ praescribitur etiam in religionibus virorum *missa conventualis* quotidie dicenda, quae debet respondere officio diei (can. 610 § 2.), quoad mulieres autem postulatur, ut celebretur, quoad fieri potest. Non dicitur eam celebrandam esse cum cantu, prout praescriptum est Capitulis canonicorum (can. 413. § 2.) excepto casu, quo alia missa pontificali ritu celebratur (ibidem § 3.), nisi forte hoc per leges Ordinis postuletur; religiosi proinde ad cantum non obligantur.

---

[1]) Etenim in constit. cit. Clem. XII. revocatur quidem § 2. n. XI. privilegium Superioribus variorum Ordinum concessum „officium divinum commutandi in alias preces vel opera pia“; at non revocantur ea constitutione privilegia per Bullam aut Breve pontificium concessa, sed tantum privilegia vivae vocis oraculo aut alio minus sollemni modo concessa. Porro facultas commutandi officium divinum variis Ordinibus regularibus sollemniori modo concessa est; cf. e. g. constit. Clem. VII. „Exponi“ d. 24. Jun. 1524. (Bull. Rom. ed. Luxemb. tom. I. pag. 658. ss.) et const. „Dudum“ d. 7. Mart. 1533. (Bull. Rom. ib. pag. 691. ss.); cf. Piatus Mont. I. 321. Ideo pro illis religionibus, quibus expresse concessum est, etiam nunc valet, communicatio vero privilegiorum non amplius locum habet.

Omnibus vero religiosis injungit can. 595. Nr. 2., ut legitime non impediti quotidie Sacro intersint.

Cum lege clausurae aliquommodo connexum habet praescriptum can. 1264. § 2., quae postulat, ut mulieres religiosae, si eisdem liceat ad normam suarum constitutionum vel legum liturgicarum ac de venia Ordinarii loci in propria ecclesia aut oratorio publico canere, tali e loco canant, ubi a populo conspici nequeant.

Insuper ab omnibus postulatur, ut quotidie *orationi mentali* vacent, in alia autem pietatis officia, quae a regulis et constitutionibus praescripta sunt, sedulo incumbant. Haec lex de oratione mentali est lex generalis, de aliis vero exercitiis pietatis solum est confirmatio regularum neque novam ab illis distinctam inducit obligationem, quod patet ex ipsis verbis can. 595. § 1. Nr. 2. Superioribus autem injungitur obligatio invigilandi. Ipsi etiam curare debent, ut omnes religiosi quotannis *exercitiis spiritualibus* vacent (can. 595. § 1. Nr. 1.). Nihil vero dicitur de spatio temporis, quod illa exercitia complecti debeant, videtur ergo dijudicandum secundum consuetudinem, qua ad minimum 3 dies impendi solent, de cetero autem recurrendum ad constitutiones et consuetudines singularum religionum.

Usum sacramentorum, quod attinet, praescribitur, ut religiosi semel saltem in hebdomada ad *sacramentum poenitentiae* accedant. Etiam haec obligatio imprimis Superioribus imponitur, ut ipsi hoc procurent. In singulis ergo religiosis in tantum existit, in quantum eis aut a Superioribus aut a constitutionibus injungitur. Ad *Sacramentum vero Eucharistiae* frequens imo quotidianus accessus singulis quidem de se liber remanet, si rite dispositi sint, Superiores autem frequentem et cotidianam communionem promovere debent. Regulae vel constitutiones et calendaria, quae communiones aliquibus diebus affixas praescribunt, nunc vim normae directivae retinent, praescriptivam autem non amplius habent.

Superiores ergo generatim communionem neque praescribere neque interdicere possunt, si autem religiosus communitati post ultimam sacramentalem confessionem gravi scandalo fuerit aut gravem et externam culpam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit, Superior potest eum, ne ad sacram communionem accedat, prohibere (can. 595. § 3.).

Postquam haeresis Jansenii communionem frequentem suis asseclis jam fere impossibilem reddidit, aliquis istius haeresis influxus etiam in ipsa Ecclesia catholica apparuit et longo tempore lis inter catholicos auctores de dispositione requisita ad frequentem et cotidianam ss. Eucharistiae sumptionem agitata est, quam Pius X. dirimere cupiens per decretum s. Congreg. Concilii „Sacra Tridentina Synodus“ d. 20. Decembris 1905.[1]) normas aliquas hac de re statuit, quibus promotionem frequentis et quotidianae communionis inter omnes christifideles valde commendans eisque aliqua etiam specialia pro religiosis inseruit, quae fere ad verbum coincidunt cum illis, quae nunc in can. 595. proponuntur.[2]) Ipse etiam voluit, ut hoc decretum singulis annis post festum Ss. Corporis Christi in publica mensa praelegatur. Hanc ultimam obligationem Codex quidem sustulit, alia autem praescripta decreti renovavit.

§ 4. De habitu religioso gestando.

(can. 596. cf. can. 136.)

143. (80) Ut patet, obligatio ad habitum religiosum gestandum pro iis tantum Ordinibus exsistit, quorum constitutiones peculiarem habitum praescribunt. Hoc enim postulat can. 596.: „Religiosi omnes“, inquit, „proprium suae religionis habitum deferant tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, judicio Superioris majoris aut urgente necessitate etiam localis.“ Unde patet illos tantum religiosos ea lege teneri, qui talem habitum suae religioni proprium habent. Aliorum Ordinum membra legibus Ecclesiae communibus subjacent, adeoque ii, qui tonsura aut ordinibus sunt iniati, ad habitum clericalem ea

---

[1]) Acta Stae. Sedis XXXVIII. (1905/06.) pag. 400. ss.

[2]) Cf. decretum citatum Nr. 7. et 8.

ratione tenentur, qua clerici saeculares. Quoad illos autem valent verba § 1. canonis 136.: „Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta deferant, tonsuram seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant, gestent, et capillorum simplicem cultum adhibeant.“ Qui vero clero inserti non sunt, non tenentur alia lege nisi sui Ordinis. Idem de iis Congregationibus aut institutis religiosis valet, in quibus vota tantum simplicia emittuntur.

De Ordinibus vero regularibus, qui peculiarem habitum gestant, haec sunt animadvertenda: 1) Per cap. Ut periculosa 2. Ne clerici vel monachi etc. in 6. (III. 24.) prohibitum erat, „ne aliquis quamcunque religionem tacite vel expresse professus . . . temere habitum suae religionis dimittat . . . Si quis autem horum temerarius violator exstiterit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto.“ Itaque praescripta erat habitus delatio sub gravi, ut ex poena excommunicationis addita patet. Praescriptum erat item, ut regularis suae religionis habitum gestaret; hinc neque a culpa neque a poena immunis erat, si loco sui habitus habitum clerici saecularis gestavit. Quaerebant autem 2) utrum si non omnem culpam, at saltem excommunicationis poenam effugeret is, qui habitum quidem gestaret at occulte, ita scilicet ut aliis vestimentis omnino tegeretur. Ad quod respondendum est, talem per se nec culpam nec poenam effugisse, ut tum ex verbis tum maxime ex fine legis sufficienter concluditur. Ideo, quamvis poena excommunicationis latae sententiae per Codicem abrogata sit, tamen argumentatio etiam nunc valet etsi non quoad poenam certe quoad culpam. Sub gestatione habitus enim intelligi nequit gestatio mere physica sed moralis, ita ut habitum gestans ex suo habitu cognosci possit. Hinc sub dimissione habitus ea intelligenda est pariter dimissio, qua habitus oculis omnino est subtractus. Finis autem legis consistit in facilitate religiosum ut talem agnoscendi, ut sic „periculosa religiosis evagandi materia subtrahatur.“[1]) Econtra 3) si habitus dimissio non fit ad evagandum sed ex alia rationabili et mediocriter gravi causa, culpa vacat. Item licet non omni at gravi culpa vacat dimissio, etsi ad perversum finem at pro brevi tempore tantum facta, ratione cujus scilicet non facilitatur evagatio. Praeterea 4) etsi ipsa circumvagatio

[1]) Notandum hic etiam est, Conc. Trid. sess. 25. (De Regularibus et monialibus) cap. 19. prohibere ne „detur licentia cuiquam regulari occulte ferendi habitum suum.“

religiosorum nulla consuetudine evadere possit legitima, quippe quae vitae religiosae finem quamplurimum impediat multisque peccatis praebeat occasionem et causam, nihilominus lex dimissionem habitus prohibens contraria consuetudine abrogari potest. Haec enim prohibitio medium necessarium et unicum dici nequit, ut illicita circumvagatio et mala, quae eam necessario consequuntur, impediantur. Imo secundum principia, quae communi suffragio ab auctoribus de consuetudinibus statuuntur et nunc in can. 26. repetuntur, neque negari potest, singularem aliquam religionem, atque singulare etiam monasterium religiosum consuetudinis legem dictam abrogantis subjectum esse posse, adeo ut, si per legitimum tempus in certo aliquo religioso coetu contrario usu ea lex evanuerit, huic consuetudini stare liceat (cf. supra Nr. 128.). Legis enim et proinde etiam consuetudinis subjectum est communitas perfecta; jam religiosam communitatem, quae Superiorem habet jurisdictione non tantum fori interni sed etiam aliqua saltem jurisdictione externi fori instructum, communitatem perfectam constituere, non est cur negetur aut in dubium vocetur.[1])

§ 5. De adjutorio in cura animarum clero saeculari praestando.

(cann. 608., 609., 612., 1345., 131. coll. 129., 130.).

144. Patet agi in hac § de religionibus clericalibus, quae solae curam animarum exercere solent, etsi hoc quoad religiones laicales, si etiam ipsae propriae religionis sacerdotes habeant, non prohibeatur. Solent tamen illi sacerdotes non pro populo christiano sed potius pro cura animarum religiosorum eorumque, qui in eorum domibus e. g. hospitalibus degunt, destinati esse. Ecclesia desiderat, ut religiosi praesertim in dioecesi, in qua degunt, clerum saecularem in cura animarum adjuvent non solum intra proprias ecclesias sed etiam extra illas, si hoc salva religiosa disciplina possint, imprimis quando ab Episcopis vel parochis in auxilium vocantur. Ideo inculcat can. 608. ex una parte Superioribus religiosis, ut subditos ad tale auxilium

[1]) In casu vero talis consuetudinis legi contrariae Superiores tanto magis vigilare debere, ne abusus et peccata paullatim irrepant, manifestum est.

praestandum designent et libenter mittant, ex alia parte Ordinariis locorum et parochis, ut eo auxilio utantur in sacro ministerio et maxime in administratione sacramenti poenitentiae.

Nihil prohibet, quominus religiosi ab Episcopis etiam in dioeceses vocentur, ubi propriam domum non habent vel ipsi cum licentia Ordinarii loci sacrum ministerium exerceant, si ibi e. g. missiones habendae sint (cf. can. 1341.) vel aliter necessitati populi subveniendum sit, sed maxime in dioecesi, ubi degunt, adjutorium praestare debent. Ibi etiam sicut saeculares sacerdotes ita et religiosi (licet exempti) curam animarum habentes conventibus de re morali et liturgica, qui *collationes* seu *conferentiae* vocantur et tum in civitate episcopali tum in singulis vicariatibus foraneis saepius in anno juxta praescriptum Ordinarii loci habendi sunt, interesse debent, vel ubi conventus haberi non possunt, resolutas quaestiones secundum normas ab Ordinario statutas mittere debent (can. 131.). Imo eadem obligatione tenentur etiam confessarii religiosi, qui ab Ordinario facultatem audiendi confessiones obtinuerunt, si in eorum domibus tales collationes non fiant (cf. supra pag. 176. Nr. 105.). Ad examen vero ex praescripto canonis 130. subeundum religiosi non tenentur, cum ipsi jam severiori praecepto can. 590. obligentur (cf. l. c.).

Optandum esse, dicit can. 1345., ut in Missis, quae fidelibus adstantibus diebus festis de praecepto in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis celebrantur, brevis Evangelii aut alicujus partis doctrinae christianae explanatio fiat. Si Ordinarius loci id praeceperit, tum ejus praecepto tum instructionibus ab ipso datis tenentur religiosi exemptis non exclusis etiam in propriis ecclesiis. — Similiter si Episcopus ob causam publicam sonitum campanarum, preces aliquas vel sacra sollemnia indicat, omnes religiosi etiam exempti obedire debent, nisi speciale privilegium hac de re obtinuerint[1]) (can. 612.).

Patet religiosis, si parochos in cura animarum adjuvare debent, multo magis curandum esse, ne celebratione divinorum officiorum curae animarum parochi impedimento sint. Hoc praesertim esse potest, si hoc modo cateche-

[1]) Tale privilegium e. g. concessit Gregorius XIII. (Breve „Quaecunque sacrarum“ 15. Jul. 1576.) Societati Jesu quoad processiones.

ticae instructioni aut Evangelii explanationi in ecclesia parochiali nocumetum afferent. Si hac de re parochus et religiosi diversae essent sententiae, judicium ad Ordinarium loci pertinet (can. 609. § 3.).

Accidere potest, ut ecclesia religiosorum virorum (non mulierum, ibi enim paroeciam erigere prohibet can. 609. § 2.) sit simul ecclesia paroecialis, quo in casu multo magis attendendum est, ne parochus religiosos nec illi parochum in suo officio perturbent, quare simili modo res componi debet sicut can. 415. praescripsit pro casu, quo ecclesia cathedralis vel collegiata sit simul paroecialis (can. 609. § 1.).

Ad *religiosos spectat:* custodia sanctissimi Eucharistiae Sacramenti (sed altera tabernaculi clavis sit apud parochum), invigilatio quoad leges liturgicas, cura ecclesiae et administratio bonorum ejus cum piis legatis, funera illarum personarum, quae sec. can. 1221. a Superiore religioso sepeliendi sunt. Ad *parochum* vero pertinent sive sit religiosus sive non: applicatio Missae pro populo, praedicatio et doctrinae christianae explanatio, omnes functiones sec. can. 462. parocho reservatae (ad quas pertinent etiam funera exceptis solis illis, quae de familia religiosorum sunt), aliae functiones non stricte paroeciales, quae in paroeciis fieri solent, ita tamen, ut non impediatur chorale servitium in Ordinibus choralibus, eleemosynas in bonum paroecianorum colligere, easdem directe vel indirecte oblatas recipere, administrare et secundum offerentium voluntatem distribuere (cf. quoad ultimum infra Cap. VIII.).

Caput VII.

De privilegiis religiosorum.

(can. 613.—625.)

Art. I.

De privilegiis religiosorum in genere.

(can. 613. cf. can. 63.—79.)

145. (140) Sicut privilegia generatim, ita etiam religiosorum privilegia dividuntur 1) ratione materiae in ea, quae praeter et ea, quae contra commune jus sunt. Ad

priora imprimis pertinent variae facultates dispensandi v. g. in irregularitatibus, votis etc., et absolvendi v. g. a censuris aliisque poenis, casibus reservatis (can. 66. § 1.); inter posteriora eminet privilegium exemptionis sive a subjectione sub parochis, sive a jurisdictione Episcoporum. Praetera alia sunt privilegia, quae juri alicujus tertii praejudicant, alia quae ejusmodi juri non praejudicant. 2) Ratione fontis, ex quo privilegiorum scientia hauritur, dividuntur a) in privilegia scripta et privilegia concessa vivae vocis oraculo. Posteriora ipsi petenti in foro conscientiae suffragantur, nemo tamen potest illa in foro externo vindicare, nisi privilegium ipsi concessum esse legitime evincat (can. 79.). — Priora b) subdividuntur in privilegia, quae in fontes juris communis ecclesiastici sunt recepta, et in privilegia, quae extra hosce communis juris fontes vagantur. Inter priora iterum eminent ea, quae in corpore juris clauso atque in decretis Tridentini concilii aut in novo Codice continentur. 3) Ratione modi, quo conceduntur, dividuntur in privilegia, quae dantur motu proprio et ea, quae ad praeviam instantiam seu ad preces privilegiati dantur. Attamen saepissime privilegia, quae in ipsis eorum documentis motu proprio concessa esse dicuntur atque sic vim juridicam habent privilegiorum motu proprio concessorum [scil. valent, etsi in precibus reticeatur veritas, nisi unica causa finalis falsa sit (can. 45.) alia non valent (can. 40.)], reapse nonnisi ad instantiam privilegiatorum concessa sunt. Privilegians quippe in eorum concessione quodammodo ab instantia sibi facta abstraxit et privilegium sic concessit, ac si nullatenus rogatus esset. 4) Ratione motivi, ex quo privilegians movetur ad privilegia concedenda, distinguuntur privilegia gratiosa et remuneratoria. Priora dantur absque intuitu meritorum praeviorum, posteriora in remunerationem meritorum circa privilegiantem comparatorum. Religiosorum autem privilegia ut plurimum remuneratoriis accensenda esse dicunt. 5) Ratione acquisitionis distinguitur privilegium concessum specialiter, et privilegium concessum per communicationem seu ad instar aliorum,

qui idem privilegium antea obtinuerunt. Hoc alterum iterum duplici modo datum esse potest, aut sic, ut postea aliis concessum dependeat quoad suum usum et interpretationem a privilegio alteri antea concesso, adeoque augeatur, minuatur, cesset cum eo, quod principali privilegiato concessum est (in forma *accessoria,* can. 65.); aut sic ut sequentibus privilegiatis independenter a primo privilegiato concedatur (in forma *aeque principali,* can. 64.).

(141) Acquiruntur privilegia a religiosis duplici modo, aut per concessionem et communicationem aut per consuetudinem et praescriptionem (can. 63.). Porro 1) quoad praescriptionem haec sunt animadvertenda: a) Praescriptione acquiri possunt tum privilegia praeter jus tum privilegia contra jus commune. b) In utrisque attendatur oportet, utrum praescriptio sic fiat, ut alii ab usu ejusdem facultatis excludantur, adeoque praescribens quoad privilegii materiam immunis fiat a potestate alterius, an vero sic ut praescribens facultatem quidem novam acquirat at cumulative cum eo, qui facultatem eousque jam possedit. Sic v. g. communitas religiosorum non exemptorum praescriptione id acquirere potest, ut singuli a Praelato suo solo in votis aut irregularitatibus dispensare possint adeoque Episcopus ab hac potestate excludatur, tum ut Praelatus religiosus cum ipsis quidem dispensare possit, at Episcopus eandem facultatem quoad ipsos non amittat. Per priorem praescriptionem acquirit Praelatus jus privative ad Episcopum, per alteram cumulative cum Episcopo.[1]) c) Ad praescribenda privilegia tum praeter tum contra jus commune nunc requiritur tempus quadraginta annorum, quod in Codice (cann. 28. et 30.) ad praescribendam consuetudinem postulatur, praescriptio autem alia scil. legis civilis respectivae nationis (can. 1508.) certe brevior esse potest sed omnino diversa est secundum diversas regiones ideoque tempus determinatum pro tota Ecclesia non potest

[1]) Exemptio vero probabiliter per praescriptionem acquiri non potest, cum can. 618. § 1. postulet specialem concessionem.

indicari, Res immobiles, mobiles pretiosae, jura et actiones sive personales sive reales contra aliam personam moralem ecclesiasticam spatio 30 annorum praescribuntur; quae pertinent ad Stam. Sedem, 100 annorum. 2) Per concessionem item tum privilegia contra jus tum privilegia praeter jus acquiri posse patet. Item patet privilegia contra jus eum tantum concedere posse, qui juris abrogandi facultate potitur. Quapropter solus summus Pontifex concedit privilegia contra jus commune ecclesiasticum; privilegia contra jus particulare dioecesanum etiam Episcopus concedere potest, in quantum hoc jus ejus jurisdictioni non est subtractum. Item summus Pontifex concedit privilegia contra jura tertii; attamen contra administrativa jura auctoritate sibi inferiorum etiam Episcopus privilegia concedere potest, e. g. eximendo conventum religiosum a jurisdictione parochi loci. Porro concessio privilegii duplici modo fit, vel directe vel sic ut alteri Ordini concedatur communicatio in aliquo privilegio cum priori Ordine, cui directe privilegium concessum est.

(142) Inter Ordines religiosos usitatissima erat in privilegiis communicatio, de ipsa peculiariter haec sunt animadvertenda: 1) Plenissima inter se a) communicatione privilegiorum gaudebant Ordines mendicantes ex constitutione Leonis X., adeo ut generatim loquendo privilegium uni Ordini mendicanti concessum eo ipso etiam ad alterum Ordinem mendicantem transiret.[1]) Praeterea b) quia aliqui Ordines mendicantes id privilegium expresse obtinuerunt, ut communicarent in privilegiis etiam cum Ordinibus non mendicantibus, ideo etiam in alios Ordines mendicantes, qui cum hisce mendicantibus Ordinibus communicabant, privilegia non mendicantium per viam communicationis transierunt. c) Sed etiam vice versa fere omnes Ordines non mendicantes successu temporis id privilegium obtinuerunt, ut cum mendicantibus participarent in privilegiis adeoque sic etiam cum non mendicantibus participarent. Imo similis communicatio inter Congregationes virorum religiosorum recentiores introducta est. Sic Congregationi ss. Redemptoris concessa est communicatio in privilegiis cum Congregatione Doctrinae christianae, Piorum operariorum, clericorum discalceatorum Crucis et Passionis D. N. J. C.

---

[1]) Cf. Leonis X. constit. „Dudum“ d. 10. Dec. 1519. (Bull. Rom. ed. Luxemb. t. I. p. 597.).

Attamen 2) nunc omnis communicatio privilegiorum per can. 613. § 1. inter diversas religiones sublata est. § illa sic sonat: „Quaelibet religio iis tantum privilegiis gaudet, quae vel hoc in Codice continentur, vel a Sede Apostolica directe eidem concessa fuerint, exclusa in posterum qualibet communicatione."

Hoc canone omnia revocantur privilegia, quae religiones per communicationem cum aliis religionibus obtinuerunt. Nec dici potest exclusam esse solummodo communicationem privilegiorum eorum, quae in posterum alicui religioni conferentur;[1]) obstant enim verba: „Iis tantum privilegiis gaudet." Idem videtur sequi ex modo agendi s. Congreg. de Religiosis, quae per decretum d. 26. Junii 1918.[2]) omnibus religionum Moderatoribus iniunxit, ut cum relatione de statu religionis sec. can. 510. sibi proponantur constitutiones et regulae ad normam can. 489. immutandae, cum generatim in iisdem soleant etiam contineri privilegia, quibus gaudent. Nec dici potest illa privilegia nunc jam per consuetudinem vel praescriptionem acquisita esse, cum usus talium privilegiorum per totum temporis decursum semper fiebat cum animo utendi privilegio non autem introducendi consuetudinem novam. Imo sublata est praecise illa communicatio, quae usque nunc generali concessione alicui religioni impertita fuit non autem per hunc canonem Sta. Sedes prohiberi potest, quominus etiam futuro tempore uni religioni concedat privilegium „ad instar" alterius sive hoc fiat in forma aeque principali sive etiam in forma accessoria. Notandum vero est etiam concessa tali communicatione privilegiorum transire solummodo ea privilegia, quae directe, perpetuo et sine speciali relatione ad certum locum aut rem aut personam concessa fuerant primo privilegiario habita etiam ratione capacitatis subjecti, cui fit communicatio (can. 64.).

Non autem sublata est communicatio privilegiorum quoad moniales cum regularibus viris, cum § 2. can. 613. statuat: „Privilegia, quibus gaudet Ordo regularis, competunt quoque monialibus ejusdem Ordinis, quatenus eorum sint capaces."

Et hoc quidem valet tum 1) de monialibus, quae Praelatis regularibus subjectae sunt, tum 2) de monialibus, quae Ordinis virorum regularium regulas quidem sequuntur, tamen Episcopo subjectae sunt

---

[1]) Ita putat Brandys, kirchliches Rechtsbuch, pag. 78.

[2]) Acta Apost. Sedis, X. (1918.) pag. 290.

tum 3) etiam de iis, quarum vota ex instituto quidem sunt sollemnia, sed pro locis, in quibus habitant, ex Apostolicae Sedis praescripto sint simplicia.

Dubium etiam oriri potest, num religiosi privilegia per praescriptionem acquirere possint, quia can. 613. solummodo admittit privilegia aut per Codicem aut directe ab Apostolica Sede concessa. Sed 1) quoad consuetudines centenarias vel immemoriales dubium esse non potest; nam possessio centenaria vel immemorabilis inducit praesumptionem concessi privilegii, proinde hoc non amplius probandum est. 2) Neque videtur praescriptio ordinaria exclusa, cum can. 613. potius communicationem quam praescriptionem excludat et generatim can. 63. praescriptionem inter modos acquirendi privilegium enumeret; mirum autem esset, si soli religiosi ab hoc acquirendi modo excluderentur. Excipiuntur autem illa, quae solo privilegio apostolico acquiri possunt (can. 1519.).

146. Privilegiorum usum quod attinet, nemo cogitur uti privilegio in sui dumtaxat favorem concesso, nisi alio ex capite exsurgat obligatio (can. 69.) Talis obligatio in religioso existere potest sive ex voluntate Superiorum sive ex natura rei, quatenus communitatis religiosae bonum usum privilegii postulet.

Privilegia sunt strictae interpretationis (can. 68. coll. can. 50.) semper tamen ita interpretanda, ut privilegio aucti aliquam ex indulgentia concedentis videantur gratiam consecuti.

Si privilegium ad tempus est concessum, cessat, ut patet, a) *tempore expleto*, attamen in dubio censendum est perpetuum (can. 70.). Idem valet *expleto numero casuum*, pro quibus fuit concessum (can. 77.) ita tamen, ut actus postea per inadvertentiam positus valeat, si potestas pro foro interno data fuit (can. 207. § 2.). Alio modo cessant privilegia — b) *per revocationem* et quidem lege generali contraria revocantur privilegia in Codice contenta alia non (can. 71.), si autem per peculiarem Superioris actum revocatur, cessat eo momento, quo revocatio ei, qui illud obtinuit, significetur (can. 60.). — c) *per renuntiationem* a competente Superiore *acceptatam*. Persona privata autem renuntiare potest illis sollummodo privilegiis, quae in sui tantum favorem constituta, non vero illis, quae alicui communitati,

dignitati vel loco concessa sunt. Imo ne tota quidem communitas potest renuntiare privilegio α) sibi dato per modum legis vel β) si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praejudicium (can. 72.). — d) resuloto jure concedentis si data fuerint cum clausula: „ad beneplacitum nostrum“ vel alia aequipollenti, secus perdurant (can. 73.) — e) *persona* (physica aut morali) *exstincta*, si privilegium est personale; *interitu absoluto rei vel loci*, si privilegium est reale ita tamen. ut privilegium reviviscat, si locus intra 40 annos restituatur (cann. 74. et 75.).

Antea privilegia personae morali concessa inter realia computabantur, pro qua sententia in Codice nullum potest inveniri indicium. Practice autem non apparet differentia majoris momenti, si conferantur ea, quae supra Nr. 25. pag. 33. de suppressione religionis et generatim personae moralis dicta sunt.

f) Per *non usum* vel *usum contrarium* cessant privilegia, quae in aliorum gravamen cedunt, si accedat legitima praescriptio vel tacita renuntiatio, non cessant vero privilegia, quae aliis non sunt onerosa (can. 76.). — g) *mutatis ita rerum adjunctis*, ut privilegium judicio Superioris noxium evaserit aut ejus usus illicitus fiat (can. 77.). — h) *Abusu potestatis* privilegiato concessae privilegium quidem non ipso facto cessat, at abutens privilegio privari meretur et Ordinarius Sanctam Sedem monere debet, si quis privilegio ab eadem concesso graviter abutatur (can. 78.).

Specialia valent quoad facultates habituales, quae conceduntur vel a) in perpetuum vel b) ad praefinitum tempus vel c) ad certum numerum casuum; nam illae 1. accensentur privilegiis praeter jus, 2. Superiori majori religionis concessae, non evanescunt resoluto jure Ordinarii, cui concessae sunt, sed transeunt ad succesorem, etiamsi ille Superior, cui sunt primo datae, jam eas exsequi coeperit. 3. Secumferunt alias quoque potestates, quae ad illius usum sunt necessariae, quare in facultate dispensandi includitur etiam potestas absolvendi a poenis ecclesiasticis, si quae forte obstent sed solummodo ad effectum dispensationis consequendae (can. 66.).

Art. II.

De privilegiis clericorum, quibus fruuntur etiam religiosi. (cann. 614. et 119.—123.)

147. „Religiosi, etiam laici ac novitii, fruuntur clericorum privilegiis, de quibus in can. 119.—123.“, dicit can. 614. Illa autem sunt privilegia, quae antea vocari solebant 1. privilegium canonis, 2. privilegium fori, 3. exemptio a servitio militari aliisque publicis officiis et 4. beneficium competentiae.

1. *Privilegium canonis* in Codice sic proponitur: Can. 119.: „Omnes fideles debent clericis pro diversis eorum gradibus et muneribus reverentiam, seque sacrilegii delicto commaculant, si quando clericis realem injuriam intulerint.“ Poenam vero excommunicationis Ordinario proprio reservatae ipso facto incurrit, et praeterea aliis poenis, si res ferat, ejusdem arbitrio puniendus est, qui in personam aliorum clericorum (scil. praeter Romanum Pontificem, Cardinalis, Episcopos etc.) vel utriusque sexus religiosorum violentas manus iniecerit (can. 2343. § 4.).

Hoc modo imprimis declaratur tum clericos tum religiosos esse personas sacras utpote Deo consecratas, quo eo ipso fit, ut eorum violatio per injuriam realem constituat crimen sacrilegii personalis, quod dici nequit de injuria verbali. Privilegium autem in eo fuit, quod Conc. Lateranense II. sub Innocentio II. anno 1139. per canonem 15. contra persecutores clericorum excommunicationem latae sententiae, quae jam antea legibus particularibus statuta erat, ad universam Ecclesiam extendit, quare etiam privilegium canonis nomen accepit.[1]) Haec excommunicatio saepius, ultimo vero in Constitutione „Apostolicae Sedis“ renovata nunc in Codice eatenus immutata est, quatenus, si agitur de simplicibus clericis vel religiosis non amplius Stae. Sedi

[1]) Continetur in can. 29. causae 17. qu. 4.: Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui praesentetur et ejus mandatum suscipiat.

sed Ordinario proprio reservatur.[1]) Potest vero Ordinarius alias quoque poenas adjungere (can. 2343. § 4.).

2) *Privilegium fori*, quatenus etiam religiosos includit, consistit in eo, quod religiosi sicut et clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud judicem ecclesiasticum conveniri debeant, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit (can. 120. § 1.). Si autem nihilominus in casu particulari necessarium videatur actionem contra illos apud judicem laicum instituere, actor a competente Superiore ecclesiastico veniam petere debet. Competens Superior est pro Abbatibus vel Praelatis *nullius* et pro supremis religionum juris pontificii Superioribus Sedes Apostolica, pro ceteris religiosis Ordinarius loci, in quo causa peragenda est (can. 120. § 2.). Si nihilominus nulla obtenta venia conveniantur, possunt ratione necessitatis ad vitanda majora mala comparere, debent autem antea Superiorem illum monere, a quo venia petenda fuisset (can. 120. § 3.). Notandum vero actorem, qui tali licentia non petita ausus fuerit ad judicem laicum trahere Abbatem vel Praelatem *nullius* vel aliquem ex majoribus religionum juris pontificii Superioribus incurrere excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam, si alium privilegio fori fruentem, actorem clericum ipso facto incurrere in suspensionem ab officio Ordinario reservatam, laicum vero congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario esse puniendum (can. 2341.). Ex altera parte monentur Ordinarii locorum, ne denegent sine justa et gravi causa licentiam petitam praesertim cum actor est laicus tum maxime, cum ipsi jam controversiae inter partes componendae frustra operam dederint (can. 120. § 2.).

Ad regiones, in quibus per concordatum cum Sede Apostolica jam generalis licentia data est saltem quoad clericos minores et religiosos pertinet territorium Austriae, Costae Ricae, Nicaraguae, Sancti

---

[1]) Quoad historicam evolutionem cf. Wernz, Jus decret. II. 1², Nr. 164. pag. 249.

Salvatoris, Quatemalae, Honduras, Aequatoris, Columbiae. In Germania vero, ubi per concordatum speciale regionis non est provisum, saltem per consuetudinem legitimam licet vocare clericos et religiosos ad forum civile. In Hispania saltem de certis casibus quoad consuetudinem dubium adhuc manet.[1])

3) *Immunitas a servitio militari* a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis ab Ecclesia non obstantibus legibus civilibus contrariis sustentatur. Quid autem faciendum sit religiosis, qui contra jus ecclesiasticum ad militiam coguntur jam exposuimus Cap. VI. de obligationibus religiosorum.[2])

4) *Beneficium competentiae* postulat, ut clericis et religiosis, qui creditoribus satisfacere coguntur, salva sint, quae ad honestam sui sustentationem, prudenti ecclesiastici judicis arbitrio, sunt necessaria, firma tamen eorundem obligatione creditoribus quamprimum satisfaciendi.

5) Hic addi potest privilegium quoad *usum pontificialium*, in quo certi Abbates regulares cum Episcopis conveniunt; dicit enim can. 625.: „Abbates regulares de regimine legitime electi debent intra 3 menses ab electione benedictionem accipere ab Episcopo dioecesis, in qua monasterium situm est; postquam vero benedictionem receperint, praeterquam potestate conferendi ordines ad normam can. 964. Nr. 1.[3]) fruuntur privilegiis de quibus in can. 325. excepto pileolo violaceo." Can. vero 325. sic sonat: „Abbas vel Praelatus *nullius*, licet charactere episcopali careat, utitur tamen in proprio territorio insignibus pontificialibus cum throno et baldachino et jure ibidem officia divina pontificali ritu celebrandi; crucem autem pectoralem, annulum cum gemma ac pileolum violaceum potest etiam extra territorium deferre." Ex quibus deducitur Abbatem regularem de regimine benedictum posse ubique crucem pectoralem et annulum cum gemma portare. Aliis insignibus pontificalibus extra propriam ecclesiam uti non pos-

[1]) Cf. hac de re Ferreres, Inst. can. I. pag. 96. ss.
[2]) Vide supra pag. 228. Nr. 131.
[3]) Cf. supra pag. 172. Nr. 104.

sunt, nisi speciali gaudeant privilegio apostolico aut per consuetudinem centenariam vel immemorialem talis usus introductus sit. Certe enim non habent majorem facultatem quam Praelati *nullius*, quibus hoc privilegium solummodo pro proprio territorio conceditur (can. 325.).

Art. III.

De religiosorum exemptione.

148. (126) Sub exemptione hic intelligimus immunitatem a jurisdictione Ordinarii loci seu eam conditionem, qua persona vel locus ab Episcopi vel alterius Superioris ordinariam jurisdictionem habentis potestate subtracta et immediate Papae subjecta exsistunt. Pro qua definitione intelligenda haec animadverte: 1) Potest ex particularibus causis personis aut locis dari immunitas a variis auctoritatibus, quibus ipsae per se subjectae sunt. Sic datur immunitas ab auctoritate parochi, quae haud raro etiam conventibus religiosis, quae ab auctoritate Episcopi exempti non sunt, saltem quoad plurima competit. Id autem per se patet, quod religiosa domus, quae ab Ordinarii dioecesani auctoritate exempta exsistit, etiam a potestate parochi exempta sit. Item accidit quandoque, ut singularis persona religiosa aut singularis conventus immunis sit a potestate Praelatorum inferiorum atque immediate supremo Praelato subjectus. 2) Sermonem hic facimus de immunitate religiosorum a jurisdictione Episcoporum seu dioeceseon Ordinariorum, item Vicariorum apostolicorum aliorumque, qui ordinariam in certis territoriis ecclesiasticis auctoritatem exercent.

149. (127) Exemptio variis modis dividitur: 1) Ratione subjecti distinguitur exemptio in capite tantum, et exemptio in capite et in membris. Fieri enim potest, ut tantum caput communitatis exemptum sit ab Episcopi auctoritate, communitas autem non sit. Quo in casu com-

munitas de capitis exemptione aliquatenus quidem participat, quando caput seu Praelatum habet; si vero Praelatura vacat, communitas sub omnimodam ordinariam Episcopi potestatem redit. 2) Item ratione subjecti distinguitur exemptio personalis, localis, mixta. Prima est, quae immediate personas, altera quae immediate locum, tertia quae immediate tam personas quam locum afficit. Solet autem religiosorum exemptio personalis esse (cf. supra pag. 51. Nr. 35.), quia non territoria, in quibus eorum conventus siti sunt, exempta a potestate Episcopi exsistunt, sed eorum personae tantum. Exemptio localis habetur, si v. g. aliqua ecclesia Episcopi potestati subtrahitur; hoc autem in casu clerici ecclesiae exemptae inservientes saltem aliqua ratione de exemptione participant. Exemptionis mixtae exemplum ii conventus regulares praebent, qui praeterquam quod personaliter exempti sint, territorium habent separatum, quod nec de dioecesi nec in dioecesi exsistit (can. 319.). 3) Ratione objecti exemptio dividi potest in exemptionem a lege dioecesana[1]) et exemptionem a lege jurisdictionali. Sub priori intelligitur immunitas religiosorum a tributis varii generis Episcopo solvendis, ad quorum solutionem saeculares clerici tenentur. Talia tributa sunt e. g. cathedraticum (can. 1504.) seu synodaticum, seminaristicum (can. 1355., 1356.), subsidium caritativum, portio canonica episcopalis, item decimae parocho solvendae (can. 1502.) etc. (can. 1505.). Exemptio a lege jurisdictionali in eo est, quod religiosi legislativae, judiciali et coercitivae Ordinariorum potestati subtracti exsistunt.

150. (128) De exemptionis origine haec notamus: 1) De jure communi, tam temporibus antiquis quam nunc, religiosi tum quoad observationem communium mandatorum

[1]) Terminus ille in Codice non amplius invenitur. Tributa varia Episcopo solvenda habentur, exemptio vero generalis habetur solum quoad cathedraticum. Quoad seminaristicum exemptio est sublata reprobata qualibet contraria consuetudine et abrogato quolibet contrario privilegio.

Ecclesiae tum quoad disciplinam regularem et observantiam votorum Episcopis subjiciuntur.[1]) Quapropter qui se ab Episcopis exemptos affirmant, id per privilegium obtinent; praesumptio stat, sicut pro communiter contingentibus ita etiam pro communi jure. Et quia per exemptionem Episcoporum potestati praejudicium infertur, ideo exemptio in dubio est strictius interpretanda (can. 68. coll. 50.). — 2) Acquiritur autem exemptio nunc unice per privilegium apostolicum. Tale privilegium omnibus regularibus confert can. 615. his verbis: „Regulares, novitiis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, exceptis iis monialibus, quae Superioribus regularibus non subsunt, ab Ordinarii loci jurisdictione exempti sunt praeterquam in casibus a jure expressis.“ Religiones autem votorum simplicium exemptionis privilegio non gaudent, nisi specialiter eisdem fuerit concessum (can. 618. § 1.).

Porro de exemptionis privilegio animadvertimus: a) Primae exemptiones monasteriorum saec. VI. factae esse dicuntur.[2]) b) Rationes, ob quas summi Pontifices ipsum concesserunt, potissimum in meliori et tranquilliori cura disciplinae regularis, utpote quae efficacius per Superiores regulares quam per saeculares Episcopos saepissime promoveatur, tum in manifestanda et conservanda auctoritate Sedis Apostolicae consistunt. c) Verba, quibus in summorum Pontificum constitutionibus exemptio exprimitur, varia sunt. Ita exemptio conceditur non tantum, quando Ordo „ab omni jurisdictione et correctione et superioritate Ordinariorum eximitur“, aut quando „immediate sanctae Sedi subjicitur“, aut quando „libertate ecclesiae Romanae“ donatur, sed etiam quando Romanae Ecclesiae aut Sedi Apostolicae „specialiter“ subjicitur, aut quando „sub speciali cura et protectione Sedis Apostolicae recipitur“ aut quando „plena libertate“ donatur.[3]) — 3) Praeterea exemptio acquiri potuit praescriptione;[4]) nunc autem hoc modo oriri

[1]) Cf. cap. Quam sit 5. et cap. Luminoso 6. C. 18. q. 2; cap. Quum dilectus 8. De religiosis domibus etc. (III. 36.; Innoc. III. ann. 1210.); cap. In singulis 7. De statu monachorum (III. 35.; Innoc. III. ann. 1215.), nunc autem can. 500. § 1.

[2]) Cf. Tamburini, De jure Abbatum tom. I. disp. 15. q. 1. ss.

[3]) Cf. Tamburini l. c. q. 5.

[4]) Ita expresse dicitur in cap. Quum dilectus cit.

non amplius posse patet ex cann. 1509. Nr. 2., 613. § 1. et 618; nam can. 1509. dicit „praescriptioni obnoxia non esse, quae obitineri possunt ex solo privilegio apostolico, can. autem 613. omnia privilegia religiosorum et can. 618. speciatim exemptionem ex solo privilegio apostolico derivat. Excipi solum potest praescriptio centenaria vel immemorialis, quatenus talis juris possessio inducit praesumptionem concessi privilegii (can. 63. § 2.). — 4) Nunc etiam modus acquirendi exemptionem ope communicationis privilegiorum ex dictis est exclusus, etsi hoc antea fieri potuerit, si communicatio etiam in privilegiis alias incommunicabilibus concessa fuerit.[1])

151. Excipiuntur ab exemptione: 1. Regulares extra domum illegitime degentes etiam sub praetextu accedendi ad Superiores (can. 616. § 1.).

Accessus ad Superiores antea liber erat licebatque religiosis ad Superiores migrare, etsi longius iter propterea instituendum esset. Quia vero facile fieri potuit, ut aliqui hac facultate abuterentur, ut per breve saltem tempus extra claustra degerent et ita obedientiae suorum Superiorum se subtraherent, ideo conc. Trid. sess. XXV. Cap. 4. de Regular. jam praescripserat: „Nec liceat regularibus a suis conventibus recedere etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato in scripto obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui instituti puniatur.“ Haec lex in tantum renovata est, in quantum illegitime extra domum degentes sub jurisdictione Ordinarii loci sunt.

2. Si extra domum delictum commiserint nec a proprio Superiore praemonito puniantur, a loci Ordinario puniri possunt, etsi e domo legitime exierint et domum reversi fuerint (can. 616. § 2.).

Concilium Trid. idem statuerat cum aliqua distinctione: Regulares commorantes (i. e. habentes pro aliquo tempore habitationem) extra monasterium, licet de Superiorum licentia, si deliquerint, sub jurisdictioni erant Episcopi loci, qui eos punire poterat (sess. VI. Cap. 3. de Ref.). Regularis, qui intra claustra monasterii degebat et extra ea ita notorie deliquit, ut populo scandalo fuerit, Episcopo instante a suo Superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum puniendus erat. Si Superior praemonitus secus fecerit, delinquens ab Episcopo puniri potuit (sess, XXV. Cap. 14.). De hac differentia[2]) in Codice sermo non est, sed in utroque casu Superior religiosus monendus est et solum in casu, quo ille officio suo defuerit, Episcopus religiosum punire potest.

[1]) Cf. Barbosa, Jus eccl. univers. l. II. c. 12. n. 23.

[2]) Cf. Santi-Leitner, Praelect. Juris can. I⁴. pag. 354. Nr. 186.

3. Domus non formata manet sub peculiari vigilantia Ordinarii loci (can. 617. § 2.).

Non vero ideo putandum est eam omnem exemptionem amisisse; nam Ordinarius loci solum in determinato casu, si nempe in tali domo abusus irrepserint et fidelibus scandalo fuerint, ipse per se providere, alio modo autem sese ingerere non potest.

4. Propria exceptio ab exemptione non est, quamvis aliquem modum sese ingerendi contineat praescriptum § 1. canonis 617. „Si in regularium aliorumque religiosorum exemptorum domibus eorumve ecclesiis abusus irrepserint et Superior monitus prospicere neglexerit, Ordinarius loci obligatione tenetur rem ad Sedem Apostolicam statim deferendi."

152. (129) Amittitur exemptio 1) revocatione ipsius per Romanum pontificem facta.

Huc refertur dispositio concilii Trid. 25., 8., de qua haec notanda veniunt: a) Exemptio singularibus quidem etiam conventibus regularibus concedi potest et concessa fuit, sicut singularibus etiam Capitulis saecularibus concesse est; attamen praeprimis iis Ordinibus concessa fuit, qui diversis Praelatorum gradibus reguntur, atque iis regularibus conventibus qui, etsi talis unio in primitivo eorum regimine praevisa non fuerit, in Congregationes, per Abbates generales aut Archiabbates atque per Capitulum ex Abbatibus singulorum monasteriorum constans regendas, sese adunarunt. Difficulter quippe in conventibus distinctis nec generali Abbati nec Episcopo sed immediate Romano Pontifici subjectis regularis disciplina conservatur.[1]) b) Quapropter Trid. l. c., ut singulares conventus exempti ejusdem Ordinis, qui in eadem ecclesiastica provincia sunt siti, juxta veterum Congregationum exempla ad unam Congregationem sese coadunarent, disposuit, idque sub poena amissionis exemptionis. Attamen c) ut exemptio hisce conventibus reapse pereat, non tantum requiritur quod Congregationem non formaverint, sed etiam quod ab Episcopis aut Archiepiscopis ad talem Congregationem formandam moniti fuerint et ea monitione non obstante coadunationem neglexerint.[2]) Nunc talibus Congregationibus ubique jam formatis de hac poena amissionis exemptionis nullum amplius in Codice invenitur vestigium.

---

[1]) De talibus Congregationibus efformandis agitur in cap. In singulis 7. De statu monachorum (III. 35.; Innoc. III. ann. 1215.).

[2]) Ita patet ex Trid. 25. 8.

2) Etiam praescriptione. Ut autem Episcopus aut episcopalis sedes subjectionem conventus ope praescriptionis reacquirat, item tempus triginta (can. 1511. § 2.) vel etiam quadraginta annorum (cann. 27., 28.) atque exercitium ejus superioritatis per plures actus requiritur. Atque etiam exemptio in determinato actu seu jure amitti potest salva exemptione in aliis actibus seu juribus.

153. (130) Casus saltem potiores hic enumerandi sunt, in quibus religiosi quomodolibet exempti Episcopis subjecti manent, nisi forte praescriptione centenaria aut immemoriali in aliquo ex his etiam casibus immunitatem ab Episcopi jurisdictione acquisiverint.

Duplex antea subjectio distinguenda erat. In quibusdam enim religiosi exempti ordinariae Episcoporum jurisdictioni subjecti manebant, in quibusdam jurisdictioni eorum delegatae, eo quod in his Episcopi Apostolicae Sedis delegati quoad religiosos constituti sunt. Discrimen inter hanc duplicem subjectionis originem in eo erat, quod a) potestas ordinaria Episcoporum vacante sede ad capitulum cathedrale transit, adeo ut religiosi in iis casibus, in quibus ordinariae Episcoporum potestati subjecti erant, etiam Vicario capitulari aut alteri, ad quem ordinaria Episcopi potestas vacante sede transit, subjiciebantur. Quia vero delegata Episcoporum potestas ad capitulum aliumve Episcopi in potestate ordinaria successorem non transit, religiosi in iis, quae Episcopus tanquam Sedis Apostolicae delegatus quoad ipsos potuit, Vicario capitulari aut alteri dioeceseos administratori non subjiciebantur, nisi hic probaverit hanc quoque facultatem sibi specialiter commissam esse. Dein b) quando religiosi sese ab Episcopo gravatos putabant in iis, in quibus ordinariae ipsius potestati subjiciebantur, appellationis instantia immediate superior erat Archiepiscopus ejusque tribunal; dum appellatio a gravamine illato ab Episcopo in iis, in quibus tanquam Sedis Apostolicae delegatus religiosos sibi subjectos habebat, immediate ad Sanctam Sedem, tamquam ad delegantem, dirigenda erat. Nunc de hac distinctione sermo non amplius est. In genere autem, praemittendum est religiosos in omnibus, in quibus Ordinario loci subsunt, posse ab eodem etiam poenis coerceri (can. 619.).

154. 1. (131) De subjectione religiosorum exemptorum sub Episcopi jurisdictione quoad ordinariam animarum curam in paroeciis incorporatis cf. infra Cap. VIII. Art. III. Si vero alicui religioni exemptae commissa sit cura eccle-

siae, quae nec paroecialis sit nec annexa domui communitatis religiosae, quae in eadem officia celebret, notandum est:

Rector ecclesiae religionis exemptae nominatur quidem a Superiore religioso, debet autem ab Ordinario loci approbari (can. 480. § 2.) et potest etiam ab eodem removeri (can. 486.) ex qualibet justa causa monito tamen Superiore (can. 454. § 5.).

2. (132) De confessionibus saecularium audiendis haec valent:

Jurisdictionem etiam religiosis exemptis (aliter ac antea) nunc confert loci Ordinarius (can. 874. § 1.), qui tamen habitualiter religiosis eam non concedere debet nisi praesentatis a Superiore (ib. § 2.), praesentatis vero, si eos idoneos invenerit (can. 877.) non deneget sine gravi causa (can. 874. § 2.). Examen ab ipsis postulare semper potest, si autem ei aliunde noti vel in religione jam examinati fuerint, non debet. Jurisdictio etiam concedi potest certis quibusdam circumscripta finibus, sed nec ipse jurisdictionem nec Superior licentiam sine rationabili causa nimis coarctet (can. 878.). Concessam jurisdictionem loci Ordinarius semper valide sed non sine gravi causa licite revocare potest, nec licet ei inconsulta Sede Apostolica eam omnibus alicujus formatae domus religiosis simul adimere (can. 880.).

3. (133) Quoad praedicationem verbi divini religiosi exempti sic Episcopis subjiciuntur:

a) Si Ordinarii loci judicio religiosorum auxilium ad catecheticam populi institutionem sit necessarium, Superiores religiosi, etiam exempti, ab eodem Ordinario requisiti, tenentur per se vel per suos subditos religiosos sine tamen regularis disciplinae detrimento illam populo tradere praesertim in propriis ecclesiis (can. 1334.). Ordinarii loci etiam est omnia in sua dioecesi edicere, quae ad populum in christiana doctrina instituendum spectent; et etiam religiosi exempti, quoties non exemptos docent, eadem servare tenentur (can. 1336.). — b) Si concio habenda sit tantum ad religiosos exemptos eorumque domesticos (can. 514.) facultatem concionandi in religione clericali dat eorum Superior, qui tamen sacerdotem saecularem ad eum finem solummodo vocare potest, si a proprio Ordinario (religiosus alius religionis a proprio Superiore) idoneus judicatus fuerit. In religione laicali facultatem dat loci Ordinarius, ad ejus usum autem requiritur assensus Superioris religiosi. — Si concio habenda sit ad alios vel etiam ad moniales regularibus subjectas, facultatem religiosis quoque exemptis impertit Ordinarius loci, in quo concio fiet; concionator autem verba facturus monialibus exemptis, licentia Superioris regularis praeterea indiget

(can. 1338.). Distinctio, quam auctores juxta legem Tridentinam[1]) faciebant inter concionem habendam in ecclesia propria exemptorum et praedicationem in ecclesia aliena nunc nullius est momenti. Concionandi facultas solis sacerdotibus vel diaconis numquam laicis etsi religiosis, aliis clericis nonnisi in casibus singularibus ex rationabili causa (can. 1342.) concedenda est et solum, si prius constat de doctrina et bonis moribus aut per examen aut aliunde (can. 1340.). Attamen Ordinarii locorum religiosis, qui a proprio Superiore exhibeantur, facultatem concionandi sine gravi causa ne denegent concessamque ne revocent praesertim una simul universis domus religiosae sacerdotibus (can. 1339.). Debent tamen facultatem revocare, si compererint necessarias dotes in concionatore desiderari (can. 1340. § 2.) salvo recursu in devolutivo ad Stam. Sedem (ib. § 3.). Sacerdotes extradioecesanos ad concionandum invitare non licet, nisi prius Ordinarius loci (nixus testimonio Ordinarii concionatoris invitandi) licentiam dederit (can. 1341.). — c) Si loci Ordinarius opportunis datis instructionibus praeceperit, ut diebus festis de praecepto in omnibus ecclesiis in Missis, quae fidelibus adstantibus celebrantur, brevis Evangelii aut alicujus partis doctrinae christianae explanatio fiat, hac lege tenentur etiam religiosi exempti in suis ipsorum ecclesiis (can. 1345.).

4. (134) Quoad cultum divinum et speciatim ssmi. Eucharistiae Sacramenti religiosi exempti ab Episcopo dependent:

a) quoad aedificationem ecclesiae (can. 1162. § 4. cf. supra pag. 32. Nr. 23.) ejusque consecrationem, quae ad Ordinarium loci spectat (can. 1155.). — b) Ipsius est etiam leges condere de cultu divino, praesertim ne quidquam admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum vel turpis quaestus speciem prae se ferens, quibus etiam religiosi exempti tenentur, et Ordinarius potest eorundem ecclesias vel publica oratoria in hunc finem visitare (can. 1261. § 2.). — b) Nemini licet in ecclesiis etiam exemptis aliisve ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Ordinario loci sit approbata (can. 1279. § 1.). — c) Religiosae familiae in festo Corporis Christi unicae processioni, quae ab ecclesia digniore fit, interesse debent exceptis solis regularibus, qui in strictiore clausura perpetuo vivunt aut a civitate ultra 3000 passuum distant; possunt tamen etiam regulares ecclesiae intra octavam proprias processiones extra ecclesiae ambitum agere, sed, ubi plures sunt ecclesiae, Ordinarii loci est dies, horas ac vias praestituere, quibus suam quaeque processionem agat

[1]) Cf. Conc. Trid. sess. 5. Cap. 2. et sess. 24. Cap. 4. et Constit. Clementis X. „Superna“ d. 21. Junii 1670. § 3.

(can. 1291.). Ad alias processiones instituendas extra ecclesias et claustra religiosi etiam exempti indigent licentia Episcopi (can. 1293.), debent autem interesse processionibus ab eo indictis (can. 1292.). — d) Peculiares normae quae Ordinarius loci intra limites generalis legis (cf. can. 804. §§ 1. et 2.) de admissione sacerdotum extraneorum ad celebrationem Missae in ecclesiis dioecesis dedit, etiam a religiosis exemptis in suis ecclesiis servandae sunt (can. 804. § 3.). Iidem tenentur sese accomodare legi, qua Episcopus manualem Missarum stipem pro sua dioecesi definivit (can. 831. § 3.). — e) Ordinarii loci est, licentiam dare pro expositione Ssmi. Sacramenti extra octavam festi Corporis Christi, licet ecclesia ad religionem exemptam pertineat (can. 1274. § 1.). Ipsius est etiam licentiam dare pro asservatione ssmi. Sacramenti in oratorio principali domus religiosae (can. 1265. § 1. Nr. 2.) non autem pro ecclesia (ib. Nr. 1.). In alio vero oratorio praeterea sanctissimam Eucharistiam custodire religiosis, revocato quolibet privilegio, non licet (can. 1267.).

5. De dependentia religiosorum ab Episcopo quoad ordines recipiendos vide supra pag. 172. Nr. 104.

6. (136) Quoad dependentiam religiosorum exemptorum ab Episcopo in editione librorum nota:

Nemo catholicus licite edere potest libros, et scripta, in quibus aliquid sit, quod religionis ac morum honestatis peculiariter intersit et speciatim, quae de materia in can. 1385. exposita tractent absque licentia auctoritatis ecclesiasticae. Licentiam vero illam dare potest vel loci Ordinarius proprius auctoris vel Ordinarius loci, in quo libri vel imagines publici juris fiant, vel Ordinarius loci, in quo imprimantur, ita tamen, ut, si quis ex iis Ordinariis licentiam denegaverit, eam ab alio Ordinario petere auctor nequeat, nisi eundem certiorem fecerit de denegata ab alio licentia (can. 1385. § 2.). Religiosi vero licentiam quoque sui Superioris majoris antea consequi debent ib. § 3.). — Similia jam antea per Leonem X. in conc. Lateranensi V., per Clementem VIII. et Alexandrum VII., per Conc. Tridentinum et ultimo per Constitutionem „Officiorum ac munerum“ Leonis XIII. praescripta erant.

7. (137) In erectione ac regimine associationum laicorum religiosi exempti sic ab Episcopo dependent:

a) Associationes erigere vel approbare pertinet praeter Romanum Pontificem ad loci Ordinarium exceptis illis, quarum instituendarum jus aliis (v. g. ipsis religiosis) apostolico ex privilegio reservatum est. Sed etiam in ultimo casu requiritur ad validitatem erectionis consensus Ordinarii (nisi aliud in ipso privilegio cautum sit) ita tamen ut consensus pro erectione domus religiosae (can. 497.) sufficiat etiam pro

erigenda associatione illius religionis propria in eadem domo vel ecclesia ei annexa (can. 686.). Excipiuntur iterum associationes ad modum organici corporis constitutae. Omnes illae associationes etiam ab Apostolica Sede erectae, nisi speciale obstet privilegium, subsunt jurisdictioni et vigilantiae Ordinarii loci non tamen quoad internam disciplinam seu spiritualem associationis directionem, si vi privilegii apostolici a religiosis exemptis in suis ecclesiis institutae sunt (can. 690.). Associatio bona temporalia administrat sub auctoritate Ordinarii loci, cui quotannis (can. 1525.) rationem reddere debet (can. 691.). Eleemosynas in casu necessitatis licet solum de consensu Episcopi et servata forma ab eodem praescripta colligere (ib. § 2.). Associationes cum consensu Ordinarii loci erectas idem potest ex gravi causa salvo recursu ad Apostolicam Sedem supprimere (can. 599.). — b) Quod speciatim tertios saecularium Ordines attinet, ii religiosi, quibus tale privilegium apostolicum concessum est, possunt semper particulares personas tertio Ordini adscribere, ad sodalitatem vero tertiariorum erigendam (nisi speciale obstet privilegium, can. 689. § 3.) requiritur consensus Ordinarii loci et iterum specialis consensus, si velint particulares vestes in publicis sacris functionibus deferre (can. 703.) — c) Confraternitates nonnisi per formale erectionis decretum constitui possunt, pro piis autem unionibus sufficit Ordinarii approbatio (can. 708.). Comitiis confraternitatum, etsi in regularium ecclesiis et oratoriis celebrandis per se vel per delegatum praeesse sine jure tamen suffragii, dignos et idoneos officiales electos confirmare, alios respuere aut removere, statuta et ordinationes (exceptis ab Apostolica Sede approbatis) corrigere et approbare pertinet ad loci Ordinarium, qui propterea de extraordinariis comitiis monendus est (can. 715.). Aggregatio ad archiconfraternitatem fit de consensu Episcopi in scriptis dato (can. 723.).

8. (139) Quoad monialium exemptarum et Praelatis virorum regularium subjectarum ab Episcopo dependentiam haec animadvertantur:

a) Ordinarii loci est, visitare monasteria monialium quoad clausuram et. si Superior regularis a quinque annis non visitaverit circa omnia (can. 512. § 2. vide supra pag. 82.), b) idem confert jurisdictionem confessariis monialium (can. 878. vide supra pag. 86.), c) Antistita monasterii monialium pro collocatione pecuniae indiget consensu Ordinarii loci (can. 533., supra pag. 98.), item pro alienatione bonorum (can. 534., supra pag. 100.) et debet ei rationem suae administrationis reddere (can. 535., supra pag. 98.), d) Episcopi est explorare voluntatem postulantium et novitiarum, antequam ad novitiatum sive ad professionem admittantur (can. 552., supra pag. 129.), item invigilare in collocationem pecuniae, quae dotem religiosarum constituit et in ejus administrationem (cann. 549. 550. § 2., supra pag. 132.), e) Epi-

scopus determinat spatium clausurae monialium (can. 597.) invigilat in clausurae observantiam (can. 603.), ipsius etiam est licentiam dare pro ingressu aliarum personarum et pro egressu monialium (cf. supra Nr. 136. pag. 237. ss.), item intervenire in dimissione monialium (cann. 647., 652. vide infra Cap. IX. Art. III.).

Art. IV.

De quaestuatione.
(can. 621.—624.)

155. I. Privilegium speciale eleemosynas colligendi conceditur solis Ordinibus mendicantibus ex can. 621.

Ordines mendicantes, cum stabiles reditus non admitterent, jam ab initio suae existentiae eleemosynas colligere coacti erant. Concilium Tridentinum omnes abusus, qui in promulgatione indulgentiarum a sic dictis „quaestoribus“ comittebantur penitus exstirpare desiderans totum illum usum „quaestorum“ sustulit, et promulgationem indulgentiarum simul cum collectione eleemosynarum Ordinariis locorum commisit (Conc. Trid. sess. XXI. Cap. 9.). Cum autem aliqui hanc prohibitionem etiam ad Ordines mendicantes extendere voluissent, Pius V. Constitione „Etsi mendicantium“ § 2. Nr. 15. declaravit: „Quod vero de usu quaestorum eleemosynarum auferendo loquitur sess. XXI. cap. 9., id ad mendicantium Ordines nullo modo referri posse vel debere etiam decernimus, quin potius cum eleemosynis hujusmodi vivere cogantur, eis id facere liberum omnino esse declaramus.“ [1]) Imo Sixtus V. etiam graves poenas contra impedientes mendicantes, ne quaestuent, statuerat. Cum tamen hoc colligendarum eleemosynarum ministerium periculis haud vacet imprimis Leo XIII. per decretum S. Congr. Episc. et Regul. d. 27. Martii 1896[2]) pro religiosis mulieribus aliqua jam praescripta dedit, quae per decretum S. Congr. de Religiosis d. 21. Novembris 1908.[3]) a Pio X. etiam ad viros religiosos partim extensa sunt. Codex in hac disciplina fere nihil immutavit sed aliquantulum brevius eadem repetit.

Regulares mendicantes eleemosynas in dioecesi, ubi eorum religiosa domus est constituta, quaerere valent de sola Superiorum suorum licentia; extra dioecesim vero in-

[1]) Cf. Piatus Mont. II. pag. 223. § 11.

[2]) Acta Stae. Sedis XXVIII. (1895/96.) pag. 555.

[3]) Acta Apost. Sedis I. (1909.) pag. 153.

digent praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci, in quo eleemosynas colligere cupiunt (can. 621. § 1.). Notandum vero est hoc privilegium valere pro solis regularibus, qui ex instituto mendicantes vocantur et sunt. De hac distinctione animadvertendum est:

1. Mendicantes sensu stricto sunt illi Ordines religiosi, qui vi primaevae institutionis sive ex regula sive ex constitutionibus etiam post Concilium Tridentinum (cf. supra pag. 179. Nr. 108.) non possunt in communi ut propria possidere bona immobilia vel mobilia ipsis aequiparata, ex quibus de jure actione civili munito certos stabilesque reditus in sustentationem religiosorum percipiant. — 2. Mendicantes simpliciter sed sensu latiori dicuntur, qui vi primaevae institutionis etiam in communi non possederunt bona cum reditibus certis et stabilibus, at nunc utuntur relaxatione sive dispensatione a Concilio Tridentino vel antiquiore indulto apostolico ad possidendum in communi concessa. — 3. Mendicantes sensu plane improprio appellabantur illi Ordines non mendicantes, quibus tantum concessa est communicatio in privilegiis cum mendicantibus.[1])

Ultimi nunc sublata communicatione privilegiorum nullo modo amplius mendicantes vocari possunt. Vere mendicantes autem vocantur et sunt solummodo primo loco nominati, proinde etiam illi soli absque licentia Ordinarii loci stipem colligere valent.

Pro illis etiam solis valet monitum Ordinariis locorum datum, ne denegent neve revocent licentiam iis, qui in aliena dioecesi mendicare cupiunt, nisi gravibus et urgentibus de causis, si religiosa domus ex mendicatione in sola dioecesi, in qua est constituta, vivere nullo modo possit (can. 621. § 2.).

156. II. 1. Religiosi Congregationum juris pontificii indigent peculiari privilegio Sanctae Sedis et insuper licentia scripto data ab Ordinario loci, nisi aliter in ipso privilegio cautum fuerit (can. 622. § 1.). — 2. Religiosi Congregationum juris dioecesani indigent licentia in scripto data tum ab Ordinario loci, in quo sita est eorum domus, tum ab Ordinario loci, in quo stipem quaerere cupiunt (can. 622. § 2.).

Ordinarii locorum licentiam religiosis Congregationibus 1. concedere non debent, nisi constet de vera domus vel

[1]) Ita Wernz, Jus decret. III. 2 [2]. pag. 262. Nr. 597. cf. Ferreres, Inst. can. I. pag. 309.

pii operis necessitate, cui alio modo occurri nequeat, praesertim in loco, ubi sunt conventus stricto sensu mendicantium. — 2. si sufficit quaeritare intra locum seu districtum seu dioecesim, in qua iidem commorantur, ampliorem licentiam ne largiantur (can. 622. § 3.).

Ut Ordinarii latini concedere possint licentiam quaestuandi orientali cujusvis ordinis et dignitatis, requiritur authenticum et recens rescriptum Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali. Ad eundem finem proprium subditum in orientales dioeceses mittere non licet (can. 622. § 4.).

III. Non licet Superioribus stipem colligendam committere, nisi professis aetate animoque maturis, maxime si de mulieribus agatur, numquam autem iis, qui in studia adhuc incumbunt (can. 623.),

IV. Quoad modum in quaeritanda stipe servandum et ad disciplinam a quaestuantibus custodiendam religiosi utriusque sexus stare debent instructionibus a Sede Apostolica hac de re editis (can. 624.).

Hoc canone denuo inculcantur praescripta in decretis supracitatis s. Congr. Ep. et Reg. d. 27. Martii 1896. pro mulieribus et s. Congr. de Religiosis d. 21. Novembris 1918. pro religionibus virorum contenta. Praescribitur autem: 1. Ut solum ipsi nominati (a Superioribus vel ab Ordinario loci) per se non per alios stipem quaerant (decretum 2. Nr. 5.). 2. Ut nonnisi bini incedant praesertim in aliena dioecesi, excepto casu necessitatis (decr. 2. I. Nr. 8., decretum 1. item Nr. 8.). 3. Ut quantum fieri possit, viri apud parochos et clericos habitent, mulieres in aliquo pio feminarum instituto, in ipso loco, ubi proprium domum habent vespere in eam redeant (decr. 2. I. Nr. 9. 11. decr. 1. Nr. 8.). Sororibus in hunc finem dandae sunt litterae commissoriae ad parochos aliasve prudentes personas (decr. 1. Nr. 6.), ut illas adjuvent eorumque agendi rationem invigilent et si quid minus rectum resciverint, Ordinario referant. Sorores autem illas personas de suo adventu praemoneant, ut pro invenienda hospitalitate apud pium institutum vel saltem apud aliquam honestam mulierem intercedere possint (decr. 1. Nr. 8.). 4. In propria dioecesi non ultra mensem, in aliena non ultra 2 menses extra domum maneant (decr. 2. I. Nr. 10., II. Nr. 7.; decr. 1. Nr. 8.). Iterum ne mittantur nisi post 1 aut 2 menses. 5. Sorores praesertim mittantur ea summa pecuniae instructae, ut semper, si opus sit, domum redire possint. Iter in via ferrea faciant, si fieri possit, neque noctu. Stipem non quaerant ante solis

ortum neque post ejus occasum. 6. Preces mane et vespere ne omittant, quotidie Sacro intersint, singulis saltem hebdomadis ad Sacramentum poenitentiae et ss. Eucharistiae accedant. 7. Tum Superiores tum Ordinarii locorum peculiares normas praescribere possunt easque licentiae in scriptis dandae (gratis concedendae) addere (decr. 2. I. Nr. 13., decr. 1. Nr. 6.). — Tandem patet locum habere facultatem concessam Ordinariis locorum per can. 616. § 2., si religiosi exempti quaestuantes extra domum delictum commiserint.

157. Appendix. Alia insuper notanda privilegia religiosorum: 1. Per *indultum ab Ordinario loci legitime concessum* obligatio legis communis cessat quoque pro religiosis omnibus in dioecesi commorantibus salvis votis et constitutionibus propriis cujusvis religionis (can. 620.). — 2. Fideles utriusque sexus qui perfectionis studio seu educationis aut etiam valetudinis causa in domibus ecclesia vel publico sacello carentibus de consensu Ordinariorum constitutis vitam communem agunt itemque personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes quoties *ad lucrandas indulgentias* praescribatur visitatio alicujus ecclesiae non determinatae vel indeterminati alicujus publici oratorii visitare queunt propriae domus sacellum, in quo obligationi audiendi Sacrum jure satisfacere possunt, dummodo cetera opera injuncta rite praestiterint (can. 929.). — 3. In omnibus religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate sanctissimam Eucharistiam habitualiter asservandi, *nocte Nativitatis Domini* unus sacerdos tres rituales Missas vel, servatis servandis, unam tantum, quae adstantibus omnibus ad praecepti quoque satisfactionem valeat, celebrare potest et sacram communionem petentibus ministrare (can. 821. § 3.). — 4. De privilegiis quoad *sepulturam religiosorum* cf. supra Cap. III. Art. II. pag. 86. ss.

Caput VIII.

De obligationibus et privilegiis religiosi ad ecclesiasticam dignitatem promoti vel paroeciam regentis. (can. 626.—631.)

Art. I.

De assumptione religiosorum ad beneficia et munera ecclesiastica in genere. (can. 626.)

158. (124) Religiosus nequit sine Sedis Apostolicae auctoritate ad dignitates, officia aut beneficia promoveri,

quae cum statu religioso componi non possint. — Legitime ab aliquo collegio electus nequit electioni assentire sine licentia Superioris. — Si voto teneantur non acceptandi dignitates, specialis Romani Pontificis dispensatio est necessaria. Sic disponit can. 626.

De jure antiquiore regulares, etiam monachi, ad beneficia curata maxime parochialia promoveri poterant.[1]) Clemens V. autem aliqualem hujus usus restrictionem adhibuit, quatenus constituit, ut in casu negligentiae Praelatorum inferiorum Episcopi beneficia conferrent, beneficiis saecularibus saeculares, regularibus regulares clericos praeficiendo.[2]) Inde controversia est orta, utrum haec regula universaliter valeat, ita ut regulares absque dispensatione apostolica ad saecularia beneficia amplius promoveri nequeant, an vero tantum normam praefigat pro collatione beneficiorum in casu, quo jus collationis ad Episcopum devolvitur.[3]) De jure autem nunc vigente dicendum est a) religiosi, quicunque sint, absque auctoritate pontificia ad saecularia beneficia, etiam curata, promoveri non posse (can. 626. § 1.); imo b) provisionem eorum absque dispensatione pontificia factam invalidam esse;[4]) attamen c) excipi ab hac regula regulares Ordinis Praemonstratensis, quippe qui Ordo ab initio ad eum quoque finem fundatus sit, ut ejus membra saecularibus quoque parochiis praeficiantur; sic autem d) regulares Ordinis Praemonstratensis excipi, ut tantum parochialibus beneficiis, non autem aliis sive curatis sive non curatis praefici possint.[5]) e) S. agitur de promotione ad aliquam dignitatem vel officium, quod ipsa Sta. Sedes confert, prout accidit praesertim in collatione episcopatus, jam habetur illa ejusdem Stae. Sedis auctoritas, quae in can. 626. § 1. requiritur, ideo potest religiosus electioni legitimae cum licentia Superioris religiosi consentire excepto casu, quo voto promisit se non

---

[1]) Cf. cap. Quod Dei 5. De statu monachorum etc. (III. 35.; Innoc. III. ann. 1213.).

[2]) Cf. Clem. un. De supplenda negligentia Praelatorum (Clem. V. ann. 1311.).

[3]) Cf. Sanchez, In decal. l. 7. c. 29. n. 34. ss.

[4]) Cf. Bened. XIV. const. „Quum nuper“ § 1. d. 8. Nov. 1751, (Bull. Bened. XIV. t. III. pag. 182.); item const. „Quod iuscrutabili“ d. 5. Jul. 1745. (Bull. Bened. XIV. t. I. pag. 239. ss.). Leon. XIII. constit. „Romanos pontifices“ d. 8. Maji 1881. § Peracta missionis.

[5]) Cf. Bened. XIV. constit. „Oneroso“ d. 7. Sept. 1750. (Bull. Bened. XIV. t. III. pag. 137.), qua antiquum hoc jus ac privilegium denuo confirmatur.

accepturum esse dignitatem. Talis religiosus proinde electioni assentire non potest, nisi a voto dispensetur, quam dispensationem Apostolica Sedes sibi reservat (can. 626. § 3.).

Ad alia vero munera ecclesiastica, quae stabilia non sunt seu jus perpetuum fructus percipiendi ex bonis ecclesiasticis ratione officii spiritualis non tribuunt, religiosi saltem incapaces non exsistunt. Ita v. g. possunt esse vicarii Episcoporum generales, item vacante sede vicarii capitulares, dein vicarii foranei; obtinere item possunt munus docendi in publicis scholis etiam talibus, quae ab Ordine non reguntur. Quoad horum sustentationem, quoad negotia ipsis conferenda, quoad tempus, pro quo religiosus ad tale munus deputatur, a) in singulis casibus inter Superiorem religiosum et eum Superiorem sive ecclesiasticum sive alium, qui illud munus confert, conventio est ineunda, b) valet autem quoad hosce generalis norma, secundum quam quidquid acquirit religiosus propria industria, acquirit Ordini seu conventui suo; tenenturque hi aeque ac ceteri omnes ad regularum suarum observantiam et obedientiam suis religiosis Superioribus praestandam; c) ipsos, quando extra conventum vivunt, in casu alicujus delicti, etiam regulares correctioni Episcopi aliquatenus subjici, diximus (can. 610. § 2.); d) in muneribus suis obeundis subjiciuntur iis, qui munera ipsis contulerunt, Praelatis autem suis quoad regularem observantiam. Si difficultates emergunt, sic procedi debet, sicut in difficultatibus post alios contractus initos inter contrahentes emergentibus.

Art. II.

De religioso ad ecclesiasticam dignitatem extra religionem promoto.

(can. 627.—629.)

159. (84) 1) Religiosum electioni suae ad dignitatem ecclesiasticam non posse consentire absque Superioris sui licentia jam diximus (can. 626. § 2.).

Antea religiosus ad talem dignitatem eligi non potuit sed solummodo postulari. Auctores de hac postulatione, quam in oppositione ad *sollemnem* vocabant *postulationem simplicem* ad l. I. Decretalium tit. V. agere solebant.[1]) Nunc autem can. 626. etiam pro hoc casu de *electione* loquitur. Electio significari etiam potest electo religioso non Superiori, electus autem ad consensum praestandum licentiam a

[1]) Cf. Wernz, Jus decret. I. 2^2. pag. 153. Nr. 391. Ferreres l. c. p. 364. Nr. 911.

Superiore petere debet. Ratio ex traditione cujusvis membri alicujus coetus religiosi ad Ordinem seu Institutum religiosum facta et ex jure quod Ordo seu Institutum in ipsum ejusque servitia accepit, deducitur. Ubi tamen animadverte: a) in iis religiosis coetibus, in quibus ea traditio forte non est perpetua, sicut egressus ex ipsis ita etiam ascensio ad altiorem statum fieri potest pro eo tempore, quo traditio facta amplius non obligat. Proinde in iis Congregationibus, in quibus vota ad tempus certum emittuntur, absque Superioris consensu dignitas altior acceptari potest pro eo tempore, quo obligatio ex traditione temporanea orta cessavit. In iis vero coetibus, in quibus vota tantum pro tempore commorationis in coetu obligant, nulla Superiorum licentia requiritur, quia nec pro egressu ex coetu tali licentia opus est. b) Quando a summo Pontifice aliqua dignitas offertur, in ea oblatione simul licentia a summo omnium religiosorum coetuum Moderatore data continetur, proindeque Superioris regularis licentiam non amplius requiri patet.

2) Religiosus ad dignitatem sive episcopalem sive cardinalitiam provectus nullatenus desinit esse religiosus; sed potius a) manet ligatus votis paupertatis, castitatis et obedientiae (can. 627. § 1.). Praeterea b) etiam votis suo Ordini forte specialibus manet ligatus. Sic regularis Ordinis Minimorum votum abstinendi a carnibus, quod in eo Ordine substantialibus votis religionis additur, observare debet etiam post provectionem suam ad episcopatum aut cardinalatum.[1]) Imo c) a Benedicto XIII. const. „Custodes“ d. 7. Martii 1725. expresse declaratum est, ipsos teneri ut „suae regulae officiis et obligationibus, quae pontificale aut cardinalatus officium minime impediant, perpetuo subsint.“[2])

---

[1]) Cf. dictum quod de Urbano VIII. narrat Ferraris, l. c. v. Episcopus art. 7. n. 3.

[2]) Haec doctrina, quae a. s. Thoma 2. 2. q. 88., art. 11. ad 4., item q. 185. art. 8., aliisque quamplurimis auctoribus jam ab antiquo tempore tenebatur (contraria sententia potissimam suam rationem desumebat ex can. „Statutum“ unic. C. 18., q. 1., quo dicitur quod monachum „canonica electio a jugo regulae monasticae professionis absolvit et sacra ordinatio de monacho Episcopum facit“) quamque Bened. XIII. in const. supra citata tanquam generalem normam statuit, recentiori adhuc tempore ad casum particularem applicata et confirmata est a Pio IX. Ad dubium enim: „Se e come il Vescovo regolare sia obligato alla regola professata“ s. C. Episc. et Regul. d. 6. Maji 1864 respondit: „Af-

praeterea d) in signum externum conjunctionis permanentis cum Ordine, in quo professionem emiserunt, ii qui ad religionem pertinent particulari habitu gaudentem, religionis suae habitum non penitus exuunt sed ejus colorem retinent, in forma autem et figura se Praelatis saecularibus conformant.[1]) Tandem e) si episcopatui et cardinalitiae dignitati renuntiant, ad religionem redire tenentur,[2]) ita tamen ut quamlibet suae religionis domum eligere possint, in qua degere velint. Redeuntes vero carent voce activa et passiva (can. 629. § 2.). 3) Quod speciatim paupertatis votum attinet a) Si per professionem dominium bonorum amiserit (professus votorum sollemnium), bonorum, quae ipsi obveniunt, habet usum, usumfructum et administrationem; proprietatem vero Episcopus residentialis, Vicarius Apostolicus, Praefectus Apostolicus acquirit dioecesi, vicariatui, praefecturae (can. 628. Nr. 1.) b) ceteri ut e. g. Cardinalis presbyter vel diaconus in Ordine capaci ea acquirendi acquirit Ordini, in Ordine incapaci Stae. Sedi, c) Cardinalis autem habet facultatem de reditibus beneficiariis libere disponendi etiam per testamentum (can. 239. Nr. 19.) cum aliqua restrictione quoad sacram suppellectilem (can. 1298.). d) Si per professionem (simplicem) dominium bonorum non

---

firmative ad praescriptum Constit. Bened. XIII. incipientis „Custodes“: nempe Episcopus regularis tenetur observare regulas suae religionis, quae materiam voti paupertatis determinant; item tenetur alias regulas et observantias dignitati et officio episcopali non repugnantes eadem obligatione gravi vel levi observare, qua tenebatur antequam assequeretur dignitatem episcopalem, ita tamen ut in peculiaribus casibus prudenter judicium ferre possit utrum cum dignitate et officio episcopali illae conveniant.“ Quod responsum ss. D. Pius IX. approbavit et confirmavit. Cf. Bizzarri l. c. pag. 710. Quare omne dubium de hac quaestione cessavit. Codex haec omnia per can. 627. § 1. confirmavit exceptiones autem quoad paupertatem in can. 628 determinavit.

[1]) Cf. cap. Clerici 15. De vita et honestate clericorum; item Benedicti XIII. const. cit.

[2]) „Dimisso episcopatu seu quacunque alia dignitate ad quam evecti fuerint, vel perfuncto munere sibi extra claustra commisso, ad eadem claustra redire teneantur sub poena privationis usus pontificalium;

amiserit, bonorum, quae habebat, recuperat usum, usumfructum et administrationem; quae postea ipsi obveniant, sibi plene acquirit (can. 628. Nr. 2.); e) in omni vero casu de bonis, quae ipsi obveniunt non intuitu personae, debet disponere secundum offerentium voluntatem (can. 628. Nr. 3.). 4) Quoad obedientiam praestandam qui ad dignitatem evectus est, eximitur a potestate Superiorum et vi voti obedientiae uni Romano Pontifici manet obnoxius (can. 627. § 2.).

Art. III.

De religioso paroeciam regente.
(cann. 630., 631. coll. 451.—478.)

160. Ex dictis jam patet nonnisi raro per dispensationem Sedis Apostolicae religiosum parochum nominari posse, si agatur de beneficio aliquo saeculari. Fieri vero potest, ut ipsum beneficium paroeciale alicui religiosae domui incorporetur. Talis unio per Sedem Apostolicam exclusive[1]) fieri potest et quidem duplici modo: a) *ad temporalia tantum* ita ut domus religiosa particeps fiat solummodo fructuum paroeciae et Superior religiosus sacerdotem e clero saeculari in eadem instituendum, assignata congrua portione, Ordinario loci praesentare debeat aut b) *pleno jure*, qua unione paroecia fit religiosa; ipsum enim officium paroeciale ad religionem transit et Superior potest sacerdotem e sua religione ad curam animarum exercendam nominare, sed Ordinarii loci est eundem probare et instituere, ejusque jurisdictioni, correctioni et visitationi ipse subesse debet in iis rebus, quae ad curam animarum per-

---

et si manserint in contumacia non redeundi ad claustra, post annum sint eo ipso suspensi a divinis." Bened. XIII. in constit. cit. Nunc idem statuit can. 629. § 1. at poenis non renovatis.

[1]) Forte excipienda esset domus canonicorum regularium; can. enim 1423. § 2. concedit Episcopis facultatem uniendi paroecias cum ecclesia cathedrali vel collegiata. Cum autem eadem § monasteria excludat, res dubia manet (cf. can. 452. § 1.).

tinent (can. 1425.). De primo modo unionis nihil amplius ad tractatum nostrum pertinet, quoad alterum notandum est: 1. Persona moralis, cui paroecia sit pleno jure unita, habitualem tantum curam animarum retinere potest,[1]) pro actuali cura autem constitui debet vicarius, assignata eidem congrua fructuum portione arbitrio Episcopi (cann. 452. § 2., 471. § 1.). — 2. Ad vicarium exclusive pertinet tota animarum cura cum omnibus parochorum juribus et obligationibus ad normam juris communis et secundum probata statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines (can. 471. § 4.). — 3. Vicarium praesentat Superior religiosus, loci autem Ordinarius eundem, si idoneum repererit, instituit (can. 471. § 2.). Ad eum finem etiam examen coram se et examinatoribus synodalibus praescribere potest vel in regionibus, in quibus paroeciarum provisio fit per concursum, hanc formam retinere debet, donec Sedes Apostolica aliud decreverit (can. 459. §§ 3. et 4.). — 4. Religiosus, qui paroeciam regit sive titulo parochi sive titulo vicarii, manet adstrictus ad observationem votorum et constitutionum, quatenus haec observatio potest cum muneris sui officiis consistere (can. 630. § 1.). Quare in iis, quae ad religiosam disciplinam attinent, subest Superiori, cujus proinde est, et quidem privative respectu Ordinarii loci, in ejus agendi rationem circa haec omnia inquirere eumque si casus ferat, corrigere (ib. § 2.). — 5. Bona quae ipsi obveniunt intuitu paroeciae, cui praeficitur, ipsi paroeciae acquirit; cetera acquirit ad instar aliorum religiosorum (ib. § 3.). De administratione pecuniae paroeciae datae Ordinario loci rationem reddere (can. 535. § 3. Nr. 2.) et pro ejusdem collocatione Episcopi praevium consensum obtinere tenetur (can. 533. Nr. 4.). — 6. Non obstante voto paupertatis vicario licet eleemosynas in bonum paroecianorum vel pro scholis catholicis aut locis piis paroeciae

[1]) Ideo can. 451. § 1. definit: Parochus est sacerdos vel persona moralis, cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda.

conjunctis quovis modo oblatas accipere aut colligere et acceptas sive collectas administrare, itemque servata offerentium voluntate, pro prudenti suo arbitrio erogare, salva semper vigilantia sui Superioris; sed eleemosynas pro ecclesia paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda accipere, apud se retinere, colligere aut administrare pertinet ad Superiores, si ecclesia sit communitatis religiosae; secus ad loci Ordinarium (can. 630. § 4.). — 7. Idem parochus vel vicarius religiosus, licet ministerium exerceat in domo seu loco, ubi majores Superiores religiosi ordinariam sedem habent,[1]) subest immediate omnimodae jurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii loci non secus ac parochi saeculares, regulari observantia unice excepta (can. 631. § 1.). — 8. Ordinarius loci, ubi eum suo muneri defecisse compererit, opportuna decreta condere ac meritas in eum poenas statuere potest, in quo nihilominus Ordinarii facultates minime privativae sunt, sed Superior jus cummulativum cum ipso habet ita tamen, ut, si aliter a Superiore aliter ab Ordinario decerni contingat, decretum Ordinarii praevalere debeat (ib. § 2.). — 9. Parochus vel vicarius obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam, potest autem abesse per duos ad summum menses intra annum sive continuos sive intermissos (non computatis exercitiis annuis). Sed cum absentia ultra hebdomadam est duratura (excepto casu repentinae necessitatis, can. 465. § 5.) indiget a) licentia tum Superioris tum Ordinarii loci in scriptis et debet relinquere substitutum tum ab Ordinario tum a Superiore probatum (can. 465.). — 10. Vicarios cooparatores, quibus parochus pro cura paroeciae gerenda indiget, religiosus Superior audito parocho praesentat Episcopo, cujus est eosdem ap-

[1]) Antea a visitatione Episcopi exempti erant paroeciae eorum monasteriorum, in quibus Abbates generales seu capita Ordinum (non Abbates exempti quicunque) sedem ordinariam principalem habent (cf. Constit. Benedicti XIV. „Firmandis“ § 13. ss.). Hoc privilegium per can. 631. § 1. revocatur; non autem videtur revocatum privilegium paroeciis monasterii Cluniacensis concessum.

probare (can. 476. § 4.). — 11. Non solum cooperatores (can. 477.) sed etiam parochi seu vicarii religiosi sunt semper amovibiles ad nutum tam Ordinarii loci monito Superiore quam Superioris monito Ordinario aequo jure, non requisito alterius consensu; nec alter alteri causam judicii sui aperire debet.[1]) Patet autem recursus in devolutivo ad Apostolicam Sedem (can. 454. § 5.) et videtur recurrere posse tum Ordinarius loci tum Superior religiosus tum ipse parochus, saltem si ab Ordinario loci removetur, cui ex voto obedientiae non obligatur; lex enim neminem nominat, neminem excludit. — 12. Vacante paroecia ante oeconomi constitutionem paroeciae regimen assumit Superior domus religiosae et monet statim Ordinarium loci de vacatione (can. 472. Nr. 23.) is autem quamprimum constituere debet vicarium oeconomum de consensu Superioris (can. 472. Nr. 1.). — 13. Ex jure jam antiquiori religiosi, quicunque ipsi sint, soli ad paroecialium ecclesiarum regimen ponendi non erant sed saltem unum socium habere debebant,[2]) non tam ut ab hoc socio in animarum cura adjuventur quam ut per ejus consortium in vita religiosa conserventur et foveantur. Imo olim monachis plures socii adjungendi erant, canonicis vero regularibus unum dare sufficiebat: ex jure autem per Gregorium XIII. constituto sufficiebat, si tam monachis quam canonicis regularibus unus socius adderetur.[3]) Codex hac de re omnino silet, ideo lex generalis non amplius existit, constitutiones vero religiosorum, quae talia praescribunt, non sunt immutatae.

[1]) Cf. constit. Bened. XIV. „Firmandis“ § 11. s. d. 6. Nov. 1744. (Bull. Bened. XIV. t. I. pag. 193.); item const. Bened. XIV. „Apostolicum ministerium“ § 16. s. d. 30. Maji 1753. (B. B. t. IV. pag. 45. s.). Attamen Episcopus tali regulari solummodo ex causa ad animarum curam spectante jurisdictionem subtrahere posse videtur.

[2]) Cf. cap. Monachi 2. De statu monachorum etc. (III. 35.; Alex. III. in conc. Lateran. III. ann. 1179.); cap. Quod Dec. 5. eod. (Innoc. III. ann. 1213.); cap. Ex parte tua 3. et cap. Ad audientiam 4. De Capellis monachorum etc. (III. 36. Honorius III. ann. 1220.).

[3]) Ita refert Garcias, De beneficiis p. XI. cap. 2. Nr. 13.; cf. Schmalzgruber, De capellis monachorum Nr. 8.

Caput IX.

Codicis Tit. XIV.—XVI.

De egressu e religione.

(can. 632.—672.)

161. (81) Egressus ex religione vario modo fieri potest: 1. Ita ut quis non simpliciter e religione egrediatur et in saeculum redeat sed solummodo ex una religione ad aliam transeat vel etiam ita, ut ejus professio religiosa detegatur esse invalida. In utroque casu potest dici egressum esse improprie dictum, in 1. casu quia non simpliciter exit, in 2. casu, quia exiens non vero sensu fuit in religione. — 2. Egressus potest fieri aut ex libera voluntate egredientis aut ex necessitate propter dimissionem ex parte religionis. In primo casu talis egressus iterum potest esse legitimus vel etiam illegitimus per apostasiam et fugam. In altero casu alius modus praescribitur in dimittendis professis votorum temporariorum alius in dimittendis professis votorum perpetuorum et quidem omnino specialis, si agitur de religione clericali. De omnibus hisce modis egrediendi in hoc Capite erit agendum.

Art. I.

De egressu improprie dicto.

(can. 632.—636. et 586. § 3.)

§ 1. De transitu ad aliam religionem.

(Codicis Titulus XIV. can. 632.—636.)

162. (85) Secundum can. 632. nunc nemo amplius ab una religione ad aliam, imo neque ab uno monasterio sui juris ad aliud transire potest absque auctoritate Apostolicae Sedis.

Antea ad talem transitum sufficiebat licentia Superioris religiosi, quae si agebatur de transitu ad arctiorem religionem licite denegari

non potuit,[1]) dummodo constet de bona intentione petentis, imo multi auctores putabant sufficere licentiam petitam etsi denegatam, ut quis saltem valide ad arctiorem transire possit. Pro transitu ad laxiorem aut aequalem religionem jam in vetere jure requirebatur licentia non solum petita sed obtenta; cum autem de conceptu arctioris religionis theoretice non constaret, facile hac in re lis oriri potuit. Paulatim autem varii Ordines religiosi privilegium obtinuerunt, ut absque Superiorum imo quandoque absque Sedis Apostolicae licentia obtenta ab ipsis ad aliam etiam strictioris observantiae religionem transire non liceat. Sic mendicantibus generali lege transitus ad Ordinem non-mendicantium exceptis Carthusiensibus interdictus erat[2]) absque licentia Stae. Sedis. Sic paulatim fere impossibilis evasit transitus ad aliam religionem absque indulto Apostolicae Sedis. Nunc autem hoc generali lege statutum est per can. 632. neque ad strictiorem religionem transire licere absque venia Stae. Sedis.

163. Quoad modum transitus haec sunt notanda: 1) Si transitus fit ab uno monasterio ad aliud ejusdem Ordinis, nihil amplius (nec novitiatus nec nova professio) est faciendum. Transiens a die transitus amittit omnia jura et obligationes prioris monasterii et alterius jura et officia suscipit. — 2) Si autem religiosus transit ad aliam religionem, denuo novitiatum peragere debet, quo finito nova professio emittitur. — 3. Si vero novam professionem non edat, ad pristinam religionem redire debet, nisi interim votorum tempus (si vota tantum temporaria emisit) exspiraverit. — 4) Durante novitiatu vota (excepto casu sub Nr. 3.) perdurant, alia vero jura et obligationes particulares, quas in religione derelicta habuit manent suspensa. Ratione autem voti obedientiae Superioribus novae

---

[1]) Ita Innoc. III. in Cap. Licet 18. De Reg. (III. 31.): „Sicut subditus a Praelato cum humilitate et puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiae contemnere videatur, sic profecto Praelatus subdito sine difficultate et gravitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum. Si vero probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad Ordinem arctiorem aut laxiorem ex caritate an ex temeritate transire, Superioris est judicium inquirendum, ne forte angelus Satanae in lucis angelum se transformet."

[2]) Cf. Estrav. comm. Viam ambitiosae 1. De Regularibus (III. 8. Martin. IV. ann. 1281.).

religionis et ipsi novitiorum Magistro obedire debet (can. 633.). — 5) Post novitiatum statim emittenda est professio perpetua sive sollemnis sive simplex (prout in nova religione habetur) non praemisso iterum triennio professionis temporariae juxta can. 574.[1]) — 6) Si Superior novae religionis professionem differendam censet, potest transeuntem diutius probare sed non ultra annum ab expleto novitiatu (can. 634.) — 7) Si professus votorum sollemnium ad Congregationem transiit et in ea legitime vota simplicia emiserit, eo ipso sollemnitas votorum exstinguitur, nisi aliud in apostolico indulto expresse caveatur. (can. 636.). — 8) Ab edita professione transiens amittit omnia jura et obligationes prioris religionis et alterius jura et officia suscipit (can. 635. Nr. 1.). — 9) Secundum jus vetus ex decreto Urbani VIII.[2]) nemini, ad quamcunque sive strictioris sive laxioris observantiae religionem transire velit, licentia concedi debuit, antequam Superiori constiterit religionem paratam esse ad eum recipiendum. Hac de re Codex silet; cum autem necessaria sit venia Apostolicae Sedis, jam ex ipso indulto patebit, num Sta. Sedes in antecessum de receptione transeuntis informata esse velit, vel forte indultum conditionatum pro casu, quo aliqua religio ad eum recipiendum parata sit, concedet.

164. (89) Bona temporalia quod attinet: 1) Religio vel monasterium *a quo* servat omnia bona, quae per religiosum jam legitime acquisivit ideoque omnia bona, quae sollemniter professo advenerunt et etiam illa, quae professus votorum simplicium propria industria vel intuitu

---

[1]) Patet hoc solummodo valere in religione, in qua professio perpetua emitti solet.

[2]) Est decretum s. Congr. Conc. editum ex peculiari facultate Urbani VIII. § 3. (Bullar. Rom. ed. Luxemb. t. V. pag. 62.): „Statuit (s. Congr.) ut de cetero nullus permittatur ad arctiorem religionem transire, nisi prius Superiori constiterit eam religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit; tuncque regularis recta se transferat ad arctiorem."

religionis acquisivit. — 2) Quod bona personalia professi votorum simplicium aut dotem religiosarum (sive monialium sive sororum) attinet, durante novitiatu illorum fructus debentur novae religioni, emissa autem professione etiam ipsa substantia bonorum in dominium novae religionis transit (can. 635. Nr. 2. coll. can. 551. § 2.) exceptis solummodo illis, quae forte pro expensis juxta can. 570. § 1. exigi possunt. Si vero agitur de transitu monialis ab uno monasterio ad aliud ejusdem Ordinis, jam a die transitus tota dos debetur novo monasterio. — 3) Pro novitiatus tempore nova religio semper jus habet ad justam retributionem, si talis pro alimentis et habitu religioso in constitutionibus praescripta vel aliquid expressa conventione solvendum cautum sit, secus nihil pro impensis novitiatus exigi potest (can. 635. coll. can. 570.).

§ 2. De egressu propter nullitatem professionis.
(can. 586. § 2.)

165. (82) Codex de egressu propter nullitatem professionis nihil habet praeter haec pauca verba: „Si contra validitatem professionis religiosae gravia sint argumenta et religiosus renuat ad cautelam sive professionem renovare sive ejusdem sanationem petere, res ad Sedem Apostolicam deferatur“ (can. 586. § 3.).

Concilium Tridentinum sess. 25. Cap. 19. De Reg. et Mon. praescripserat processum judicialem ad probandam nullitatem professionis, qui tamen institui non potuit, nisi religiosus intra quinquennium post emissam professionem contra ejus valorem reclamaverit. Benedictus XIV. constitutione „Si datam“ d. 7. Martii 1748. § „Quum etiam“ declaravit eundem processum instituendum esse, si ipsa religio nullitatem professionis alicujus religiosi praetendisset. Tanquam judices a concilio Trid. assignati erant Superior religiosus et Ordinarius loci. Acta judicialia erant conficienda, testes citandi et audiendi eaque omnia servanda, quae ad verum judicialem processum requiruntur. Insuper ab unoquoque Ordinario loci ex praescripto Benedicti XIV. in sua dioecesi constituendus erat defensor professionis religiosae, cui idem incumbebat officium sicut defensori vinculi matrimonialis. Item sicut in processu

matrimoniali ita etiam pro nullitate professionis duae sententiae conformes requirebantur, ut quis licite religionem deserere potuisset. — De omnibus illis praescriptis nihil amplius in Codice invenitur, processus judicialis non est praescriptus. Neque Superior religiosus neque Ordinarius loci rem decidere potest, sed res deferenda est ad Apostolicam Sedem, quae in via administrativa proinde probabilissime per s. Cong. de Religiosis disponet, prout ipsa in Domino judicaverit. De casu, quo non ipse professus, de cujus professionis valore dubitatur, professionem ad cautelam renovare renuat, sed religio ipsa eum ad renovationem professionis admittere nolit, Codex nihil dicit, sed ex eo ipso jam patet, rem eodem modo tractandam esse, cum religio inconsulta Sta. Sede eam decidere non possit, nisi forte professus causam dimissionis dederit. — Clericus autem religiosus, cujus professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in minoribus ordinibus constitutus, e statu clericali abjiciatur; si in majoribus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit (can. 2387.).

Art. II.

Codicis Titulus XV.

De egressu e religione ex libera voluntate egredientis.
(can. 637.—645.)

§ 1. De egressu legitimo.
(can. 637.—643.)

166. (90) Qui vota solummodo temporaria emisit, expleto votorum tempore libere potest religionem deserere; (can. 637.). Si autem durante illo tempore, pro quo vota emisit, e religione gravi de causa exire velit, dispensationem a Sta. Sede, in religionibus dioecesanis ab Ordinario loci petere deberet, nisi forte rationes tales existant, ut Superior illis cognitis ad dimissionem procedere possit, quo in casu sufficeret rem Superiori aperire (cf. can. 647. et infra Art. III. § 2.).

Si vero religiosus jam vota perpetua emiserit et nihilominus religionem deserere velit ex rationibus gravibus, vel saltem ad tempus extra claustra vivere, unica via legitima est impetratio indulti *exclaustrationis* aut *saecularizationis*

apud Sedem Apostolicam in religionibus juris pontificii, apud Ordinarium loci in religionibus juris dioecesani (can. 638.).

1. Indultum exclaustrationis est indultum ad certum tempus manendi extra domum religiosam. Per exclaustrationem vinculum cum religione non omnino solvitur; nam exclaustratus manet obstrictus votis ceterisque suae professionis obligationibus, quae cum suo statu componi possunt, ratione voti obedientiae loco Superiorum propriae religionis subditur Ordinario loci, ubi commoratur et gaudet privilegiis mere spiritualibus suae religionis; debet tamen exteriorem formam habitus religiosi deponere et caret perdurante tempore indulti voce activa et passiva in sua religione (can. 639.).

Concessit quidem Sta. Sedes jam ante Codicem quandoque indulta, quibus religiosos quosdam ab obedientia Superiorum religionis exemit et alicui Episcopo vel immediate Apostolicae Sedi subjecit.[1]) Tale indultum in oppositione ad saecularizationem perpetuam (de qua statim infra agendum est) ab auctoribus vocabatur indultum saecularizationis temporariae. Antea omnia officia et jura saecularizati ex solo indulto erui potuerunt, nunc autem Codex duplicem speciem saecularizationis generali lege distinctam immutato nomine saecularizationis temporariae in exclaustrationem quoad suos effectus accurate circumscripsit. Exclaustratio vero cum facultate manendi diutius extra domum ad normam can. 606. § 2. ab Apostolica Sede concessa non est confundenda. Per hanc enim facultatem religiosus nullo modo eximitur ab obedientia Superioribus suae religionis praestanda.

2. Indultum saecularizationis est indultum, quo religiosus in perpetuum a sua religione separatur et in saeculum redeundi facultatem accipit. Talis igitur liberatur ab obligatione votorum (firmis tamen oneribus ordini majori adnexis, si in sacris fuerit), non amplius tenetur vi professionis ad officium divinum recitandum neque ligatur regulis vel constitutionibus. In Missa et horis canonicis vel in usu et dispensatione Sacramentorum non amplius uti potest ritu suae religionis, si illa proprium ritum habeat, sed eodem uti debet ac sacerdotes saeculares. Imo absque

[1]) Cf. e. g. Bizarri l. c. pag. 611. ss.

novo apostolico indulto in religionem redire nequit. Illo autem obtento novitiatum et professionem instaurare debet et locum obtinet inter professos a die novae professionis (can. 640.).

Etiam saecularizationis indultum secundum Codicem aliquomodo differt ab indultis saecularizationis antea obtentis. Antea enim saecularizatus a votis solutus non fuit neque excidit simpliciter e statu religioso, quamvis a coetu religioso separatus erat. Regulis quidem non tenebatur, attamen aliquod signum habitus religiosi debuit gestare et ratione voti obedientiae subjectus erat Episcopo sicut nunc exclaustratus. Bona vero acquisivit Stae. Sedi.[1]) Antea professi votorum simplicium potius dispensari quam saecularizari solebant, professi votorum sollemnium autem dispensationem a votis fere numquam acceperunt, quare illis in casu necessitatis concessum est potius indultum saecularizationis.[2]) Nunc autem talis differentia in modo tractandi vota sollemnia et vota simplicia in jure non amplius habet fundamentum. — Specialia omnino valent quoad religiosos in sacris constitutos, si e religione egrediuntur. Si nempe illi propriam dioecesim non amiserunt i. e. si solummodo professionem temporariam emiserunt et expleto votorum tempore egressi aut a votis dispensati sunt, ad propriam dioecesim redire tenentur; si autem illam per professionem perpetuam (can. 585.) jam amiserunt et postea aut a votis dispensati sunt aut indultum saecularizationis impetraverunt, curare debent, ut Episcopum benevolum receptorem inveniant. Hoc si fieri potest, potius ante egressum e religione faciendum est, secus enim, nisi Apostolica Sedes aliter providerit, sacros ordines exercere non possunt. Episcopus vero religiosum recipere potest 1. pure et simpliciter, quo facto ille fit clericus dioecesis incardinatus (cf. can. 112.) sicut omnes alii. 2. Potest autem eum etiam recipere solum pro experimento ad triennium, quod tempus etiam prorogari potest sed non ultra aliud triennium. Secundo triennio expleto, si non antea dimissus fuerit, ipso facto dioecesi incardinatus manet (can. 641.).

167. Pro clerico in majoribus constituto manent tamen certa officia ecclesiastica prohibita, etsi in aliqua dioecesi incardinatus sit et proinde ordines sacros libere exercere possit. Prohibetur nempe sec. can. 642.: 1. Quolibet beneficio in basilicis majoribus vel minoribus et in ecclesiis

---

[1]) Cf. e. g. Constit. Gregorii XIII. „Officii nostri“ d. 21. Jan. 1577. (Bul. Rom. ed. Luxemb. t. II. pag. 440. l.).

[2]) Cf. Wernz, Jus decret. III. 2[2]. pag. 380. Nr. 677.

cathedralibus; — 2. Quolibet magisterio et officio in Seminariis majoribus et minoribus seu collegiis, in quibus clerici educantur, itemque in Universitatibus et Institutis, quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos; — 3. Quocumque officio vel munere in Curiis episcopalibus et in religiosis domibus sive virorum sive mulierum, etiamsi agatur de Congregationibus dioecesanis. Ut ad talia officia admitti possit, requiritur novum indultum apostolicum.

Haec quidem imprimis valent de saecularizatis post emissa vota perpetua sed can. 642. § 2. ea etiam extendit ad illos, qui vota temporaria tantum nuncuparunt vel juramentum perseverantiae vel peculiares quasdam promissiones ad normam suarum constitutionum ediderunt et ab iisdem dispensati fuerunt, si per 6 integros annos eisdem ligati fuerint. Non comprehenduntur proinde illi, qui vota tantum temporaria emiserunt et absque ulla dispensatione tempore votorum transacto religionem deseruerunt, neque illi, qui quidem dispensati sed ante sextum annum completum e religione egressi sunt, nisi vota perpetua emiserint.

Fere eadem jam statuerat Pius X. per decretum d. 15. Junii 1909. editum[1]) in audientia Cardinali Praefecto s. Congr. de Religiosis concessa cum hac solum mutatione, quod Pius X. solummodo officium Visitatoris vel Moderatoris domorum religiosarum exclusit nunc autem quodlibet officium in tali domo exclusum sit, ex alia parte vero prohibitio antea statuta collocandi domicilium habituale in locis, ubi exstat conventus vel domus religiosa provinciae vel missionis cui sacerdos vel clericus saecularizatus vel a votis vel juramento solutus adscriptus erat, nunc sublata sit.

168. Quoad bona temporalia per can. 643. haec statuuntur: 1. Egressi a religione nihil possunt repetere ob quamlibet operam religioni praestitam. Hoc jam patet ex generali principio, quod religiosus, quidquid propria industria acquirit, religioni acquirat. — 2. Quoad religiosas

[1]) Decretum „Quum minoris" Acta Apost. Sedis I. (1909.) p. 523. ejusque extensio facta d. 5. Aprilis 1910. Acta Apost. Sedis II. (1910.) p. 232.

mulieres autem § 2. canonis 643. dicit: „Si tamen religiosa sine dote recepta fuerit nec ex propriis bonis sibimet providere valeat, religio ex caritate eidem dare debet ea, quae requiruntur, ut modo tuto ac convenienti domum redeat, ac providere, ut naturali aequitate servata per aliquod tempus mutuo consensu vel in casu dissensus ab Ordinario loci determinandum honeste vivere possit."

Ratio hujus differentiae in modo tractandi viros et mulieres certe consistit in majoribus periculis, tum pro vita temporali tum speciatim pro salute animae, cui mulieres sint expositae, si absque mediis ad victum necessariis dimitterentur. Si vero religiosa dotem apportavit, tale periculum jam per restitutionem dotis, quae semper facienda est, evitatur (can. 547. cf. supra pag. 130. Nr. 79.).

§ 2. De egressu illegitimo per apostasiam et fugam.

(cann. 644., 645.)

169. (96) 1. Apostata a religione dicitur professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus, qui a) e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi vel b), qui, etsi legitime egressus, non redit eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat (can. 644. § 1.). — 2. Fugitivus est, qui sine Superiorum licentia domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi (can. 644. § 3.).

Apostata ergo non est, qui vota perpetua non emisit, etsi modo graviter peccaminoso religionem deseruerit, ideoque neque poenas apostatarum incurrit, sive sit professus votorum temporariorum sive in aliqua societate sine votis juramentum perseverantiae emiserit. Non apostata sed fugitivus est, qui domum religiosam quidem deseruit sed cum animo redeundi. Difficilius autem cognoscitur animus ille non redeundi, si ipse illegitime egrediens e domo religiosa illum nullo modo significavit vel legitime egressus sine omni significatione cujuscunque intentionis non redit. Ideo statuitur praesumptio juris, illum animum malitiosum adesse, si religiosus intra mensem nec reversus fuerit, nec Superiori animum redeundi manifestaverit (can. 644. § 2). Mensis ille, ut patet, in casu legitimi egressus computandus est a die, quo redire debuisset, non autem rediit. Patet etiam apostatas et fugitivos ab obligatione votorum, regulae et constitutionum per peccatum suum

solvi non posse sed teneri sine mora ad religionem redire (can. 645. § 1.). Ex altera parte etiam Superiores tenentur eos sollicite requirere eosque susciperere, si vera poenitentia ducti redeant. Eadem obligatio incumbit loci Ordinario quoad moniales, quae tamen caute sunt redu cendae, ne res fidelibus per modum agendi Episcopi innotescat et proinde scandalum oriatur vel augeatur, aut ipsa religiosa forte scandalum sumat. Si monasterium exemptum est et Superiori regulari subjectum, tum Episcopus tum Superior religiosus aequali obligatione ad idem tenentur (can. 645. § 2.).

170. Quoad poenas ecclesiasticas notandum est: 1) Quando apostata vel fugitivus ipso facto dimissus sit, statim dicetur Art. III. in initio. — 2. Apostata a religione a) incurrit ipso jure in excommunicationem proprio Superiori majori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci, in quo commoratur, reservatam; b) ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus; c) privilegiis omnibus suae religionis est privatus; d) si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva ac praeterea e) aliis poenis pro gravitate culpae a Superioribus puniri debet ad normam constitutionum (can. 2385.). — 3. Religiosus fugitivus a) ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in religione habeat, et b) in suspensionem proprio Superiori majori reservatam, si sit in sacris; c) cum autem redierit, puniatur secundum constitutiones et, si constitutiones nihil de hoc caveant, Superior major pro gravitate culpae poenas infligat (can. 2386.).

Hac lege renovatur excommunicatio Capitis Ut periculosa 2. Ne clerici vel monachi (III. 24.) in 6. Nunc autem ad excommunicationem incurrendam dimissio habitus non amplius requiritur, neque illa infligitur solummodo regularibus sicut antea sed omnibus religiosis a votis perpetuis. Transitus illegitimus ab una religione ad aliam non quidem constituit peccatum apostasiae, attamen varii sunt religiosi Ordines, qui id privilegium obtinuerunt, ut qui absque licentia debita ad alium etiam strictiorem Ordinem transeant apostatarum poenas incurrant.[1]) Haec tamen privilegia nunc non amplius habent momentum

[1]) Sic quoad Soc. Jesu constituitur in constitutione Pii V. „Aequum reputamus" d. 17. Januarii 1566. (Bullar. S. J. ed Florentina pag. 36.).

practicum, cum transitus ad aliam religionem numquam fieri possit absque auctoritate Apostolicae Sedis. Poenae, quas fugitivi incurrere potuerunt,[1]) non sunt renovatae.

Art. III.

Codicis Titulus XVI.

De dimissione religiosorum.

(can. 646.—672.)

§ 1. De dimissione in genere.

(can. 646.)

171. Dimissio intelligitur nunc remotio alicujus religiosi ex communitate religiosa per ipsam religionem vel clarius per auctoritatem ecclesiasticam, cui incumbit gubernatio religionis. Et quidem stricte sumpta dimissio habetur solum, quando removetur religiosus, qui adhuc votis ligatus est, sive illa vota per dimissionem solvantur sive non, sive fiat in poenam delicti commissi, quae antea vocabatur ejectio, sive ob alias causas graves, quae religiosi remotionem necessariam reddunt. Ideo remotio religiosi, qui tempore votorum temporariorum expleto ad renovationem non admittitur, non est stricte sumpta dimissio, tamen etiam hunc casum, qui certe distinguendus est ab egressu per liberam voluntatem ipsius religiosi hoc articulo tractabimus. Imo fieri potest, ut religiosus a religione ad propriam ipsius instantiam dimittatur, quin talis egressus omnino liber vocari possit, cum ei jus ad liberum egressum propter vota emissa non amplius competat.

Imprimis notanda sunt tria peccata, quae si a religioso committuntur, is ipso facto dimissus est, ita ut Superior major cum suo Capitulo seu Consilio ad normam constitutionum solummodo declarationem facti emittere debeat.

---

[1]) Cf. Extrav. Ad nostram 2. De Reg. et transeuntibus ad religionem (III. 8.; Joann. XXII.); Clem. Ne in agro 1. De statu monachorum (III. 10.; Clem. V.).

Probationes vero collectae in regestis domus religiosae asservandae sunt. Sunt autem ipso facto dimissi: 1. Publici apostatae a fide catholica; — 2. Religiosus, qui fugam arripuerit cum muliere aut religiosa cum viro; — 3. Attentantes aut contrahentes matrimonium aut etiam vinculum, ut ajunt, civile (can. 646.).

Apostatae a fide intelliguntur illi, qui a fide catholica totaliter recesserunt (can. 1325. § 2.), proinde ipso facto dimissi non sunt haeretici vel schismatici neque illi, qui fidem quidem abjecerunt sed non publice. Delictum autem est publicum, si jam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adjunctis, ut prudenter judicari possit et debeat facile divulgatum iri (can. 2197. Nr. 1.). — Eosdem casus dimmissionis jam statuerat Pius X. per decretum s. Congregationis de Religiosis d. 16. Maii 1911. „Quum singulae" Nr. 18.[1]) addito 4. casu, qui in Codicem non est receptus, nempe apostasia ab Ordine vel Instituto, nisi religiosus intra tres menses redierit.

§ 2. De dimissione religiosorum, qui vota temporaria nuncuparunt.

(cann. 647. et 648. coll. can. 637.)

172. 1. Sicut professus a votis temporariis expleto votorum tempore libere potest religionem deserere, ita pariter religio ob justas ac rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere non tamen ratione infirmitatis, nisi certo probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam (can. 637.).

Haec exclusio a renovatione votorum temporariorum vel a professione perpetua in Codice non vocatur dimissio, etsi religioso necessitatem imponat religionem deserendi. Ideo neque ligatur prohibitionibus canonis 642. quoad certa officia et beneficia ecclesiastica. Si autem in sacris ordinibus constitutus dioecesim amisisset neque Episcopum benevolum receptorem invenisset, sacros ordines exercere non posset.

2. a) Professum a votis temporariis sive in Ordinibus sive in Congregationibus juris pontificii dimittere potest

---

[1]) Acta Apost. Sedis III. (1911.) pag. 235.

supremus religionis Moderator vel Abbas monasterii sui juris cum consensu sui cujusque Consilii per secreta suffragia manifestato (can. 647. § 1.).

Hoc valet tum de religionibus clericalibus tum de laicalibus tum etiam de Congregationibus sororum juris pontificii exceptis solummodo monialibus, de quibus specialia praescripta dantur; valet de religionibus exemptis quam de non exemptis, dummodo sint juris pontificii, unde deducitur neque Antistitam generalem alicujus Congregationis sororum juris pontificii in dimissione professarum a votis temporariis ab Ordinario loci pendere. Pendent vero omnes supradicti Superiores a consensu sui Consilii, qui insuper manifestatus esse debet per secreta suffragia.

b) Monialem autem votorum temporariorum dimittere potest Ordinarius loci et, si monasterium sit regularibus obnoxium, Superior regularis, postquam monasterii Antistita cum suo Consilio fidem de causis scripto fecerit.

In monasteriis monialium immediate Summo Pontifici vel Episcopo subjectis dimittens est Ordinarius loci, in monasteriis regularibus subjectis Ordinarius loci simul cum Superiore regulari. Verba canonis 647. quidem etiam ita intellegi possunt, ut Superior regularis solus ad dimissionem procedere possit, sed decretum „Quum singulae“ s. Congr. de Relig.[1]) ex quo praescriptiones Codicis desumptae sunt, clare dicit causas graves probandas esse ab Ordinario loci et *etiam* a Superiore regulari, unde patet eos simul procedere debere.

c) In Congregationibus tandem dioecesanis professos votorum temporariorum dimittit Ordinarius loci, in quo religiosa domus sita est, qui tamen jure suo ne utatur Moderatoribus insciis vel juste dissentientibus (can. 647. § 1.).

Quoad alumnas sodalitatum dioecesanarum idem jam statuerat Leo XIII. per Constitutionem „Conditae a Christo“ Cap. I. Nr. 8.[2]) d. 8. Decembris 1900.

In omni vero casu contra dimissionis decretum religioso patet recursus ad Stam. Sedem tum in devolutivo tum in suspensivo (can. 647. § 2. Nr. 4.).

---

[1]) S. Congr. de Rel. d. 16. Maii 1911. Acta Apost. Sedis III. (1911.) Nr. 21. pag. 238.

[2]) Acta Stae. Sedis XXXIII. (1900./1901.) pag. 343.

173. Omnes illi, quibus in supra dictis facultas dimittendi religiosum concessa est, graviter eorum onerata conscientia neminem dimittere possunt, nisi servatis conditionibus sequentibus: 1. Causae dimissionis debent esse graves; — 2. Possunt se habere sive ex parte religionis sive ex parte religiosi. Defectus spiritus religiosi, qui aliis scandalo sit, est sufficiens ratio, si repetita monitio una cum salutari poenitentia incassum cesserit, non vero infirma valetudo, nisi certo constet eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam.

Non requiritur, ut religiosus dimittendus delictum commiserit, sicut postulatur pro dimissione professi votorum perpetuorum, ut autem ex causa defectus spiritus dimitti possit, saltem duplex monitio cum salutari poenitentia praecedere debet et defectus emendationis. Sufficiunt autem et aliae causae graves etiam ex parte religionis, si e. g. ob difficultates temporum tot religiosos non amplius alere possit et similia. Speciatim excluditur tamquam causa dimissionis et etiam exclusionis a renovatione votorum infirma valetudo, si morbus aut post professionem contractus est aut etiam antea excepto solo casu dolosae celationis. Ut dolose celatus dici possit, requiritur celatio eo fine, ut ad professionem admittatur, non vero forte infirmitas solummodo ex spiritu abnegationis (etsi imprudenter) reticita. Insuper debet de dolo constare (cf. supra can. 637.) per veras probationes.

3. Causae non quidem formali judicio probandae sunt, attamen Superiori dimittenti certo innotescere debent. Ad hoc autem requiritur, ut religioso causa manifestata sit, data eidem plena licentia respondendi, ejusque responsiones Superiori dimittenti fideliter subjiciantur (can. 647. § 2. Nr. 3.). — 4. Si agitur de religiosa dimittenda, curandum est, ut ei suppeditentur necessaria, quibus per aliquod tempus honeste vivere possit (cf. supra Art. I. § 1. hujus Cap.). — 5. De recursu jam diximus.

Effectus dimissionis sunt: 1. Religiosus solvitur ab omnibus votis religiosis. 2. Si dimissus in sacris constitutus sit a) salva manent onera ordini majori annexa; b) ad propriam dioecesim redire aut, si eam amiserit, Episcopum benevolum receptorem invenire debet secus extra religionem ordinem exercere non potest; c) exclusus manet

ab illis beneficiis et officiis de quibus supra Art. I. § 1. locuti sumus (can. 648. coll. cann. 641. § 1. et 642.). 3. Clericus autem in minoribus tantum ordinibus constitutus eo ipso redactus est ad statum laicalem (can. 648. coll. can. 211. § 2.).

§ 3. De dimissione religiosorum, qui vota perpetua nuncuparunt in religione clericali non exempta vel in religione laicali.

(can. 649.—653.)

174. Religiones clericales non exemptae et laicales virorum quoad dimissionem professorum a votis perpetuis pari jure reguntur tum in oppositione ad religiones clericales exemptas, de quibus in § 4. agendum erit, tum in oppositione ad religiones mulierum, de quibus in hac § sermo est.

1) Quoad causas dimissionis 1. in religione virorum requiruntur a) tria delicta ordinarie ejusdem speciei (cf. infra Nr. 175.), b) duplex monitio, quae non debet esse publica sed documento de ea constare debet (cf. can. 2309. § 5.), ut cum actis ad Ordinarium loci vel ad Sedem Apostolicam mitti possit (cf. can. 650. § 2.), c) defectus emendationis. De hisce omnibus eodem modo constare debet sicut ad processum instituendum in religione clericali exempta (§ 3.) similiter remedia (exhortationes et correctiones, poenitentiae, remotio occasionis relabendi, comminatio dimissionis) contra relapsum eodem modo sunt adhibenda sicut in cann. 656.—662. praescribuntur excepta solummodo forma judiciali (can. 649.). — 2. Si agitur de religiosa dimittenda, postulantur etiam a) graves causae exteriores, quae quidem non vocantur delicta, sed ex incorrigibilitate, quae etiam requiritur, patet eas debere esse graves defectus morales, b) incorrigibilitas, c) experimentum prius habitum, ita ut judicio Antistitae spes resipiscentiae evanuerit. Quomodo hoc experimentum faciendum

sit, in Codice non dicitur, certe tamen simile quid requiritur sicut monitiones, quae in religionibus virorum praescribuntur (can. 651. § 1.) — 3. In omnibus religionibus religioso jus est suas rationes libere exponendi, ejusque responsiones in actis fideliter referendae sunt (cann. 650. § 3. et 651. § 2.).

2) Decretum dimissionis fert 1. in religionibus virorum a) supremus religionis Moderator, si religio est juris pontificii, ita tamen ut effectum suum non sortiatur, nisi confirmetur a Sede Apostolica, b) Ordinarius loci, in quo domus religiosa professi dimittendi sita est, si religio est juris dioecesani (can. 650. § 2.). Ad eum finem supremus Moderator, si de causis dimissionis constat, perpensis omnibus adjunctis cum suo Consilio deliberat et quando major suffragiorum numerus stat pro dimissione, decretum dimissionis conscribit et acta omnia transmittit ad Sedem Apostolicam pro confirmatione, si agitur de religione juris pontificii; in religione vero juris dioecesani sine decreto totam rem proponit Ordinario loci, qui pro suo prudenti arbitrio decernit dimissionem ad normam can. 747.[1]) — 2. In religionibus mulierum distinguendum est inter sorores, quae jure dioecesano reguntur, moniales et sorores religionis juris pontificii. a) Quoad sorores juris dioecesani decretum dimissionis fert Ordinarius loci, in quo sita est sororis dimittendae domus, b) moniales dimittit s. Congregatio de Rel.; acta autem colligit Ordinarius loci, qui ea cum suo voto transmittit ad Apostolicam Sedem addito etiam voto Superioris regularis, si monasterium regularibus sit subjectum; c) quoad religiones sororum juris pontificii item dimissio pertinet ad s. Congregationem de Relig.,

---

[1]) Quid per hanc clausulam „ad normam“ can. 647. significetur, non videtur omnino clarum. Certe non sufficiunt causae ibi enumeratae, cum expresse postuletur triplex delictum. Videtur imprimis intelligendum praeceptum, ne Ordinarius loci utatur jure suo Moderatoribus juste dissentientibus, deinde ut liber maneat recursus etiam in suspensivo ad Apostolicam Sedem.

acta et documenta autem colligit et transmittit suprema religionis Moderatrix. — In omni casu sec. can. 643. § 2. providendum est, ut religiosae dimissae praestentur per aliquod tempus necessaria ad victum, nisi per restitutionem dotis jam provisum sit (can. 652.).

3. Pro casu quodam urgente statuit can. 653.: „In casu gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti communitati imminentis religiosus statim potest a Superiore majore cum consensu sui Consilii vel etiam, si periculum sit in mora et tempus non adsit adeundi Superiorem majorem, a Superiore locali cum consensu sui Consilii et Ordinarii loci ad saeculum remitti habitu religioso illico deposito ita tamen, ut res per ipsum Ordinarium aut per Superiorem majorem, si adsit, Sanctae Sedis judicio sine mora subjiciatur."

„Auctis admodum ex singulari Dei beneficio votorum simplicium institutis, uti multa inde bona oriuntur, ita aliqua parit incommoda facilis alumnorum hujusmodi societatum egressus et consequens ex jure constituto regressus in dioecesim originis", ita incipit decretum s. Congr. Ep. et Reg. sub Leone XIII. editum,[1]) quo praeter alia (e. g. de studiis cf. supra p. 168.) etiam egressus et dimissio professorum votorum simplicium novis normis subjicitur, imprimis leges de processu instituendo etiam ad Congregationes religiosas extenduntur. Constitutio Leonis XIII. „Conditae a Christo", quae jura Episcopi in Congregationes dioecesanas et juris pontificii clare circumscribit, etiam de ejus potestate in dimittendis religiosis agit.[2]) Tandem decretum s. Congregationis de Religiosis „Quum singulae" jussu Pii X. editum[3]) novas leges pro processu judiciali in dimissione religiosorum statuens aliqua quoque de dimissione non judiciali praescribit, quae nunc etiam in Codicem relata sunt.

---

[1]) Decr. s. Congr. Ep. et Reg. d. 4. Novembris 1892. Acta Stae. Sedis XXV. (1892./93.) pag. 312.

[2]) Constitutio „Conditae a Christo" d. 8. Decembris 1900., Acta Stae. Sedis XXX. (1900./01.) pag. 341.

[3]) Decret. s. Congr. de Rel. d. 16. Maii 1911. Acta Apost. Sedis III. (1911.) pag. 235.

§ 4. De processu judiciali in dimissione religiosorum, qui vota perpetua sive solemnia sive simplicia nuncuparunt in religione clericali exempta.

(can. 654.—668.)

175. (92) Vir professus a votis simplicibus perpetuis[1]) a votis sollemnibus aut in religione clericali exempta dimitti non possunt nisi processu instituto exceptis ipso facto dimissis[2]) sec. can. 646. et quando adsit grave scandalum externum vel gravissum immineat nocumentum communitati religiosae (cann. 653. et 668.), quo in casu religiosus a Superiore majore (vel si periculum sit in mora, a Superiore locali) cum consensu sui Consilii, habitu religioso deposito, statim potest ad saeculum remitti, processus autem, si inceptus nondum sit, statim instituendus est (cann. 654. et 668.).

1. Sententiam dimissionis fert supremus Moderator religionis vel monasticae Congregationis cum suo Consilio seu Capitulo, quod cum ipso tribunal collegiale constituit. Praeses de aliorum consensu nominat promotorem justitiae (can. 655.). Sententia confirmanda est a S. Congregatione de Religiosis.

Tribunal debet saltem quatuor complecti religiosos praeter praesidem. Si qui deficiant, eorum loco, praeses de consensu aliorum totidem eligit ex propria religione. Etiam promotor justitiae debet esse sacerdos ejusdem religionis, integrae famae, in jure canonico doctor vel ceteroqui peritus ac prudentiae et justitiae zelo probatus (cann. 655. et 1589.). Conferri possunt, quae de constitutione tribunalis supra Nr. 42. 3. pag. 66. ss. diximus. Differt tamen tribunal pro di-

---

[1]) Excipiuntur religiosi a votis simplicibus perpetuis in Societate Jesu, quorum dimissio, sicut antea, regitur jure Societatis ita tamen, ut a) servetur praescriptum can. 647. § 2. quoad causas dimissionis, b) ut dimittendo plena detur respondendi licentia (can. 650. § 3.) ejusque responsa fideliter referantur ad P. Generalem, c) ut pateat recursus etiam in suspensivo ad Apostolicam Sedem. In dimissione autem professorum votorum sollemnium Societas Jesu regitur jure communi. Ita declaravit Commissio sacrorum Codicis canonum interpretum die 29. Junii 1918. (cf. supra Nr. 94. pag. 154. nota 4.).

[2]) Cf. supra Nr. 171. pag. 296.

missione eo, quod prima et unica instantia non est penes quemcumque Superiorem majorem sed penes supremum Moderatorem et executioni mandari non potest sententia, nisi sit confirmata a Sta. Sede. Superior major solummodo inquisitionem instituere et monitionem facere potest, deinde vero acta ad supremum Moderatorem transmittere debet, qui iterum aut ipse aut praeses tribunalis, quem suo loco instituit, sententiam et omnia acta processus quamprimum ad s. Congregationem de Religiosis transmittere debet (can. 666.). Appellatio ordinario modo non conceditur, cum ipsa Sta. Sedes jam revisionem totius processus sibi reservaverit. Si autem via extraordinaria concederetur, s. Romana Rota videtur consideranda tanquam tribunal apellationis (cf. cann. 1598. ss.).

176. 2. Causas dimissionis quod attinet, requiruntur a) tria delicta, b) duae monitiones et c) defectus emendationis. De his constare debet, antequam ad processum instruendum devenire possit (can. 656.).

a) Delicta debent esse gravia et externa sive contra jus commune sive contra speciale religiosorum jus i. e. contra constitutiones singularum religionum et leges, quae pro religiosis in ipso Codice inveniuntur. Patet autem omnia peccata contra jus divinum simul esse contra jus commune. Debent autem esse aut α) tria delicta ejusdem speciei vel, si diversae, talia, ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem aut β) unum tantum delictum permanens, quod ex repetitis monitionibus virtualiter triplex fiat (can. 657.). — Ad monitionem (scil. in ordine ad dimissionem) faciendam necesse est, ut constet de delicto sive sit α) notorium aut β) de eodem constet ex rei confessione extrajudiciali aut γ) ex aliis sufficientibus probationibus, quas praevia inquisitio suppeditaverit (can. 658. § 1.).

Inquisitio vero judicialiter est facienda ideo nominandus ab immediato Superiore majore i. e. Abbate vel Provinciali judex inquisitionis, nisi Ordinarius ipse per se inquirere velit. Judex autem inquisitionis non ad universalitatem causarum sed ad hanc determinatam causam est constituendus, qui juramentum praestet de officio fideliter explendo et de secreto servando et iisdem obligationibus tenetur sicut judices ordinarii (can. 1941.). Ipse potest testes interrogare etiam sub jurejurando veritatis dicendae et secreti servandi et debet hac in re, quantum fieri potest et natura inquisitiones patitur procedere juxta

regulas de testium examine (can. 1770.—1781.). Promotor justitiae pro hac inquisitione non postulatur, si vero adsit, judex inquisitor potest cum eo acta communicare ejusque consilium exquirere, praesertim antequam claudat inquisitionem (cann. 1944., 1945.). Expleta inquisitione, inquisitor addito suffragio suo omnia referat ad Superiorem, a quo delegatus est. Superior major si appareat denuntiationem solido fundamento carere, id declarat in actis et acta ipsa in secreto archivo provinciae vel monasterii reponantur. Si indicia criminis habeantur, sed nondum de eo constet, ad monitionem pro dimissione procedi non potest (can. 658.), potest tamen Superior interim moribus imputati invigilare eumque de re audire vel etiam, si casus ferat ad normam can. 2307. (cf. hac de re supra Nr. 43. pag. 70.) monere. Si denique certa adsint argumenta, ad monitionem, qualis pro dimissione requiritur, procedi potest.

b) Monitio α) fieri debet ab immediato Superiore majore per se vel per alium de ejus mandato, datum vero mandatum pro prima monitione valet etiam pro altera (can. 659.). β) Duae debent esse monitiones, scilicet singulae pro singulis duobus primis delictis, γ) si autem sit unum delictum continuatum, intercedat necesse est inter primam et alteram monitionem saltem trium dierum integrum spatium (can. 660.). δ) Monitionibus addendae sunt opportunae exhortationes et correctiones praescriptis insuper poenitentiis aliisque remediis poenalibus, quae apta censeantur ad emendationem rei et scandali reparationem. ε) Praeterea tenetur Superior reum ab occasionibus relabendi removere etiam per translationem, si opus fuerit, ad aliam domum, ubi facilior sit vigilantia et remotior delinquendi occasio. ζ) Singulis monitionibus adjicienda est dimissionis comminatio (can. 661.).

Quae sub littera α—γ enumerata sunt, certe sunt de valore monitionis in ordine ad dimissionem, absque illis enim non constat de iteratione delicti. Cetera autem, cum ad valorem requiri non dicantur, non ad valorem sunt necessariae (can. 11.) solummodo ultimum de adiicienda comminatione dimissionis videtur aequivalenter (cf. can. 11.) tamquam ad valorem requisitum proponi; monitio enim, quae processui dimissionis praecedere debet, alia est quam remedium illud poenale, de quo jam saepius locuti sumus, hoc autem reo etiam innotescere debet, quod aliter fieri non potest, quam ut ipsi dicatur.

c) De defectu emendationis constat, si reus post secundam monitionem novum delictum commiserit vel in eodem (saltem per 6 dies) permanenter perstiterit (can. 662.). Dico saltem per sex dies; tamdiu enim exspectandum est, antequam ad ulteriora progressus fiat; ex quo patet ei tantum temporis spatium etiam pro emendatione concedi.

177. 3. Postquam monitiones et correctiones incassum cesserunt, processus accusatorius praeparari potest. Et quidem a) immediatus Superior major omnia acta et documenta diligenter colligit et ad supremum Moderatorem transmittit; b) Moderator supremus ea tradit promotori justitiae, qui ea examinare et suas conclusiones proponere debet (can. 663.); c) promotor justitiae, si ulteriores inquisitiones opportunas judicaverit, eas peragere potest, et omnibus finitis, si ita judicaverit, accusationem proponit; d) Oblato accusationis libello instituitur processus,[1]) ex quo constare debet de delictis patratis, de praemissa duplici monitione et de defectu emendationis (can. 664.). e) Tribunal, si omnibus diligenter perpensis judicaverit supradicta satis probata esse, sententiam dimissionis pronuntiat (can. 665.) et f) omnia acta processus quamprimum ad s Congreg. de Religiosis transmittenda curat. g) Sententia executioni mandari nequit, nisi fuerit a s. Congregatione confirmata (can. 666.).

Processus judicialis antea pro solis regularibus votorum sollemnium praescriptus erat, de quo decreta prodierunt primum a s. Congregatione Concilii[2]) ab Urbano VIII. confirmatum, alterum a Congregatione sub Innocentio XII. specialiter constituta[3]) et tandem decretum jam citatum „Auctis admodum“ s. Congr. Ep. et Reg. sub Leone XIII.,[4]) quo leges antea pro solis regularibus latae ad Congregationes quoque cum votis perpetuis et ad professos votorum simplicium etiam tempo-

[1]) Processus instituendus est secundum praescripta, quae in 1. parte libri quarti Codicis continentur (cf. can. 1552.—1998.).

[2]) Decret. „Sacra Congregatio“ d. 21. Sept. 1624.

[3]) Decret. „Instantibus“ d. 24. Julii 1694.

[4]) D. 24. Novemb. 1894. Acta stae. Sedis XXV. pag. 312.

rariorum in sacris constitutos extenduntur. Processus vero ille ordinarius plura continebat praescripta et sollemnitates. Religiosus ejiciendus saltem per sex menses in carceribus religionis probandus erat et forma sollemnis adhibenda, quae quandoque longissimum tempus duravit. Cum insuper nostris temporibus illa probatio in carceribus in multis regionibus impossibilis evaserit, Pius X. per decretum s. Congreg. de Religiosis[1]) processum summarium adhibendum esse declaravit et speciales etiam normas addidit, quae fere omnes nunc in Codicem relatae sunt, paucis factis immutationibus e. g. a Pio X. tres fuerunt praescriptae monitiones, nunc duae sufficiunt et similia.

„Pro dissitis regionibus etiam in casibus ordinariis supremi Moderatores cum consensu sui Consilii seu Capituli possunt dimittendi facultatem demandare probis ac prudentibus religiosis, qui saltem tres esse debent firmo praescripto can. 663.—666.“ dicit can. 667.

Res non omni difficultate caret. Potest enim per se can. ita intellegi, ut toto processu ordinario modo usque ad finem perducto propter dubium quoddam nondum omnino solutum finiatur per sententiam potius conditionatam et executio sententiae committatur supradictis tribus patribus per modum alicujus rescripti in forma commissoria scil. ita, ut illi inquirere debeant, num conditio verificata sit. Probabilius autem canon ita intelligendus est, ut totus processus perficiendus sit ab illis judicibus delegatis, qui etiam sententiam dimissionis ferunt ita, ut nihil amplius remaneat quam confirmatio per S. Congregationem, cui proinde acta transmittenda essent. Haec interpretatio ideo probabilior videtur, quia ita meliori modo occurri potest difficultati pro instructione processus, si testes in longinquas regiones citandi vel similia peragenda essent.

§ 5. De religiosis dimissis, qui vota perpetua nuncuparunt.
(can. 669.—672.)

178. Professus, qui vota perpetua emisit, a religione dimissus, votis religiosis manet adstrictus, salvis constitutionibus[2]) aut Sedis Apostolicae indultis, quae aliud ferant (can. 669. § 1.).

---

[1]) Decretum jam cit. „Quum singulae“ d. 16. Maii 1911. Acta Apost. Sedis III. pag. 235.

[2]) Sic e. g. professi votorum simplicium a Societate Jesu dimissi eo ipso a votis soluti sunt.

Specialia vero praescripta pro clericis data sunt et quidem 1. clericus in minoribus constitutus eo ipso reducitur ad statum laicalem (can. 669. § 2.). — 2. Si autem in sacris est constitutus distinguendum est: a) si delictum commisit, quod punitur α) juxta can. 646. ipso facto dimissione[1]) aut β) infamia juris[2]) aut γ) depositione[3]) aut δ) degradatione,[4]) perpetuo prohibetur deferre habitum ecclesiasticum (can. 670.). — b) si dimittatur ob delicta minora α) manet ipso facto suspensus, donec a Sta. Sede absolutionem obtinuerit, β) religio per manus Ordinarii loci commorationis caritativum subsidium ei suppeditet pro necessariis ad vitae sustentationem, nisi ipse aliunde sibimet providere valeat. Ab hac obligatione vero religio liberatur, si dimissus praeceptis s. Congregationis aut Ordinarii loci, de quibus infra, non paret, vel si vitam ecclesiastico dignam non agit (vide lit. δ, ε, ζ). γ) Sacra Congregatio de Reli-

[1]) Cf. supra Nr. 171. pag. 296.

[2]) Cf. supra Nr. 31. pag. 43. nota 1.

[3]) Deponendi sunt clerici haeretici post iteratam monitionem non resipiscentes (can. 2314. § 1. Nr. 2.), species consecratas abjicientes vel eis abutentes (can. 2320.), clerici non sacerdotes Missae celebrationem simulantes vel sacramentalem confessionem excipientes (can. 2322. Nr. 1.), cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violantes (can. 2328.), procurantes abortum effectu secuto (can. 2350. § 1.), committentes crimina atrociora ut homicidium, raptum impuberum, venditionem hominis, usuram, rapinam, majora furta, incendium, destructiones graves et malitiosas, mutilationes, vulnerationes, violentias (can. 2354. § 2.), etiam graviora delicta contra 6. praeceptum, de quibus jam pag. 43. nota 1. locuti sumus (can. 2359. § 2.), qui notorie ad vitae genus a statu clericali alienum transierint et moniti non resipuerint intra 3 menses (can. 2379.), intrusi in beneficium, officium, dignitatem in gravi casu (can. 2394. Nr. 2.), beneficio privati et illud non dimittentes (can. 2401.).

[4]) Degradatione puniuntur: Clericus jam depositus, qui per annum grave scandalum praebere pergit (can. 2305. § 3.), sectae acatholicae nomen dans, monitione incassum praemissa (can. 2314. § 1. Nr. 3.), violentas manus in Rom. Pontificem injiciens (can. 2343. § 1. Nr. 3.), reus homicidii culpabilis (can. 2354. § 2.), solicitans in confessione in casu valde gravi (can. 2368. § 1.), matrimonium vel vinculum civile attentans, si monitus non resipuerit (can. 2388. § 1.).

giosis, si id expedire judicaverit, dimisso praecipere potest, ut habitu cleri saecularis indutus commoretur in certa dioecesi indicatis Ordinario causis dimissionis, δ) si tali praecepto non paret, religio ad nihil tenetur et ipse privatus est jure deferendi habitum ecclesiasticum, ε) si paret, Ordinarius loci eum in domum poenitentiae mittat, vel eum committat curae et vigilantiae pii ac prudentis sacerdotis; si huic mandato non paret, valent eadem ut supra ζ) si vitae rationem ecclesiastico viro dignam non agat, transacto anno aut etiam prius judicio Ordinarii, privetur caritativo subsidio, ejiciatur e domo poenitentiae eique auferatur jus deferendi habitum ecclesiasticum ab ipso Ordinario, qui statim mittere curet opportunam relationem tum ad Sedem Apostolicam tum ad religionem, η) si vero dimissus praedicto tempore tam laudabiliter se gesserit, ut merito haberi possit vere emendatus, Ordinarius ejus preces apud Stam. Sedem commendabit pro absolutione a censura suspensionis et ea obtenta eidem in sua dioecesi permittat adhibitis opportunis cautelis et limitationibus Missae celebrationem et etiam pro suo arbitrio et prudentia aliud sacrum ministerium, unde honeste vivere queat, quo in casu religio caritativum subsidium omittere potest. — ϑ) Quod si agatur de diacono aut subdiacono, res ad Sanctam Sedem deferatur (can. 671.).

Dimissus votis in religione emissis non solutus tenetur ad claustra redire et, si argumenta plenae emendationis per triennium dederit, religio tenetur eum recipere; quod si graves obstent rationes sive ex parte religionis sive ex parte religiosi, res judicio Sedis Apostolicae subjiciatur (can. 672. § 1.).

Quoties vero vota in religione emissa cessaverint, si dimissus Episcopum benevolum receptorem invenerit, sub ejus jurisdictione et speciali vigilantia maneat, qui etiam ejus ministerio in dioecesi uti potest exclusis solum iis beneficiis et officiis, de quibus supra Art. I. § 1. sermo

erat (can. 642.). Si vero Episcopum benevolum receptorem non invenerit, res ad Stam. Sedem deferatur (can. 672. § 2.).

Caput X.

Codicis Titulus XVII.

De societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis.

(can. 673.—681.)

Societas sive virorum sive mulierum, in qua sodales vivendi rationem religiosorum imitantur, in communi degentes sub regimine Superiorum secundum probatas constitutiones, sed tribus consuetis votis publicis non obstringuntur, non est proprie religio nec ejus sodales nomine religiosorum proprie designantur. Niholominus earum constitutiones ab Ecclesia approbantur sive ab Episcopo, quo fiunt juris dioecesani sive a Sede Apostolica, quo fiunt juris pontificii sicut ipsae religiones; similiter possunt esse societates clericales et laicales, prout sodales secundum magnam partem ad sacerdotium sunt destinati vel non (can. 673.).

Tales societates saltem jam inde a saeculo 14. in Ecclesia catholica existunt, si abstrahimus ab antiquis asceteriis, in quibus jam primis Ecclesiae temporibus tum viri tum mulieres vitam communem agebant, de quibus saepe non constat, num vota emiserint necne. Sic Gerardus Groot in Hollandia saeculo 14. fundavit talem piam societatem clericorum, cui postea accessit simile institutum pro mulieribus, quae societates usque ad revolutionem religiosam saeculi 16. floruerunt. Eo tempore autem secundum magnam partem interiit, saltem quod viros attinet, mulieres autem, ut se ab interitu salvarent, aliquam regulam Ordinum praesertim sti. Francisci amplexae sunt.[1]) At praecise inde a saeculo

[1]) Heimbucher, Die Orden und Kongregationen der kath. Kirche III.[2] pag. 401. ss.

16. plures tales societates fundatae sunt ut e. g. Oblati ss. Ambrosii et Caroli Mediolani, Oratorium sti. Philippi Neri Romae, postea praesertim in Anglia propagatum, Patres doctrinae christianae, Sacerdotes missionis (Lazaristae), Societas sti. Sulpicii, Institutum Bartholomaei Holzhauser, Congregatio Sti. Spiritus, Pia Societas Missionum a venerabili Vincentio Palotti (Pallotini), Missionarii sacratissimi Cordis Jesu, Societas sti. Francisci de Sales (Salesiani) a Don Bosco fundata, Societas missionariorum ab Africa (Pères blancs) a Cardin. Lavigerie, aliaeque etiam mulierum. Ex istis nominibus jam patet tales societates magno numero et etiam magni meriti in Ecclesia existere.

Quoad erectionem, suppressionem talis societatis vel ejus provinciae et domus eadem valent, quae supra de Congregationibus diximus (can. 674. cf. Nr. 16. pag. 23. ss.), erectio per Ordinarium loci suppressio solum per Stam. Sedem, consensus Ordinarii loci ad erigendam domum etc. — Regimen determinatur in constitutionibus uniuscujusque societatis servatis autem iis, quae de Superioribus et Capitulis, de confessariis et capellanis (supra Cap III. Art. I. et II. pag. 24. ss. et 83. ss.) in religionibus praescripta sunt (can. 675.). — Societas ejusque provinciae et domus capaces sunt acquirendi et possidendi bona temporalia, in quorum administratione iterum leges pro religiosis latae (supra Nr. 52. pag. 94. ss.) observandae sunt (can. 676.). — In admittendis candidatis serventur constitutiones ita tamen, ut impedimenta admissionis, quae in can. 542. proponuntur (cf. Nr. 64. pag. 111. ss.) etiam pro illis societatibus valeant (can. 677.). — In iis, quae ad studiorum rationem et ad suscipiendos ordines pertinent, sodales iisdem legibus tenentur ac saeculares clerici (can. 678. cf. supra Nr. 101. pag. 167. ss.).

Ideo societates illae non tenentur legibus religiosorum quoad domus studiorum erigendas et quoad directionem earum domorum neque quoad examina post finita studia quotannis per quinquennium (can. 590.) subeunda neque ad solutionem casus juxta can. 591. (supra Nr. 105. pag. 176.), tenentur autem ad examen saecularibus sacerdotibus quotannis per triennium praescriptum (cf. pag. 253.) et ad collationes et conferentias per can. 131. injunctas. — Ad ordinationes vero litterae dimissoriae dantur non ab eorum Superioribus sed ab Ordinario loci. Item non possunt ordinari titulo paupertatis vel Congregationis (supra Nr. 104. pag. 175.) sed reguntur jure saecularium.

Sodales societatis praeter obligationes, quibus uti sodales obnoxii sunt secundum constitutiones, tenentur, communibus clericorum obligationibus (supra Nr, 130. pag. 226. ss.), nisi ex natura rei vel ex sermonis contextu aliud constet, pariter stare debent praescriptis de recitatione divini officii aliisque pietatis exercitiis (Nr. 140. pag. 243. ss.), de habitu gestando (Nr. 143. pag. 250. ss.), de adjutorio in cura animarum clero dioecesis praestando (Nr. 144. pag. 252. ss.), nisi constitutiones aliud ferant. Clausuram vero servare debent ad normam constitutionum sub Ordinarii loci vigilantia proinde clausuram episcopalem (can. 679.) — Iidem etiam laici gaudent clericorum privilegiis (Nr. 147. pag. 261. ss.), aliisque societati directe concessis non autem privilegiis religiosorum (Nr. 145. pag. 254. ss.) sine speciali indulto (can. 680.). Talia vero indulta plures tales societates receperunt etiam privilegio exemtionis non excluso. — Praeter proprias cujusque societatis constitutiones circa transitum ad aliam societatem vel ad aliquam religionem aut circa sodalium exitum a societate etiam juris pontificii, serventur congrua congruis referendo praescripta, quae de transitu ab una religione ad aliam et canone 645. de apostatis et fugitivis valent (supra Nr. 162. pag. 286. et Nr. 169. pag. 295.) circa eorum dimissionem autem praescripta de dimissione religiosorum (can. 681.).

Mirum forte apparere potest, cur de egressu e religione ex toto tilulo XV. Codicis solus can. 645. citetur, qui de obligatione apostatarum et fugitivorum redeundi et Superiorum eos reducendi et suscipiendi agit; sed notandum est 1. de indulto exclaustrationis et saecularizationis sermo esse non potest, quia haec deficientibus votis non sunt necessaria. 2. Quae autem de modo legitime egrediendi dici possunt, adeo a diversis constitutionibus pendent, ut generalis regula statui non possit.

Index rerum alphabeticus.

Numeri referuntur ad paginas.

Abbas regularis est Superior major 13, ordines minores conferre potest 172, Abbatum benedictio et usus pontificalium 263.
Abbatiae generalis ecclesia, si simul est paroecialis, non amplius est exempta a visitatione Episcopi 284.
abdicatio administrationis num reddat actus invalidos 183.
absolutio a censuris 75.
abusus significandi Apost. Sedi 268.
accusatio criminalis 67.
actiones societatum commercialium possidere num liceat 231.
activa vita 15.
administratio bonorum temporalium 95 ss., dotis religiosarum 132, in fine novitiatus cedenda 144, post professionem supplenda 146, laicalis non assumenda 230.
admissio in religionem 103, admissionis impedimenta 111 ss., invalida 112, ex metu aut dolo 114, conjugis 114, professi 115, ejus, cui poena imminet 116, Episcopi 118, clerici juramento obstricti 119; illicita 119, clerici in sacris inconsulto Ordinario 119, aere alieno gravati 120, reddenda ratione obnoxii 121, filiorum parentum seu avorum pauperum 121, parentum filiorum educandorum 121, irregularium 123, orientalium 126, documenta adm. 127, ad professionem 148, temporariam 155.
admittens Superior in religionem 126, ad professionem 148, temporariam 155.
advocati munus 231.
aedificatio ecclesiae 32, scholae, hospitii 27.
aegroti in hospitalibus religiosorum 84, aegrota religiosa confiteri potest omni sacerdoti pro mulieribus approbato 89.
aere alieno gravati non admittendi 120.
aestimatio rei in alienandis bonis 100.
aetas postulantis 111, novitii 112, 133, pro professione 148, Superiorum 39, Magistri novitiorum 137, ejus socii 137.
aleatorii ludi 227.
alienatio bonorum temporalium 99, beneplacitum apostolicum 99, consensus Capituli seu Consilii 99, Ordinarii loci 99, aestimatio rei 100, justa causa 100, poenae 100.
Ambitiosae, constitutio Pauli II 99, nota 1.
amovibiles sunt parochi et vicarii religiosi 285.
Antistita religiosarum, ejus aetas 40, quomodo eligenda 41, habet potestatem socialem et dominativam 53, coercitivam 69, in visitatione 81, ne impediat libertatem religiosarum in eligendo confessario 87, non postulet rationem conscientiae 91, quoad bona temporalia 97, 98, certio-

rem reddat Episcopum de admissione et professione religiosarum 129, quoad dotem religiosarum 132, quoad clausuram 239, δ, dependentia ab Episcopo 273.
apostasia a religione 294, a fide 297.
Apostolicae Sedis interventus in erectione religionis 23 ss, domus 26 ss., in suppressione 33 ss., in confirmatione electionis 49, in alienatione bonorum 99, in erigenda domo novitiatus 136, ad transferendum dominium titulo gratioso 145, in transitu ad aliam religionem 287, in exclaustratione et saecularizatione 291, in dimissione 301, 306.
approbatio religionis 24, confessarii 91.
arctior religio 286.
arma gestare 228.
artes indecoras exercere prohibitum 226.
assessores 66.
associationes laicorum erigendae dependenter ab Episcopo 272.
auditores 67.
austeritates novitii experiantur 139.
avi pauperes impedimentum admissionis 121.
baptismi documentum contineat notam de professione sollemni emissa 164 et de ordinatione ad subdiaconatum 176.
benedictio Abbatum 263.
beneficia ecclesiastica religiosis non conferenda 278, novitii non possunt eis renuntiare 142, vacant post triennium a professione 143, 153, paroecialia post annum 143, 153.
beneficium competentiae 263.
beneplacitum Sedis Apostolicae, vide Apostolica Sedes 23, 25, 26, 28, 32, 33, 49, 99, 136, 145, 287.
bona temporalia 94, alienatio 99, renuntiatio 144 (143 nota 1), 145, administratio 94, cedenda admin. usus et usufructus 144, b. t. cui acquiruntur a prof. vot. soll. 164, mendicantibus obvenientia 181, religiosorum in dignitate constitutorum 281, intuitu paroeciae acquisita 283, in transitu ad aliam relig. 288, in egressu e religione 293.
breviarii recitatio 246.
campanarum sonus 253.
canonis privilegium 261 pro societatibus sine votis 312.
cantus religiosarum in ecclesia propria 249.
capacitas possidendi bona temporalia 94.
capellani 83.
capitulationes 47.
Capitulum 36, 37, 82, Capitulorum potestas 56, vacante praelatura 77, consensus 76, in constitutione oeconomi 95, in alienatione bonorum 99, in admissione 126, ad primam professionem 155, ad dimissionem 157, 298.
Cardinalis Protector 35, religiosus 280.
caritas perfecta 3.
caritativum subsidium religiosae egredienti praestandum 293, dimissae 299, 302, clerico dimisso praestandum vel non 308.
castitatis votum 197, ejus violatio 199, poenae in violantes 200, dispensatio in articulo mortis 202.
casus moralis et liturgicus 176, casuum collationes 253.
causae alienationis bonorum 100, dimissionis prof. a votis temp. 299, a votis perp. 300, 304.
censurae 72, reservatio censurae 73, vide excommunicatio.
census vitalitii, a quo possint acquiri 190.
cessatio privilegiorum 259.
cessio administrationis bonorum in novitiatu facienda secus post professionem supplenda 146.
choreae 228.
chori obligatio 243, dispensatio a choro 246, magistrorum 171.
classes sodalium in novitiatu 136, separatio inter illas 137, indifferens ad illas 137.
clausura epistolarum 242.
clausura religiosorum 232, virorum 233, papalis 232 ss., episcopalis et statutaria 240, monialium 236, violantes clausuram m. 237, cl. m. sub vigilantia Episcopi 239, clausurae spatium 234, 239, pro

m. ab Ep. determinandum 239, clausura postulantium 109.
clericorum privilegia 261.
collationes casuum 253.
collocatio pecuniae 96, dotis religiosarum 132.
communicatio privilegiorum 255, 257 s.
communis vita christiana 3, religiosorum 232, cf. 189.
competentiae beneficium 263.
compromissum 41, limitatum 42 nota 1.
concio brevis intra Missam 253.
condonatio dotis 131.
conferentiae de re morali et liturgica 253.
confessarii religiosorum 83, religiosarum 86, confessarius ordinarius, extraordinarius, specialis 87, ordinarius administrat Viaticum et extremam unctionem 90, ne se immisceat regimini 90, conf. pro relig. laicis virorum 91, novitiorum 92. 146, conf. non debet esse Superior 83, nec Magister novitiorum 83, 138, confess. religiosorum possunt absolvere professos, novitios, famulos, hospites etc. 84, conf. ab Episcopo approbatus absolvit religiosos etiam a reservatis in religione 84, 88.
confessio 83 ss., generalis 146, a novitiis instituenda 139, conf. religiosarum in ecclesia vel publico oratorio 88, dependentia exemptorum ab Episcopo quoad confessiones audiendas 270, confessiones religiosorum a Superiore quando excipi possint 83, quando a Magistro novitiorum 138 vide etiam confessarii.
confirmatio electionis 49.
Congregatio religiosa quid sit 12, monastica 13, 20; S. Congr. de Religiosis 35, ejus interventus in casu professionis invalidae 152, 290, in transitu 286, in eggressu 291, in dimissione 301, 306, 308; titulus Congregationis pro ordinatione 175.
coniux non admittendus 114.
conscientiae apperitio 93.
consensus Capituli seu Consilii 76, 95, 99, 126, 132, 155, 157, 298, vide etiam Capitulum. — Ordinarii loci ad erigendam domum rel. 28, ad aedif. ecclesiam 32, in alienatione bonorum 99, in collocatione dotis 132; Superioris in alienatione bonorum 100, in contractibus 101.
consilia evangelica 7.
Consilia Superiorum 82, Consilii consensus in collocatione dotis 132 vide consensus, Capitulum.
constitutiones et regulae 21.
consuetudo contra regulas 222, cons. illegitima 223, abolenda 224, contra legem habitus 252, quoad peculium 189.
contemplativa vita 15.
contemptus auctoritatis 221, perfectionis 220, regularum 221.
contractus religiosi, responsabilitas 101.
convalidatio professionis irritae ob impedimentum mere internum 151, ob imped. externum 152.
conventualis Missa 248.
conversi novitii in doctrina christiana edocendi 138, quatenus officiis fungi possint 139.
convictores sub jurisdictione religiosorum 84.
convictus alumnorum quoad clausuram 235.
cooperatores vicarii 284.
correptio (remedium poenale) 70.
criminale judicium 67, laicale 231.
cultus divinus sub directione Episcopi 271.
cura animarum 252, quatenus sub jurisdictione Episcopi 269.
decreta stae. Sedis praelegenda 81.
degentes extra claustra 241.
degradatio clericorum 308.
delicta, quae ipso facto dimissionem secum ferunt 296, quae dimissionem praecedere debent 300, 304.
delinquentes extra domum ab Episcopo puniendi 267.
denuntiatio evangelica, judicialis 65.
depositio clericorum 308.
deputati munus 230.
diaconatus conferendus incepto 4. anno cursus theologici 170.

dimissio novitiorum 140; religiosorum 296, prof. a votis temporariis 157, 297, a votis perpetuis 300, 303, ipso jure 296; dimissionis causae pro prof. a vot. temp. 299, a votis perpetuis 300, 304; dimissionis effectus 299, 307 ss.; dimittens Superior 297, 300, 301, 303 vide Superior.
dimissoriae litterae pro ordinatione 173, ad quem dirigendae 173, quid continere debeant 174 in societatibus sine votis 311.
dioecesis amittitur per professionem perpetuam 159.
directio postulantis 109.
disciplinae theologicae tractandae 170, accessoriae 169, a distinctis magistris docendae 170.
dispensandi potestas 58 vide potestas.
dispensatio 58, in legibus ecclesiasticis communibus 59, in irregularitatibus 60, in votis 62, a voto sollemni castitatis 201, a poenis ecclesiasticis 75, a choro 246.
doctrina christiana novitiis conversis tradenda 138, intra Missam proponenda 253; doctrinae sti. Thomae inhaerendum 168, 171.
documenta admissionis 126; documentum professionis 153.
dolus in admissione 114, in professione 148.
dominium transferre professi votorum temporariorum titulo gratioso non possunt 145; amittitur a professis votorum sollemnium 177, retinetur a professis votorum simplicium 181.
domus religiosa 12, erectio dom. religiosae 26, dom. novitiatus 136, dom. studiorum 167, suppressio dom. religiosae 33; domus formata 12, dom. non formata sub vigilantia Episcopi 268.
dos religiosarum 130, quando religioni tradenda 131, restituenda 131, dotis condonatio 131, in tutis collocanda 132, non impendenda 132, acquiritur religioni per obitum religiosae 133.
duratio novitiatus 133, studiorum 168.
ecclesia religiosorum aedificanda 32, simul paroecialis 254.
effectus dimissionis pro religiosis a votis perpetuis 307, pro clericis 308.
egressus novitiorum 139, professorum e religione 286 ss., prof. a votis temp. 156, 290, a votis perpet. 291, propter nullitatem professionis 289, per dimissionem vide dimissio; egressus e clausura monialium 273.
electio Superiorum 41, simoniaca 47, electionis confirmatio 49, Magistri novitiorum 137, religiosi ad dignitatem ecclesiasticam 279.
electores Superiorum 42.
eleemosynarum collectio 274.
emendationis defectus ante dimissionem 306.
emendatus dimissus 309.
episcopalis clausura 240.
Episcopus, ejus potestas in religiosos 36, in exemptos 269, in parochum religiosum 283, jus visitandi religiosos 82, invigilat in clausuram monialium 237, 239, licentiam dat pro ingressu et egressu 238, clausurae spatium determinat 239; religiosis non exemptis praecipere potest ex potestate jurisdictionis 210, num vi voti obedientiae 210; Ep. ordinator 173; Ep. non admittendus in religionem 118; Ep. religiosus 280, rediens ad religionem 281; Ep. benevolus receptor 292, 299, 309.
epistolarum clausura 242.
erectio religionis 23, provinciae 25, domus 26, novitiatus 136, domus monialium 32, domus studiorum 167, associationis laicorum 272.
error in professione 148.
Eucharistiae frequentatio 249, cultus quatenus sub directione Episcopi 271.
Evangelii explanatio intra Missam 253, evangelica consilia 8, 10.
examina studiorum tempore 169, pro ordinatione 175, absoluto studiorum curriculo a sacerdotibus peragenda 176, in societate sine votis 311.
exclaustratio 291.

exclusio a professione renovanda 156.
excommunicatio in apostatas 295, in usurpantes bona ecclesiastica 102, in cogentes ad religionem 150, in matrimonium attentantes post votum sollemne 200, contrahentes post votum simplex 202, in violantes clausuram 233, monialium 237.
exemptio religiosorum 264, exemptionis divisio 265, acquisitio 266, praescriptio 267, exceptiones 267, amissio 268, exempti in quibus subsint Episcopo 269 ss., exempti a lege clausurae 234, monialium 239.
exercitia spiritualia peragenda a postulantibus 110, finito novitiatu 146, ante ordinationem 175, quotannis 249.
expensae pro habitu etc. 131, pro novitiatu in egressu non repetendae 140.
explorati) voluntatis novitiorum 129.
expressa professio 151, licentia 194.
extraordinarius confessarius 87.
extrema unctio administranda a Superiore 86, a confessario ordinario 90.
facultates habituales 260.
fideiussio 230.
filii educandi impedimentum admissionis 121, filii parentum pauperum admittendi vel non 121.
finis novitiatus 138.
fori privilegium 262.
fructus dotis 131.
fuga e religione 294, cum muliere 297.
fugitivus 294.
fundatio pia 97.
Generalis Superior 38.
gestatio habitus 250.
habitus religiosus 250, in novitiatu 136, ejus susceptio 133, deponendus 291; ecclesiasticus 251, deponendus 308.
haereditaria successio apud mendicantes 179.
haeretici num admittendi 112.
hospites religiosorum sub eorum jurisdictione 84.
hospitii aedificatio 27.
illegitimi non possunt fieri Superiores majores 39.
immunitas a servitio militari 263.
impedimenta admissionis 111.
incorporatio paroeciae 282.
indifferens ad diversas sodalium classes 137.
indulgentiae lucrandae in sacello domestico 277.
indultum Episcopi prodest religiosis 277.
infamia juris 43 nota 1.
infantes oblati non admittendi 112.
ingressus in religionem 103, in clausuram 233, 239.
inhabiles ad officia 39, inhabilitationes 74.
inquisitio in processu dimiss. 304.
interpretatio authentica legum 58, privilegiorum 259.
interruptio novitiatus 134.
instantia prima 66; secunda et tertia 67.
irregularitates ex defectu 123, ex delicto 125, impedimenta admissionis 121, 123, pro munere Superioris 39; num statui possint a Superiore 74; irreg. propter violationem voti castitatis 202, dispensatio in irregularitatibus 60.
irritatio voti 63, obligationis ex contractu 214.
judex 66, judices constituendi 66, in processu dimissionis 303, judicis juramentum 68.
judicialis potestas 64 vide potestas.
judicium criminale laicale 231.
juramentum in electione Superiorum 45, Superiorum 78, contra modernismum 78, judicum 68, quando impedimentum admissionis 119, litteris testimonialibus addendum 128.
jurisdictio ecclesiastica 54, in novitios 141, laicalis 230.
jus admittendi in novitiatum 126, jura novitiorum 139, professorum 156.
justa causa pro alienatione bonorum 100.
justitia quando laedatur per violationem paupertatis 195, non laeditur per inobedientiam 217, justitiae promotor 67, in processu dimissionis 306.

laicae religiones quoad confessarios 91, quoad dimissionem 300; fratres laici 139 vide conversi; laicorum associationes 272.
largitio munerum 101, poenae 102.
laudis decretum 24.
legislativa potestas 55 vide potestas.
liber baptizatorum continet prof. sollemnem 164, ordinationem ad subdiaconatum 176; librorum editio 272.
libertas novitiorum quoad egressum 139, professorum a votis temp. 156.
licentia 59, expressa, tacita, praesumpta 194, Superioris, quando excusat a violatione voti 193; Sedis Apostolicae vide Apostolica Sedes.
litterae dimissoriae ad ordinationem prof. a vot. temp. 158, aliorum 173, quid continere debeant 174, in societatibus sine votis 311; testimoniales pro admissione in novitiatum 127, pro ordinatione 174.
locus pro postulatu 109, novitiatus 135, professionis 153.
ludi aleatorii 227.
Magister novitiorum 137, electio, aetas 134, aliis muneribus non impediendus, ejus obligationes 138, quando novitiorum confessiones audire possit 138; ejus socius 137.
magistri distincti pro disciplinis theologicis 170, laurea theol. potiti 170, aliis officiis non impediendi 171, a choro dispensandi 171.
manuscripta objectum paupertatis 184.
matrimonium a professo votorum sollemnium invalide contrahitur 199, ratum per prof. soll. solvitur 198, m. contractum vel attentatum causa dim. 297, irregularitas inde sequens 202, excommunicatio 200, 202; convalidatio matrimonii invalidi 201.
mendicantes 17, eorum paupertas 178, facultas possidendi per Conc. Trid. 179, quaestuatio 274.
mensa communis titulus ordinationis 175.
mentalis oratio 249 vide oratio.
mercatura 231.
metus in admissione 114, in professione 148.
militia 228, immunitas religiosorum a militia 263.
milites religiosi 228 ss.
Missa conventualis 248, in nocte nativitatis Domini 227, Missae intersint novitii 139.
mixta vita 15.
Moderator supremus 38.
moniales 13, erectio monasterii 32, monialium clausura 236, accessus ad m. 241, exemptae quomodo pendeant ab Episcopo 273, monialium dimissio 298, 301.
monitio (remedium poenale) 70, ante dimissionem 300, 304.
munera non stabilia religiosis conferri possunt 279.
munerum largitiones 101.
Nativitas Domini, Missa in s. nocte 277.
negotia saecularia 230.
negotiatio 231.
nepotes avorum pauperum admittendi vel non 121.
nomina ordinandorum publicanda 175.
notarius 38, 67, in foro civili 230.
novitiatus 111, aetas 112, annus integer 133, interruptio 134, suspensio 135, domus 135, habitus 136, finis 138, prorogari potest 146, exercitiis finiendus 146, in transitu ad aliam religionem 287.
novitii, eorum confessiones 91, novitiarum voluntas exploranda 129, institutio et aetas 133, Magister et socius 137 (vide Magister) classes 137 obligationes 138, jura et privilegia 139, dimissio 140, suffragia pro defunctis 141, non ordinandi 141, retinent beneficia 142 et jus eligendi 143, non possunt bonis suis se abdicare 144, testamenta 145.
nullitas professionis 289.
obediendi votum omni legitime praecipienti 218.
obedientia, votum, virtus, objectum 204, juxta regulam 205, in omnibus, perfecta 206, in dubio de potestate 207, quoad impossibilia

et ridicula, poenas, actus internos 208, cui ex voto praestanda 209, ob. votum quomodo obliget 211, impedit firmum contractum 213, distinctio inter votum et virtutem, species violationis 214, virtus quomodo obliget 215, num ex justitia 216, obedientiae perfectio 217, alia sententia de voto obed. 218, obed. religiosi ad dignitatem promoti 282, in transitu ad aliam religionem 288.
objectum voti paupertatis 183, castitatis 197, obedientiae 204.
oblatio filiorum per parentes 112.
obligationes Superiorum 78, novitiorum et Magistri 138, quoad regulas 141, religiosorum 177 ss., vi votorum 177, tendendi ad perfectionem 219, generales, speciales 219, observandi regulas 220, communes clericorum 226, clausurae 232, chori 243; obligationes status num liceat possidere 231.
oeconomi deputandi 82, s. administratores bonorum temp. 95.
officii divini recitatio 243, privata 246, officia ecclesiastica clericis e religione egressis prohibita 292.
oratio mentalis 249, novitiorum 139.
Ordinarius est Superior major 59; Ordinarius loci 36, interrogandus 28, 96 ss., 119, 132, 236 ss. 269 ss., 296 ss. vide Episcopus.
ordinarius confessarius 87.
ordinandi cui praesentandi 173, Episcopo annuntiandi 175, eorum nomina publicanda 175.
ordinatio a quo facienda 173, interdicta a Superiore 176, ordinationis testimonia 174, litterae dimissoriae, 158, 173 s., 311, examen 175, exercitia 175, ordinationis subdiaconi danda notitia 176, in societate sine votis 311.
ordines novitiis non conferendi 141, minores confert Abbas 172.
Ordo religiosus quid sit 12.
orientales in latinas religiones non admittendi 126, quaestuantes 276.
parentes filiorum educandorum non admittendi, pauperes impedimentum admissionis 121.
parochus religiosus 282, visitandus ab Episcopo 284.
paroecia in ecclesia religiosorum 254, paroeciae incorporatio 282.
paupertas religiosa 177, mendicantium 178, titulus ordinationis 175, objectum, reliquiae, manuscripta picturae 183 ss., num violetur peculio 186 ss., censu vitalitio 190, p. et licentia 193, violationis species 195 ss.
peccatorum reservatio 84.
peculium religiosorum 186.
pecuniae collocatio 97.
perfecta caritas, vita 3.
perfectio christiana acquirenda et exercenda 4, obligatio ad eam tendendi 219, ejus contemptus 220.
pia fundatio 97.
picturae objectum paupertatis 185.
poenae 69, spirituales 71. contra alienantes bona eccl. 100, 102, imminentes 116, in cogentes ad religionem 150, contra violantes paupertatem 197, castitatem 200, clausuram 233, monialium 237, in apostatas et fugitivos 295.
poenitentiae 71, sacramentum 83, quoties recipiendum 249, domus 309.
pontificalium usus 263.
possidendi facultas a Conc. Trid. concessa mendicantibus 179.
postulans 108, ejus aetas 111, directio 109.
postulatus 108, ejus necessitas 110.
potestas Rom. Pontificis 34, socialis et domestica 52, dominativa 53, 55, jurisdictionis 54, legislativa 55, interpretandi leges 58, judicialis 64, coercitiva 69, Superiorum minorum 71 nota 1, in novitios 74, absolvendi a censuris 75, dispensandi in legibus 58, in irregularitatibus 60, in votis 62, in poenis eccles. 75, in voto castitatis sollemni 201; p. Capituli vacante praelatura 77, Episcopi in exemptos 269.
praecedentia 22.
praeceptum Superioris 204, contra legem positivam 207, ejus gravitas 211; pr. remedium poenale 70.

praedicatio verbi divini 270.
praefectus spiritus in domo studiorum 167.
Praelati nullius 51.
praesumpta licentia 194.
presbyteratus quando conferendus 170.
praescriptio privilegii 256, exemptionis 267.
praesentatio vicarii in paroecia religiosa 283.
privatio vocis activae et passivae 44 nota 1.
privilegia novitiorum 139, religiosorum 254, ad ordines 172, priv. divisio 255, communicatio 255, 257, usus, interpretatio, cessatio, revocatio, renuntiatio 259, facultates habituales 260, clericorum (canonis, fori) 261 s., exemptionis 264, quaestuationis 274.
processus in dimissione relig. 303.
procuratio suffragiorum 40.
procurator generalis 83, procuratoris munus 231.
professio religiosa 146, ejus divisio 147, requisita ad valorem 148 ss. invalida ex causa interna 149, ratihabenda 151, simoniaca 150, expressa 151, a quo recipienda 152, irrita ob impedimentum externum 152, professionis locus, tempus, ritus documentum 153, prof. temporaria 154, perpetua (amissio dioecesis) sollemnis 159, soll. irritat actus contrarios 159, formale discrimen a simplici 160, in libro bapt. annotanda 164, solvit matrimonium ratum 198, simplex perpetua 165, triennalis in transitu ad aliam religionem 288, in nova religione 288, invalida ratio egressus 289.
professus 156 ss. non admittendus ad novitiatum 115, sub disciplina mitigata 224, transiens ad aliam religionem 285, dimissio 296 ss.; a votis temp. quomodo disponant de bonis 145, exire possunt 156, dimitti 157, a votis perpetuis nomina non publicanda ante ordinationem 175, a votis sollemnibus quomodo renuntient 145, conditionate 165, absolute in foro civili 165, inhabilis ad possidendum 181, cuinam acquirat 164, non potest condere testamentum 165, a votis simplicibus retinet dominium 165, 181, cedit administrationem etc. 166, amittit liberum usum 182, non est regularis 166.
promotor justitiae 67, in processu dimissionis 306.
provincia 12, ejus erectio 25, suppressio 38.
quaestuatio 274.
ratificatio professionis 151.
ratio conscientiae 93, administrationis 98, rationis reddendae obnoxii non admittendi 121, onus non assumendum 230.
recitatio divini officii 243, privata 246.
reformatio religionis acceptanda vel non 224.
regimen novitiorum 137, religionum diversitas secundum regimen 20.
regula restringit potestatem Superioris 205, regulae obligatio 220, quoad novitios 141, contemptus, frequens transgressio 221, relaxatio 222, per consuetudinem illegitimam 223.
regularis 12, nomen 14 nota 1.
religio (societas) 12, clericalis, laicalis 12, juris pontificii, dioecesani 12, 22, exempta 12, 21, ejus erectio 23, suppressio 33, potestatem habens in mulieres religiosas 36, r. arctior, strictior 286; religio (virtus) 1 nota 1., disciplina in studiis inferioribus 171.
religiosus 12, militiam agens 228 ss. et beneficia saecularia 277, ad dignitatem promotus 279, Episcopus 280, parochus 282; religiosae confitentes in ecclesia 88, cantantes in eccl. propria 249.
reliquiae objectum voti paupertatis 183.
remedia poenalia 70.
renovatio votorum 155.
renuntiatio bonorum 144, a novitiis invalida 144, praescripta 145, privilegiorum 259.
reservatio censurae 73, peccatorum 84.
residentiae obligatio 80.

responsabilitas ex contractu religiosi 101.
revocatio privilegiorum 259.
ritus professionis 153.
Romanus Pontifex, ejus potestas in religiosos 34 vide Apostolica Sedes.
Rota Romana 68.
Sacramentorum frequentia in novitiatu 139, religiosorum 249.
sacrilegium in usurpatione bonorum ecclesiasticorum 103, per violationem voti castitatis 199.
saecularia negotia 230.
saecularizatio 291.
schismatici num admittendi 112.
scholae aedificatio 27.
scholares anni completi esse debent 168.
scrutinium in electione Superiorum 48.
sculpturae objectum paupertatis 185.
secretum servandum de responso ad requisitionem pro admissione 130.
sectae acatholicae adhaerentes invalide admittuntur 112.
Sedes Apostolica vide Apostolica Sedes.
separatio inter novitiorum classes 137.
simonia in electione 47, in professione 150.
simplex professio perpetua 165 vide professio.
societas in communi viventium sine votis 14, 310.
socius Magistri novitiorum 137, parochi religiosi 285.
sollemnis professio 159 vide professio, sollemnis voti effectus 177, 213, sollemnitas quando extinguitur 288.
sorores 12.
specialis confessarius 87.
species violationis voti 195 ss.
spectacula 228.
stabilitas status 1 ss., loci 217 nota 2.
status religiosus 1, st. perfectionis essentia 9, completus, incompletus 7, st. religiosi origo 10, perennitas 11; relatio de statu religionis 82.
strictior religio 287.
studia in religione clericali 167, non in novitiatu 139, studiorum domus 167, duratio 168, disciplinae accessoriae 169, theologia 170, inferiora 171, extra provinciam 172, a sacerdotibus continuanda 176, in societate sine votis 311.
subdiaconatus ordo, quando conferendus 170, in librum baptizatorum inscribendus 176.
subsidium caritativum vide caritativum 293, 299, 302, 308.
suffragia pro defunctis novitiis 141, suffragia pro electione 46, eorum procuratio 40.
Superiores 34, majores 13, ad tempus constituendi 38, eorum qualitates 39, electio 41, potestas 51, obligationes 78, Sup. moribundis sacramenta administrant 85, exequias celebrant 86; Superiori administrationis ratio reddenda 98, ejus consensus in alienatione bonorum 100, jurisdictio 141, vigilantia in studiosos 167, licentia et paupertas 193, quid possit S. praecipere 205, vi voti 209, admittens ad novitiatum 126, ad professionem 148, eam recipiens 152, dimittens post vot. temp. 297, post vota perpetua 301, 303, in casu urgenti 300; Sup. dat litteras dimissorias 173, potest interdicere ordinationem 176, regit vacantem paroeciam religiosam 285.
suppressio religionis, provinciae, domus 33.
suspensio novitiatus 135, ab ordine 73.
sustentatio necessaria ad erigendam domum religiosam 30.
tabellio 230.
tabernae 227.
tacita professio 151, licentia 194.
temporalia bona 94 vide bona.
temporaria professio 154, non in transitu 288.
tempus postulatus 109, novitiatus 133, professionis 153, prolongandum, computandum 156.
testamentum religiosorum 192 a novitiis condendum 145. a prof. vot. soll. condi non potest 165.

testimonia pro ordinatione 174, testimoniales litterae Superioris majoris vel Ordinarii loci 174, pro admissione 127.
Thomistica doctrina 168, 171.
tirocinium vide novitiatus 111.
titulus ordinationis 175, pro prof. a votis temp. 158, paupertatis, Congregationis 175, in societatibus sine votis 311; tituli honorifici 82.
tonsura solum theologis sacerdotium aspirantibus 170.
traditio sui 9.
transitus ad aliam religionem 286.
tribuual 66, pro dimissione 303, 306, 307.
usus et ususfructus ante prof. cedendus 144, usus privilegiorum 259, pontificalium 263.
vacantem paroeciam regit Superior, oeconomus 285.
venatio 227.
versio in rem 101.
Viaticum religiosis administrat Superior 85.
vicarius in paroecia incorporata 282, vicarii cooperatores 284.
vigilantia (remedium poenale) 70.
vis et metus in admissione 114, in professione 148.
visitatio 81, paroeciae religiosae 284.
vita christiana (communis, perfecta) 3 ss., communis 232 in domo studiorum 167, contemplativa, activa, mixta 15.
vocatio ad statum religiosum 104.
voluntas novitiarum exploranda 129.
vota religiosa et status perf. 8, sollemnia 12, publica, perpetua temporaria 15, privata eorum dispensatio, irritatio, suspensio 62, votorum renovatio 155, votum paupertatis 177 ss. effectus v. soll. 177, simplicis 181, objectum 183 ss., laesionis species 195, gravitas 196; v. castitatis 197, sollemne, simplex, effectus v. soll. 198, violatio 199, poenae 200; v. obedientiae 202, sollemne et simplex 212, violationis species 212, effectus v. soll. 213, votum et virtus 214, v. obediendi omni legitimo praecepto 218, in transitu ad aliam rel. 287, 288, sol. per saecularizationem 164, per dispensationem 157 nota 2, v. quartum temp. 158.

Errata praecipua.

Pag. 1. linea 4. loco: stablitatem lege: stabilitatem.
Pag. 12. linea 1. loco: De variis lege: 9. De variis.
Pag. 13. l. 15. ab infra loco: Cf. can. 488. 2⁰ lege: Cf. can. 488. 2⁰ et infra pag. 20.
Pag. 14. l. 1. ab infra loco: viventiam lege: viventium.
Pag. 15. linea 4. loco: contradistingriter lege: contradistinguitur.
Pag. 15. linea 7. loco: eorum que lege: eorumque.
Pag. 25. linea ultima: post verba: Sedem Apostolicam adde: ".
Pag. 36. linea 1. loco: de juri lege: de jure.
Pag. 37. linea 15. loco: infirmi lege: infimi.
Pag. 39. l. 5. ab infra ad verba: ab ordinatione arcentur. adde: *Irregulares* autem, etiamsi ante ingressum in novitiatum dispensati fuerint ad ordines recipiendos (cf. can. 542. Nr. 2.), tamen non possunt renuntiari Abbates vel Praelati nullius vel Superiores majores in religione clericali exempta (can. 991. § 3.).
Pag. 41. linea 4. post verba: (can. 6. Nr. 6.) adde: Cardinalis vero et Episcopus religiosus munere dimisso ad religionem rediens caret voce activa et passiva (can. 629. § 2.).
Pag. 44. in fine notae 1. adde: Cardinalis et Episcopus religiosus, qui dimisso munere ad religionem rediit (can. 629. § 2.).
Pag. 55. linea 5. loco: Hanc solum lege: Hanc solam.
Pag. 72. linea 6. loco: can. 2221. § 3. lege: can. 2222. § 3.
Pag. 74. l. 14. ab infra loco: esse. Quoad lege: esse c) Quoad.
Pag. 75. l. 15. ab infra loco: sequentem). Poenas lege: sequentem). 4) Poenas.
Pag. 75. l 5. ab infra loco: acceperunt. Pro lege: acceperunt. 5) Pro.

Pag. 76. linea 4. loco: Posse lege: 6) Posse.
Pag. 76. l. 12. ab infra loco: qui scil. lege: quae scil.
Pag. 81. linea 6. loco: Cap. VII. lege: Cap. VI.
Pag. 89. linea 16. loco: spitituale lege: spirituale.
Pag. 112. l. 12. ab infra post verba: Excluduntur de jure naturae adde: a professione.
Pag. 113. nota 2. loco: Quum virum sit lege: Quum virum cit.
Pag. 125. superscriptio loco: impedimenta ordinationis lege: impedimenta admissionis.
Pag. 127. linea 8. loco: am pro lege: jam pro.
Pag. 129. linea 15. post verba: sive simplicem adde: secus ab Ordinario punienda est (can. 2412).
Pag. 132. l. 8. ab infra post verba: autem prohibetur adde: sub gravibus poenis ab Ordinario infligendis (can. 2412.).
Pag. 145. linea 15. post verba: illo se abdicare adde: sine licentia Stae. Sedis (can. 583. §§ 1. 2.).
Pag. 151. l. 4. ab infra loco: 1958. lege: 1858.
Pag. 166. linea 11. loco: non licet nisi sub conditonibus antea jam notatis lege: non licet nisi de licentia Stae. Sedis (can. 583. §§ 1 2.).
Pag. 170. l. 9. ab infra post verba: sacra Scriptura adde: historia ecclesiastica.
Pag. 174. linea 1. post verba: redire jubere. adde: Superiores religiosi contra hoc praescriptum agentes ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione (can. 2410.).
Pag. 200. l. 7. ab infra loco: contractu lege: contractui.
Pag. 201. l. 11. ab infra loco: legitimatione lege: legitimationi.
Pag. 263. linea 11. Nr. 3. in fine adde: (can. 121.).
Pag. 263. linea 16. Nr. 4. in fine adde: (can. 122.).

16729